






GALLVTI
DE
TRAGOEDI
COMOEDI
ELEGIA
1
7
70











1.7.70
IB.7

VII

in VIRG. Vindic. GALL



# TARQVINII GALLVTII SABINI

## E SOCIETATE IESV

VIRGILIANAE VINDICATIONES

*& Commentarij tres*

DE

TRAGOEDIA

COMOEDIA

ELEGIA

Cum Priuilegio






ROMAE, Ex Typographia Alexandri Zannetti. 1621.

*Superiorum Permissu.*

SERENISSIMO PRINCIPI

# FERDINANDO GONZAGAE MANTVAE DVCI.



*TARQVINIVS GALLVTIVS. F.*



EREOR equidem, Serenissime Princeps, ne sic temerarium sit, istius tutelam gratiæ Commentarijs hisce tam vilibus expetere, quemadmodum superbum esset, nullum omnino tam imbecillis fœtibus auxilium quærere. Cœpit inter eos, qui scripta produnt in vulgus, vsitatum esse iam artis genus, eleuare pretium operis sui, mercisq. propositæ despicientiam per simulationem officij profiteri. sed quæ alijs asimulata modestiæ species est, ea mihi sine fallacijs, & fuco veritas, ac simplicitas esse debet; qui penitus intelligam huius mei futilitatem laboris, & fructum industriæ leuem, aspectum, lucemq. non exoptantem. Ac statueram ego quidem, quicquid hoc erat à me, vel temere fusum, vel obseruatè compositum omnino premere; aliaq. potius Ethicæ perficere meditamenta doctrinæ, quæ mihi nunc Aristotelem interpretanti sunt in manibus affecta, & primis tantum initijs inchoata. Sed dum molior, & nocturna,

diurnaq. opera materiam verſo, ex rei magnitudine video mihi deeſſe ingenium, ex valetudine ſentio conatum operi non ſatis eſſe. Interiungere adeò, ac poſita interim manu de Moralium tabula, ſubſiſtere decreui; quæque melius fortaſſe inter aduerſaria continuiſſem, in publicum emittere: vt in viuentium numero me probarem eſſe non otioſum, nec fruges viderer omnino conſumere ſine fruge. Cauſam verò cur hæc honori tuo non dubitarim inſcribere, nemo quæret, qui meum erga te vetus obſequium litteris quoq. conſignatum agnouerit, & harum argumenta ſcriptionum inſpexerit, quæ non alium oppidò, quàm te præſidem ſibi depoſcunt, ac dominum. Vindicatur in his poëtarum apex, faſtigiumq. Virgilius: qui quoniam ſi viueret, in tuo profectò viueret, debet etiam mortuus inuenire defenſionem, & requietem in tuo. Explicatur in iiſdem antiqui Dramatis, Elegiæ, ac totius pene Poëticæ ratio. At vnus tu, quod magni Principis erat, opulento Choragio, machiniſq. faberrimis antiqui Theatri miracula reddidiſti minora, & quod erat ingenioſiſſimi, ſic Poëticam adamaſti, vt non modo poëtas ipſos gratia foueas, & ſtudio, quod eſt commune multorum, ſed carmen etiam condere poſsis egregium, quod ſanè paucorum eſt, ac prope tuum. Nihil enim hic ego dico de illa tua diſciplinarum omnium comprehenſione perfectiſsima, quæ & in conſpectu mortalium eſt, & mihi ſatis amplum euulgatæ iam olim ſuppeditauit argumentum orationis. Tantum oro, vt munus hoc alioqui deſpicandum, ac tenue non aſperneris, meaſq. vigilias noctem iure poſtulantes, ac tenebras apparere ſub tuo nomine patiaris. Vale.

RE-

## RECENSIO CAPITVM QVAE IN Virgilianis vindicationibus explicantur.

### *Ex Prolegomenis*

quibus variæ poëtarum defensiones proponuntur ab Aristot. desumptæ.




*Defensio prima ex eo petita, quòd poëtæ peccatum duplex sit, alterum proprium, & per se, alterum extrinsecus accidens, & quodāmodò alienum. pag. 1*

*Defensio secunda ex decoro, & ex eo, quòd poëta res fingat, quemadmodum decuit, aut oportuit esse. 4*

*Defensio tertia ex opinione vulgari, ac fama perueteri de re, quam poëta commemorat. 4*

*Defensio quarta ex vsu, & consuetudine illarum gentium, quarum actiones imitatur poëta. 6*

*Defensio quinta ex ijs, quæ rem circumstant. 7*

*Defensio sexta ex varia significatione eiusdem vocabuli apud gentes, & populos varios. 8*

*Defensio septima ex metaphora, verboq. translato. 10*

*Defensio octaua ex accentus mutatione, quæ longè variam eidem vocabulo significationem impertitur. 11*

*Defensio nona ex interpunctione, variaq. membrorum in oratione diuisione. 13*

*Defensio decima ex amphiboliæ, verborumque ambiguorum explicatione. 14*

*Defensio vndecima ex alicuius vocabuli vsu communi. 15*

*Defensio duodecima ex interpretatione alicuius vocabuli, cui multiplex, & varia significatio sit. 15*

*Defensio tertiadecima ex depulsione præiudicatæ alicuius opinionis. 16*

*Defensio quartadecima ex eo, quòd credibile sit, multa re ipsa fieri, quæ nos fieri non posse putamus. 17*

*Defensio quintadecima ex ratione, ac modo, quo à Dialecticis sophismata soluuntur, & elenchi. 18*

*Defensio sextadecima ex varijs doctorum hominum opinionibus, quarum singulas quantumuis pugnantes sequi, ac probare varijs locis poëta potest. 18*

# Quæstiones, quæ in ijsdem Vindicationibus expenduntur.

## Ex primo lib. Æneid.

*AN Virgiliani operis initium sit. Ille ego, qui, &c.* 20.21.22
*An Aeneas primus in Italiam venerit.* 23.24
*An absurdè, ac præter decorum Iuno Troianis fingatur infensa.* 25.26
*An Homero Virgilius anteferendus sit.* 28.29.30.31
*An Aeneæ notio aliqua, aut præparatio Virgiliano præponenda operi fuerit.* 27.30
*An Aeneas rectè in naufragio timens inducatur.* 32. & seq.
*An rectè ceruos in Lybia posuerit Virgilius, cedrosue, aut onagros in Italia.* 37.38.39
*An in Templo Didonis esse pictura debuerit.* 40
*An Dido Aeneæ fuerit æqualis, eademq. floruerit ætate.* 41
*An iure pius dicatur Aeneas.* 47. & seq.
*An cum Aeneæ pietate congruat, quòd viros octo viuos reseruarit ad bustum Pallantis immolandos, quòdq. Mago, Lucago, Turno supplicibus non dederit veniam.* 53.54.55.56
*An Cupidinis in Ascanium conuersio superuacanea sit, contraque mulieribus Troianis aliquod dandum hospitium fuerit, quod in opere desideretur.* 56.57

## Ex secundo lib. Æneid.

*AN Poëticæ, atque Historiæ initia differre debeant inter se, & an rectè factum sit initium libro secundo.* 58.59.60.61
*Cur Aeneas tam sæpe dicatur Pater.* 64.65
*An dracones aliqui sint iubati vt scribit Virgilius.* 65.66.67
*Fuerit ne Phthius Achilles, an Larissæus.* 68.69.70
*An bene Troianorum aurum dicatur barbaricum.* 71.72
*An Aeneæ de occidenda Helena deliberatio à decoro discedat.* 73

## Ex tertio lib. Æneid.

*AN rectè tertij libri narratio à narratione secundi seiuncta fuerit.* 78.79
*An molitio classis sub Antandro verosimilis sit.* 80.81
*Cur ad tumulum Polydori sanguis è fruticibus fluxerit, & an sacrificium illud in Thracia ritè peractum fuerit.* 82.83
*An Delos insula verè, aut verisimiliter mobilis aliquando fuerit. pag.* 83.84.85
*An Dij Penates, & vates Helenus rectè confugiant ad famam, nec aliunde rem cognitam habere videantur.* 86.87
*An Siciliæ ab reliqua Italiæ parte diuulsio ad Deos potius, quàm ad maris*

*maris vim referri debuerit.* 87.88.89
*Cur humilis dicatur Italia.* 90.91
*Quid in Aetnæ descriptione reprehenderint aliqui.* 92.93

Ex quarto lib. Æneid.

*AN Atlantis descriptio, Mercuriique ad eum montem digressio superuacanea sit.* 94.95.96
*An Draco peruigil ad Hesperidum hortos somnifero ali papauere debuerit, vt fingitur.* 97.vsq.ad 101
*Cur Dido moritura alterum tãtum dicatur exuta pedem.* 102.104.105

Ex quinto lib. Æneid.

*AN triremis Chimæra rectè fingatur.* 106.vsq.ad 110
*An columba Veneri matri sacra rectè ab Aenea iaculatorum ictibus exposita fuerit.* 111.vsq.ad 116

Ex sexto lib. Æneid.

*AN rudentes nauium habenæ rectè dicantur.* 117.118
*An Inferorũ monstra supra fingẽdi leges excogitata sint.* 119.120
*An Palinurus Velinum portum rectè nominarit eo tempore quo nullus esset.* 121.vsq.ad 126
*An secum pugnet poëta, quòd Theseum apud Inferos æternum sedere scribit, quem antea dixerat ad superos euasisse.* 127.128
*Cur Dido apud Inferos inter amantes potius in campis lugentiũ, quàm inter eos, qui sibi mortem consciuerant posita sit.* 129.vsq.ad 135
*An rectè Græcorum Vmbræ, conspecto apud Inferos Aenea, perterrefactæ fingantur, quæ ab eo lædi non poterant.* 136.137
*An in laceratione Deiphobi aliquid Virgilius finxerit historiæ, rationiue contrarium.* 138.139.140
*Cur Syluius dicatur posthuma proles, qui Aeneæ longæuo, senique, non mortuo natus sit.* 141.142.143
*Quid geminæ somni portæ significent, & cur Aeneas, ac Sibylla ex eburnea sint dimissi.* 144.vsq.ad 148

Ex septimo lib. Æneid.

*AN cerui vulnus, ac mors, belli, quod inter Aeneam, & Latinos exarsit, idonea causa videatur.* 149.150.151
*An in catalogo militum Italorum aliqui numerentur inaniter, ac frustra, cum postea nihil agant.* 152.153

Ex octauo lib. Æneid.

*AN Imperatoris boni officium in Aenea desideretur, qui suos in magno discrimine deserit.* 154.157.158
*An licuerit Virgilio facere Tyberim, siluasq. mirantes.* 159

Ex nono lib. Æneid.

*AN Troianarum nauium in Deas metamorphosis reprehensioni obnoxia sit.* 161.& seq.

*Quæ*

*Quæ nam diei pars melior, quæue deterior à Virgilio, alijsque dicatur auctoribus.* 167.168.169
*An vera sint, quæ de pueris gelu duratis in Italia scribit Virgilius: quarumue nationum ille mos fuerit.* 170.171.172
*Aquila ne cygnum in certamine vincat, vt fingit Virgilius, an contra vincatur à cygno.* 173.174
*An Inarime vox vna rectè sit à Virgilio conformata, cum & duæ, & diuersa significantes apud Homerum sint.* 175.176
*An flaui epitheton Tyberi fluuio rectè conueniat.* 177.178.179.180

Ex decimo lib. Æneid.

*AN Etruriæ, Italiæque loca ordine perturbato recensere Virgilio licuerit in Catalogo.* 181.182
*Vn Virgilio pugnantes opiniones sequi fas fuerit, ac dicere, diem obitus esse cuique fatalem, & mori tamen aliquos ante diem.* 183.184.185
*An verosimile sit, Lucagum ab Aenea fuisse nomine suo compellatum. pag.* 186.187
*An rectè Orodem moribundum inducat Mezentio vaticinantem exitium.* 188.189

Ex vndecimo lib. Æneid.

*AN cygni rectè dicantur à Virgilio rauci, cum sint maximè canori.* 190.191
*An equus Pallantis rectè in domini funere lacrymans inducatur, cum lacrymæ vni datæ homini videantur, vt risus.* 192.vsq.ad 195

Ex duodecimo lib. Æneid.

*AN singulare certamen inter Aeneam, & Turnum prudenter, & cum ratione fingatur.* 196
*An Virgilij poëma sit absolutum, ac perfectum, in quo nuptiæ, nouique regni inita possessio desideratur.* 198.& seq.
*An in opere Virgiliano vna sit fabula, & vna actio.* 202

Ex tribus orationibus de Virgilij allegoria.

*AN in Epopœia poëtarum vniuersè, nominatimque in Virgiliana lateat allegoria, & aliqua interioris doctrina philosophiæ.* 210
*Num doctrina, & philosophia, quæ comprehenditur in opere Virgiliano, de moribus, ac ciuili gubernatione sit, an de natura.* 220
*An ipsa morum, & ciuilis doctrina, quæ in Aeneide continetur, certa ratione tradatur, ac via; sic prorsus, vt perpetua, nec interrupta præceptorum series sit.* 234

RE-

# RECENSIO CAPITVM, quæ tractantur

## In Commentario de Tragœdia.

*PRoœmium. In quo Notatio, Antiquitas, & Definitio Tragœdiæ traditur.* pag.249
*De fine, qui Tragœdiæ propositus est. Caput I.* 251
*De Tragœdiæ partibus vniuersè. Cap.II.* 254
*De Fabula. Cap.III.* 254
*De Moribus. Cap.IV.* 257
*De Sententia. Cap.V.* 261
*De Dictione. Cap.VI.* 263
*De Apparatu. Cap.VII.* 266
*De Scena. Cap.VIII.* 269
*De Machinis, & aulæis. Cap.IX.* 271
*De Histrionum indumentis. Cap.X.* 273
*Appendix. Ad Apparatum. de Tragœdiæ peragendæ, recitandæque ratione.* 274
*De Partibus quantitatis. Ac primo quidem de Prologo. Cap.XI.* 275
*De Episodio. Cap.XII.* 276
*De Exodo. Cap.XIII.* 277
*De Choris. Cap.XIV.* 278
*Appendix ad Chorum, & eiusdem officia.* 284
*De Commo. Cap.XV.* 287
*De alia partium, quæ quantitatis sunt, diuisione. Cap.XVI.* 289
*De Protasi. Cap.XVII.* 290
*De Epitasi. Cap.XVIII.* 291
*De Catastropha. Cap.XIX.* 292
*De Generibus Agnitionum varijs. Cap.XX.* 297
*De alia quadam Agnitionum partitione. Cap.XXI.* 304
*An extra Scenam cædes proferre fas sit. Cap.XXII.* 306
*E superioribus errandi modis, quis nam in Tragœdia præstantior sit. Cap.XXIII.* 309
*An insigni, vel probitate, vel scelere præditi homines idonei Tragœdiæ sint. Cap.XXIV.* 314
*An illæ Tragœdiæ felici exitu terminatæ, dici potius Tragicocomœdiæ debeant. Cap.XXV.* 318
*An argumentum Tragœdiæ possit esse planè confictum, & commentitium. Cap.XXVI.* 320
*An Tragœdia sit Heroico Poëmate præstantior. Cap.XXVII.* 323

RE-

# RECENSIO CAPITVM, quæ tractantur

## In Commentario de Comœdia.

*PRoœmium; in quo definitio traditur.* pag. 327
*De Notatione, atq. Etymologia Comœdiæ. Cap.I.* 329
*De varijs Comœdiarum generibus apud Græcos. Cap.II.* 331
*De Comœdiarum alia partitione apud Latinos. Cap.III.* 332
*An ex hisce Comœdijs quælibet sit imitata deteriores. Cap.IV.* 335
*Cur ex omni mortalium numero Comœdia sibi sepoſuerit imitandos deteriores. Cap.V.* 337
*An ridiculum conueniat in omnes Comœdiæ formas. Cap.VI.* 338
*Quorsum Comœdia risum excitet. Cap.VII.* 339
*Quæ sint causæ ridiculi, quibusque sit è fontibus petendus risus. Cap.VIII.* 340
*De Personis ridiculis. Cap.IX.* 341
*De rebus ipsis, quæ dicuntur, agunturq. ridiculè. Cap.X.* 348
*De alijs quibusdã locis, vnde peti dicta, & ridicula queãt. Cap.XI.* 349
*De Comœdiæ partibus vniuersè. Cap.XII.* 353
*De partibus qualitatis. Cap.XIII.* 353
*De musicis modis, ac Tibijs Comœdiarum. Cap.XIV.* 356
*De partibus quantitatis. Ac primo quidem de Titulo. Cap.XV.* 359
*De Argumento. Cap.XVI.* 361
*De Prologo. Cap.XVII.* 365
*De Actibus. Cap.XVIII.* 368
*An Actus omnino, ac prorsus oporteat esse quinque. Cap.XIX.* 372
*De Scenis. Cap.XX.* 373
*Quid in singulis sequendum, & faciendum sit Actibus. Cap.XXI.* 375
*De Fabulis illis, quæ dictæ sunt à nouis scriptoribus Tragicocomœdiæ. Cap.XXII.* 377
*De Comœdijs illis, quæ Pastoritiæ nominantur. Cap.XXIII.* 378



RE-

# RECENSIO CAPITVM,
## quæ tractantur
## In Commentario de Elegia.

*Elegiæ antiquitas, & scriptores. Caput I.* pag.383
*Notatio nominis, & etymon Elegiæ. Cap.II.* 384
*Elegiæ Materia. Cap.III.* 386
*An Elegia sit vere Poësis, vbi de poëtica, deque imitatione agitur vniuersè. Cap.IV.* 395
*Ad quam Poëseos formam reuocetur Elegia. vbi de poëticæ generibus agitur singulis. Cap.V.* 401
*De Elegiæ partibus vniuersè. Cap.VI.* 412
*De partibus quantitatis. Cap.VII.* 413
*De Inuocatione. An omittenda sit. Cap.VIII.* 413
*De Principio, & Propositione. Cap.IX.* 416
*De Narratione. Cap.X.* 418
*De Episodio. Quid sit, & quotuplex. Cap.XI.* 420
*De duplici Episodio Elegiæ. Ac primum de longiore. Cap.XII.* 421
*An Episodium Elegiæ sine reditu probabile sit. Cap.XIII.* 425
*De altero Episodio Elegiæ breuiori. Cap.XIV.* 437
*De Fine. Cap.XV.* 441
*De partibus Qualitatis. Ac primò quidem de Constitutione. Cap.XVI.* 451
*De Moribus. Cap.XVII.* 453
*De Sententia. Cap.XVIII.* 455
*De Dictione. Cap.XIX.* 459



*MV-*

## *MVTIVS VITELLESCVS,*
*Societatis Iesu Præpositus Generalis.*

CVm Vindicationes Virgilianas, & tres Commentarios de Tragœdia, Comœdia, & Elegia, P. Tarquinij Gallutij Societatis nostræ, tres eiusdem Societatis, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita Reuerendissimo D. Vicesgerenti; & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 26. Februarij 1620.

*Mutius Vitellescus.*

---

*Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.*

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

*EGo Petrus Arcudius Corcyræus, de mandato superiorum hoc opus eloquentissimi, ac religiosissimi Patris Tarquinij Gallutij summa animi voluptate perlegi; quod varium, multiplex, ac eruditionis plenum sit. Proinde dignissimum censeo, quod in lucem prodeat. Non enim dubito, quin deinde frequenti vsu, & lectione doctissimorum virorum, qui præ manibus illud habituri sunt, teri debeat. præsertim eorum, qui hac ingenua nobilissimaq. facultate Poëtices oblectantur; & diuini Poëtæ Virgilij, alterius nimirum Homeri latini, mirum artificium, grandiloquum genus carminum, grauitatem sententiarum, magnificum argumenti apparatum, ac totius operis maiestatem inspiciunt, & suspiciunt; & susceptum illius patrocinium aduersus calumniatores meritò probatissimum habebunt.*

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus Magister, & Socius Reuerendissimi Patris Fr. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apostolici Magistri, Ordinis Prædicatorum.

TAR-



# TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV

## *VIRGILIANAE VINDICATIONES & Dissertationes Poëticæ.*

## *PROLEGOMENA.*

### QVIBVS POETARVM VARIAE Defensiones exponuntur, ab Aristotele traditæ in capite Poëtices XXIII.



RISTOTELES intelligendi summus auctor, omnisq; doctrinæ sine controuersia princeps, traditis vniuersæ poëticç præceptionibus egregijs, rationes etiam ad extremum proposuit, defendendis à calumnia Poëtis accommodatas. Eam adeo mihi mentem iniecit, vt Virgilij patrocinium susciperem aduersus eos, qui auderent aram illam sapientiæ profana propè temeritate contingere. Quo magis mihi faciendum putaui, vt antequam in hunc campum descenderem, locos ipsos Aristotelis explicarem, quos ille tamquam fontes aperuit,

& velut armamentaria quædam esse voluit, vnde Poëtarum defensiones, & præsidia depromeremus. Hinc enim intelligent ij, qui nostras hasce concertationes excepturi legendo sunt (modo lecturi sint aliqui) quasi felicibus à nobis hoc bellum auspicijs suscipi tanto poëticæ magistro, ac duce sic præeunte; nec frustra me pro Virgilio propugnare inter tam mnltos, & doctos, & claros viros, qui olim iam in hoc puluere desudarunt. Pauci quippe sunt, qui Aristotelem in rem præsentem aduocarint, cum causam adiudicari Virgilio vellent; & qui aliquam præstantissimi operis partem tutati sic sunt, permultas oppidò indefensas, intactasq; prætermiserunt. Itaque non me deterruit ab hoc labore Modicius, qui defensionem hanc arripuit quidem, sed præcisè, modicèq; tractauit: non Adrianus Turnebus, vir omni rerum cognitione cumulatissimus, qui carptim vndique delibauit aliqua: non Pierius Valerianus scripturæ castigator accuratissimus: non alij, qui persequendis librariorum vitijs, aut illustrandis exemplorum cumulo locis, olei multum, operæq; plurimum in Virgiliano poëmate posuerunt. Quin aliquam existimaui mihi quoque partem sic esse relictam, vt secundis, tertijsque suus etiam relinquitur in stadio cursoribus locus. Cum igitur hunc mihi laborem propriè seposuerim, vt ad Aristotelis doctrinam, illud aureum carmen, tanquam ad Lydium lapidem explorarem, vniuersa illa defensionis capita, quæ ab eo Philosopho explicatissimè sunt exposita, ita equidem hoc initio articulatim, enucleatèque propono.

Principio tria quasi fundamenta constituit, quibus innixi facilè possimus eorum, qui temerè in Poëtas inuehuntur, obiecta diluere. Primum est, poëtam imitatorem quendam esse, pictoribus, ac ceteris imaginum expressoribus similem: ex quo consequens id esse debeat, vt res imitetur, & exprimat, vel ita prorsus, vt verè sunt, fueruntue, vel vt aiunt fuisse, vel vt decuit, atque oportuit esse. Hoc enim ipsi quoque sequuntur pictores, cum aliquid pennicillo, & coloribus effingunt. quippe qui tales interdum res faciunt, quales verè fuerunt, aut sunt; interdum tales, quales eas fuisse fama vulgauit, interdum eiusmodi, quemadmodum eas esse decebat, si decorum & ratio consuleretur. Secundum: res ipsas, siue eas quæ verè ita sunt, siue quæ dicuntur ita fuisse, siue quas sic esse decet, exponi, ac exprimi à Poëtis beneficio locutionis ornatæ luminibus, ac figuris quidem omnibus, sed potissimum verbis translatis, alijsque qualitatibus orationis, quæ facilè poëtarum nationi conceduntur, & eorum propriæ iudicantur. Tertium: ea quæ in poësi peccantur, duplici ratione, ac modo peccari. καθ' αὑτὴν, καὶ κατὰ συμβεβηκὸς. semibarbarè, certè non ita Latinè, dici potest per se, ac per accidens. Per se quidem peccari tum ait, cum in ipsa poëtices arte propriè,

priè, verèque peccatur: per accidens, cum ex aliarum artium, veluti Medicinæ, Politicæ, Astrologiæ, aliarumq; similium ignoratione fit, vt poëta labatur. Exemplum peccati κατὰ συμβεβηκὸς, hoc est, per accidens, ex eo poëta desumi posse ait, qui equum faceret crus dextrum, sinistrumue anticæ, posticæque partis ex eodem latere simul attollentem; cum equorum, aliorumque quadrupedum animantium natura sic tulerit, vt cum duos vtrinq; pedes simul attollunt è terra, priorem ex vno latere, posteriorem ex altero subleuent, vtrumq; simul ex vtroque latere, mouere, ac tollere sine casu, ac prolapsione non queant; quod idem docuit Aristot. in libro de incessu animalium, callidèque vidit artifex ille, qui Capitolinum equum, Antoninum Imperatorem ferentem, ex aere pulcherrimo affabre fecit. Hoc inquam erratum Aristoteles esse dicit ex accidente, quia illa cognoscere tàm accuratè, ac probè tenere, non est poetæ, sed eius, qui de animalibus, & eorum incessu sedulò, & dedita opera docet. His totius patrocinij firmamentis ita positis, dispositisque, aggreditur rationes ipsas defensionis varias ex ijs existentes enumerare.

## DEFENSIO I.

Prima defensio petitur ab eo, quod postremò loco dictum de tertio fundamento est. Ait enim peccatum per accidens, quod in alienis admittitur artibus, erratum quidem esse, sed condonandum poëtæ, tū præsertim cū eius errati beneficio artis poëticæ finem multò melius, ac magis assequitur: assequitur autem melius, si sic errans, ac peccans facit tamen, vt res admirabilior sit, & stupore quodam afficiat legentem, aut auditorem. Exemplum proponit ab Homero desumptum, cum facit Hectorem nullis stipatum comitibus, planèque solum Græcorum omnem exercitum auertentem in fugam, & compellentem ad naues. Hoc enim in arte militari peccatum est, vt ibi docet Alexander Piccolomineus: quia nemo militiæ sciens ea diceret, aut facta esse commemoraret, quæ ab vno tantum homine fieri ex arte bellica, & fortitudine militari non possunt. Sed tamen hoc ipsum erratum videtur esse condonandum erranti; quoniam sic magis oblectat, atque in admirationem legentes rapit: qui finis, vt alibi quoque ab Aristotele dicitur, est poëtæ, poëticæque propositus. Hunc locum sic, vt diximus exponendum esse de peccatis in alieno accidentibus artificio, docet Petrus Victorius, & Piccolomineus, quem paulò ante laudauimus. Nec audiendus est Robertellus: qui putauit Aristotelem veniam ijs dare, qui peccant in arte ipsa poetica, & per se. Qui enim fieri potest, vt ij melius assequantur artificij finem, qui in ipso peccant artificio, quod tractant, ac profitentur?

Itaque cum ibi hæc apud Aristotelem legimus. Ac primò quidem si quis aduersus artem peccauit: artem alienam intelligere debemus, non propriam, ac poëticam, à qua vel leuissimè declinare sine graui sapientium reprehensione non licet. Ceterum quia videbatur nimia dari licentia poëtis, si omni liberarentur culpa, cum in aliena facultate suo iudicio, ac voluntate peccarent, veniam illam ijs circumscripsit legibus Arist. vt si propositum consequi finem poëta sine vllo artis alienæ peccato possit, faciendum sibi esse putet, vt errorem illum quoque aduentitium, externumq; subterfugiat. Etenim, inquit, optandum est, vt quoad eius fieri possit, nulla ratione peccemus. Sed tamen ad extremum illud adiungit; peccatum hoc extrinsecus accidens, siue iudicio sit admissum, siue ex ignoratione artis alienæ, siue accommodatius sit ad legentium oblectationem, siue minus accommodatum, semper esse leuius, quàm erratum poëticæ proprium. Vt cum Pindarus, & Callimachus ceruas fecerunt cornutas, peccarunt illi quidem, inquit, sed multò peccarunt minus, quàm si ceruas malè fuissent imitati, nec eas, quod ad reliquas partes attinet, suis coloribus expressissent: id enim poëtæ proprium est, nec in eius artificio desiderari debet.

## DEFENSIO II.

Secunda defensio nascitur ex ijs, quæ in primo posita sunt fundamento. Si enim, inquit Arist. eo nomine reprehendatur poëta, quòd minimè vera narret, atque commemoret, respondere apposité poterit, ita se res exposuisse, vt eas decuit, atque oportuit esse, si decori, perfectiq; ratio sit hadenda. Ita quidem se purgabat in hoc genere Sophocles, cum diceret, personas se tales effingere, quales esse deceret, vt eodem loco ait Aristoteles. Et profectò sic suo fungi debet officio poëta, vt exprimat in vno quoque genere pulcherrimum, hoc est perfectissimas illas rerũ formas, quas Plato appellabat ideas. Si quid igitur in ijs, quę versibus imitatur est vitij, haud secus ac aliquis pictor in artificio callidus, emendabit, & corriget; eaq; ita fuisse finget, vt illæ rerum absolutæ postulant ideæ, quas animo consignatas habet.

## DEFENSIO III.

Tertia defensionis ratio ab eodem ducta fundamento tum præstò erit, cum poëta eo nomine reprehendetur, quòd rationi minimè consentanea finxerit. Responderi quippè potest, ijs de rebus, ita famam, ita vulgarem hominum opinionem, communemq; senten-

tiam

tiam ferre, vt à poëta eas fuisse canitur, ac perhibetur, atque id nominatim dici,& responderi posse ait Aristot. in ijs,quæ præter rationem omnem, ac modum passim,vulgòque de Dijs commemorantur. Nam Plato in secundo, & tertio de legibus Homerum, aliosque poëtas vehementer accusat, quod in Deos ea conferant, quæ scelestissimi homines, ac profligatissimi vix patrare soliti sunt. Et Proclus à Platone discipulus in libro quæstionum Platonicarum, quæstione prima, cuius index est; cur Plato poëtas in suam Remp. non acceperit, affirmat, Homerum multa non admodum honestè mentiri de Dijs; quibus nimirum ea tribuat, quæ mortalium propria sunt. His igitur accusatoribus docet Aristot. responderi debere, ea quæ de Dijs in hominum animos,opinionesq; semel irrepserant, tametsi absurda essent, ac turpia, non fuisse tamen aliter à poëtis exponenda, quàm ab antiquis tradita,& veluti per manus accepta subinde fuisent:laudatque Xenophanis Philosophi Colophonij dictum. Is enim cum eos refelleret, qui nihil vellent de Dijs prodi nisi sanctum, & castum, docere ac respondere solitus erat. At vulgò non ferunt hæc, ἀλλ' οὖ φᾶσι τάδε. Et sanè Philosophi potius veteres accusandi sunt, si quid in eo genere peccatum est: qui dum sapientiam, rerumque scientiam naturalium voluerunt occulere, nec patere omnibus, fabularum,figmentorumq; turpissimorum inuolucris omnia contexerunt: quod argumētum tractauit de industria Simplicius in procemio Cathegoriarum,& Plutarchus in libello de Homero:vbi multis docent, ex Philosophorum occulta, symbolicaq; doctrina huiusmodi narrationes extitisse de Dijs ab ipsorum natura, & maiestate prorsus abhorrentes. Hæc inquam erant, quæ respondebat Xenophanes cum videret eo nomine Homerum reprehendi, quòd multa de Dijs à ratione plurimum aliena tradidisset. ἀλλ' οὐ φᾶσι τάδε. At vulgò non hæc loquuntur de Dijs homines, quæ vos locutum fuisse velletis Homerum.perinde, ac si diceret: ea quæ Homerus de Dijs, quantumuis absurda, & turpia prodidisset, fuisse desumpta ex communi mortalium opinione de Dijs. Itaque concedendum est,vt ait Aristoteles,melius de Dijs dicere,ac sentire poëtas potuisse; sed tamen id etiam est addendum: defensionem ijs idoneam ex illa vulgata, communique hominum opinione suppetere. Id verò sibi voluisse Aristotelem eo loco demonstrabit eius oratio, quæ à Paccio latinè sic redditur. Fortasse enim sic dicere ( hoc est ea de Dijs comminisci) neque meliorem in modum,neque secundum veritatem fuerit: sed tamen ita contingit, vt Xenophanes ait. at vulgò non ferunt hæc. Quibus in verbis perpendendum est accuratè quod dicitur [ neque meliorem in modum.] Dicitur enim in eam gratiam, vt intelligamus hanc à proximè superiore defensionem propterea differre, quòd illa contenderet ita res ef-

fingi ſatius, ac melius fuiſſe;cum ad perfecti formam exactæ ſint ; hæc dat,conceditque,meliora eſſe contraria,quàm quæ finguntur;ſed quia translatitia ſunt,ac per manus accepta, immutari non debuiſſe . Neque enim dici facilè poteſt in quãtam incurriſſet populi offenſionem , qui emendare voluiſſet inueteratas illas de Dijs opiniones.

## DEFENSIO IV.

QVarta defenſio repetitur item à primo fundamento: vbi dicitur, interdum à poëtis tales effingi res, quales verè fuerunt . Exiſtere quippe poteſt accuſatio ſuperioribus omninò contraria. Vt ſi dicatur: eſto:afferat interdum poëtis, vel decorum,& perfecti ratio, velfama,& communis opinio iſtam mentiendi neceſsitatem, interdum tamen errare videntur in ijs, in quibus aliquod apparet inſigne vitium, nec cernimus id quod dicitur eſſe melius , quàm ſi contrarium diceretur. Huiuſmodi ait Ariſtoteles eſſe,quod de Diomedis armis in Iliadis x.canitur ab Homero. Cum enim ſignificare,atque oſtendere vellet , Diomedem vnà cum ſuis humi cubantem ita de nocte dormiſſe,vt tamen haberet omnia parata, expeditaq; ad tuendam ſalutem,ſubitumq; hoſtium impetum propulſandum,dixit,Diomedem ipſum, eiuſq; milites ita collocaſſe lanceas,vt erectæ ſtarent,ima parte humi defixa,atque vt verius dicam inſtrumento quodam incluſa, quod ſpiculorum,lancearumq; recipiendorum cauſa humi figebatur. Ait enim disertè haſtas illas erectas ſtetiſſe ἐπὶ σαυρωτῆρος. Euſtathius autem docet , σαυρωτῆρα Græcos appellaſſe ferrum quoddam excauatum,intra quod,cum eſſet humi defixum,haſtæ, & ſpicula collocabantur;tum vt erecta facilius ſtarent , tum vt ne ima pars haſtarum oblita limo corrumperetur . Si quis igitur Homerum erraſſe dicat , quòd haſtas ita defixas intra thecam illam ferream fecerit , vt quoniam erant refigendæ, illicò in ſubeuntes aduerſarios conuerti non poſſent; ac non potius finxerit in hoſtes iam directas , atque in eam conuerſas partem , vnde illi venturi putabantur ; ſi quis inquam hæc reprehendat , reſpondere nos iubet Ariſtoteles , vſum illum antiquorum fuiſſe Græcorum, quorum Homerus in toto illo poëmate mores effingit . Ea quippè tempeſtate Græci cum haſtas paratas , ac expeditas haberent, ſic,vt à poëta dicitur, habere ſoliti erant: qui mos, inquit, etiam nunc apud Illyricos retinetur . Itaque in hac etiam defenſione dãdum eſt,accommodatius quidem futurum fuiſſe,ac melius id,quod aduerſarij contendunt, ſi ſpectetur res ipſa per ſe ( quis enim non videt,ſpicula in hoſtes conuerſa multò paratiora eſſe, quàm ea,quæ humi ſunt,atque intra thecam defixa ? ) ſed tamen quia vſus earum gentium id fingi à poëta non patiebatur, rem exprimere talem oportuit,

qualis

qualis verè fuit,non qualem esse decuit ex perfecti ratione, absolutiq; præscripto. Non enim propterea poëta prorsus abhorret à vero,quod verosimile illi propositum sit ad imitandum.vtrumq; enim permiscet: sed dicitur tamen propter ampliorem partem,potioremq; verosimile potius sequi, quàm verum.

## DEFENSIO V.

QVinta defensio hæret item in primo fundamento. Habet enim confirmationem quandam rationum,cur aliquid ita fingi, aut commemorari oportuerit, vt à poëta fictum, & commemoratum est. Ait ergo, cum aliquid reprehenditur à poëtis dictum, fictumue perperam,intuendum esse non modò quod dicitur, fingituruè, sed ea, quæ Græcè dicuntur περιστάσεις: semilatinè circumstantiæ:hoc est eum qui agit,aut dicit,eum,cui aliquid dicitur, aut aduersus quem aliquid fit, quando,cui,cuius gratia:veluti boni maioris causa,vt fiat, mali maioris causa,ne fiat. Monet nimirum hæc defensio eos,qui poëtas à criminationibus vindicare voluerint, vt non illa tantummodò spectent,quæ dicuntur, aut fiunt, verum etiam, à quo, cui, quando, cur,& cuius rei gratia dicantur, aganturue. Faciunt enim sæpè loca, personæ, tempora, aliaque rerum genera, quæ ibi persequitur Aristoteles, vt quod alioqui turpe videtur,aut absurdum,honestum, & prudenter excogitatum esse videatur.In tertio Iliad. vt hoc exempli causa dicatur, Menelaus illa quidē impudenter,ac impiè iactat in Iouem.

Ζεῦ πάτερ οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος:

*Iuppiter ò pater haud te est perniciosior vllus.*

Quæ sine dubio essent in Homero reprehendenda, nisi dicerentur à Menelao supra modum irato, ac pene furente. Huc etiam pertinet, quod Aristoteles tradit in secundo Rhetor. de Hygieonte. qui Euripidem idcircò reum fecit, quod in quadam Tragœdia dixisset esse peierandum. A tempore quippe, ac loco suæ causæ purgandæ rationem idoneam sumpsit Euripides apud Iudicem; affirmans, Bacchanalibus id à se fuisse prolatum in scena: perinde quasi diceret, vacare culpa, & reprehensione illo tempore, ac loco debere,quæ cæteroqui non reprehensionem modo, sed pœnam,atque supplicium commererentur. Nihil attinet ceteras peristases exemplis illustrare.notæ sunt ipsæ per se, in primisq; finis, & id cuius gratia aliquid dicitur, aut fit. quod profectò spectandum est plurimum. Sæpè enim aberrare videntur à decoro poëtæ, cum decoro maximè seruiunt. quippe qui multa dicunt,aut comminiscuntur boni maioris gratia, multa vitandi,declinandiq; maioris mali, vt dicitur hic ab Aristotele.

## DEFENSIO VI.

SExta defenſio aggreditur exponere rationes, quæ peti poſſunt à ſecundo fundamento, vbi poſitum eſt, eſſe diligenter inſpiciendas locutionis varias qualitates, ac formas: quæ faciunt ſæpè, vt eiuſdem orationis varijs locis ſententia variet. Affirmat ergo primum Ariſtoteles, id accidere, atque vſu euenire ſæpiſſimè, vt vocabulo poëta vtatur aliquo, quod apud aliam gentem aliud planè ſignificet, quàm quod apud eam notat, cuius lingua ille verſus ſuos, ac poëmata ſcripſit. Iubet ergo linguæ nos vim perpendere, qua poëta in ſcribendo eſt vſus, qui reprehenditur. idque magis exponit, declaratq; tribus omninò ab Homero acceptis exemplis. Primum eſt Iliad. primo; vbi vulgatiſſimæ illius peſtilentiæ Apollinis ira in caſtra Græcorum debacchantis aggreſſus initia commemorare, ait primum ea lue correptos eſſe οὐρῆας. quæ vox vulgò apud Græcos ſignificat mulos. atque ita latinam illam fecere aliqui, qui ſunt Homerum verſibus interpretati.

*Primum lethiferis petijt Deus agmina telis*
*Mulorum, atque canum: tandem diſcrimine nullo*
*Ipſos Argolicos iaculis inuaſit acutis.*

Cum ergo inſimularetur Homerus, quod ſine conſilio, ac propè iocculariter inter animantia, quæ primum ea peſtilentiæ vis afflaſſet, poſuiſſet mulos, reſpondet pro eo cauſam agens Ariſtoteles, defendi Homerum facilè poſſe, ſi non Græcorum tantum, ſed aliarum quoque gentium finitimarum linguam, & vocabula reſpiciamus. Quamquam enim οὐρεῦ Græcis ipſis eſt mulus, alijs tamen gentibus eſt cuſtos: adeoque contendit, Homerum ea voce indicare voluiſſe, non quidem mulos, ſed vigiles, & cuſtodes caſtrorum: qui quoniam ſub dio pernoctant, ac pro foribus excubant, magis erant quàm alij, peſtilentiæ, ac lethiferis illis telis Apollinis opportuni. Et profectò canes, qui ſubiunguntur, hanc maximè probabilem faciunt coniecturam: cum ipſi quoque cuſtodes Regum eſſent, & cuſtodiæ cauſa Heroicis temporibus à Regibus alerentur, haberenturq; perdiligenter. Idcircò in Odiſſ. libro ſecundo Telemachum in concionem euntem comitantur δύο κύνες ἀργοί duo canes curſu celeres, ac veloces. id quod in Euandro Virgilius expreſſit Aeneid. viij.

*Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto*
*Procedunt, greſſumq; canes comitantur herilem.*

Nam quemadmodum vigiles illi, excubitoreſq; pro portis, omnium militum maximè erant expoſiti peſtilentiæ, ſic inter alias animantes, ac mutas belluas canes omnium primi corripiendi fuerunt, qui caſtrorum oſtia, ipſorum Regum, ac Principum tentoria, dies, no-

ctesque

ctesque tuebantur. Rectè igitur Homerus de pestilentia.

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς :

*Custodes primum inuasit, celeresq; molossos.*

Secundũ exemplum petiuit ex Iliad. x. vbi de Dolone ait Homerus.

Ὅς δή τοι εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης :

*Turpis erat specie: plantarum at robore pernix.*

In quo quidem idcircò peccare videtur, quòd cum εἶδος acciperetur vulgò pro forma totius corporis, omniumq; structura membrorum pugnantia loqui videbatur, cum diceret, eum cursu velocem, summaq; pedum esse præditum pernicitate, quem ante dixisset, habere turpem formam, hoc est totius corporis habitudinem, constitutionemq; membrorum prauam, ac vitiosam. Volunt enim cursores celerrimi compositionem corporis egregiam, singularemq; membrorum omnium symmetriam, ex qua existit agilitas, vt docet Aristoteles ipse in secundo Rhet. Sed huic criminationi Aristot. hic occurrit, affirmans eam vocem εἶδος non sic interpretandam esse, quemadmodum vulgò vsurpabatur, sed ex consuetudine, vsuque Cretensium, qui cum aliquid appellant εὐειδὲς id intelligunt, quod pulcram, elegantemq; faciem habet. Quare dempta particula εὖ, separatum, abiunctumque vocabulum εἶδος nihil aliud erit apud Homerum eo loco, nisi facies, significabitque, Dolonem turpi fuisse, prauaque facie, non enormi, deformiq; corpore; atque vt loquitur Aristoteles ἀσυμμέτρῳ. Iure igitur addere potuit ἀλλὰ ποδώκης. sed pedibus velox, quia fieri facilè potest, vt turpi aliquis facie sit, sed membrorum tamen habeat conuenientiam optimam, & symmetriam. Tertium exemplum assignatur in Iliad. ix. vbi Vlyssi, & Phoenici à Græcorum Principibus ad placandum Achillem allegatis Patroclus eiusdem Achillis iussu conuiuium parat. Inducit enim Achillem Homerus imperantem Patroclo, vt legatis illis in conuiuio præbeat ζωρότερον.

Μείζονα δὴ κρατῆρα Μενοιτίου υἱὲ καθίστα,
Ζωρότερον δὲ κέραιρε, δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.

*Maiorem nobis statues cratera Patrocle,*
*Vinaq: miscebis generosa meracius, atque*
*Vt sua cuique adsint curabis pocula prompta.*

Ita latinè reddidit hos versus aliquis; ratus ζωρότερον esse vinum merum, siue meracius. Id quod sanè vox illa vulgò significat. Sed Aristoteles docet, aliam eo loco illi vocabulo subiectam esse notionem; & Homerum à Zoili calumnia vindicandum esse, qui dicere solitus erat, non debuisse propinari hospitibus illis vinum meracius tãquam ebriosis, & vinolentis. liberandum, inquam, Homerum ab ea criminatione docet, quod ζωρότερον ibi non pro vino meraciori positum sit, quo delectantur ebriosi, quemadmodum vulgò ponebatur ab alijs;

sed

ſed pro comparatiuo, ſiue pro aduerbio, celeritatem, & feſtinationem ſignificante. ſic inquam, vt iubeat Achilles dari conuiuium legatis ζωρότερον, celerius, & feſtinantius. καὶ τὸ ζωρότερον δὲ κέραιρε. οὐ τὸ ἄκρατον ὡς οἰνόφλυξιν, ἀλλὰ τὸ θᾶττον, inquit Ariſtoteles. quaſi dicat, & cum dicitur ζωρότερον præpara, ſiue præbe, ac propina, non iubetur præparari meracius vinum, quod proponitur vinolentis, ſed conuiuium adornari feſtinanter, ac citò: quod legatis ſubito in tentorium introgreſsis erat celeriter exhibendum.

## DEFENSIO VII.

SEptima defenſio ponitur in metaphora. Nihil enim eſt apud Poëtas frequentius, quàm vt id, quod abſurdum alioqui videbatur, beneficio tamen translationis dicatur appoſitè. Quatuor hoc Ariſtoteles explicat exemplis, accerſitis item ab Homero. Primum eſt in Iliad. ſecundo, in exordio, quod aliqui latinitate ſic donant.

*Altera turba Deum, noctem, populiq; Pelaſgi*
*Per totam placido mulcebant corpora ſomno.*

Si enim dicat aliquis imprudenter, & ſtultè cani, Deos totã noctem dormire, qui dormiant numquam, confugere nos docet Ariſtoteles ad metaphoram. Poëta quippe cum ſignificare vellet, non homines modò, ſed Deos etiam eo tempore ceſſaſſe, non potuit aliter Deorum exprimere quietem, niſi ducta ſimilitudine à quiete mortalium, quam cognitam habebat. Eadem defenſione Virgilium facilè tuearis cum de Ioue nõ dubitat dicere. Oſcula libauit Natæ. Olli ſubridẽs, &c. Humana quippe metaphoricè transfert ad Deos: quia cum hominibus eſse ſibi ſermonem intelligit, qui de Dijs nihil informabant animo, niſi quòd è rerum humanarum expreſſum ſimulacris intuebantur. Secundum exemplum eſt in Iliad. x. de Agamemnone. qui grauibus conflictabatur curis, nec vt reliqui Duces ſomnum oculis capere poterat, adeoque dicitur ab Homero de multa nocte campos reſpicere, ac contemplari Troianos.

*Siue hinc in campum Teucrorum lumina vertat.*

Si quis igitur hoc etiam irrideat, quod Homerus eum faciat videntem intempeſta nocte, atque inter tenebras Troianum campum, reſpondere oportebit, id dici per translationẽ: vt intelligas non quidẽ oculis Agamẽnonem eum campum aſpexiſſe, ſed animo & cogitatione. Ducum enim eſt, & eorum, qui populis præſunt, de nocte, ac tum etiam cum ceteri ſomnum capiunt, cogitare de hoſtium conſilijs, eorumque copias, ac vires animo reputare. Tertium exemplum ex eodem omninò ſumptum eſt loco. vbi confirmat Homerus, vehementiſſimè commotum Agamẽnonem eſſe, audientem fiſtularum tibiarumq;

ſonum

ſonum in Troianorum caſtris, cum interea Græcorum ceteri dormirent omnes. Poteſt enim aliquis dicere, non eſſe credibile, omnes tum in tam magno exercitu dormiſſe, ac neminem, ſi Agamemnonem excipias, vigilaſſe. Reſpondendum itaque cenſet Ariſtoteles, omnes ibi poni pro multis; cum omne nihil aliud ſit, quàm aliquid multum. Quartum exemplum eſt in Odyſſ. v. vbi dicitur Vlyſſes intentus nauigationi, cœlum, ac ſidera reſpicere, aliaque obire officia ſolertiſſimi gubernatoris. Ait igitur Homerus eo in loco ſolam Vrſam non occidere, illud ſidus vnum Oceani fluctibus haud lauari. quod Virgilius imitatus ita circumſcripſit amplius.

*Arctos oceani metuentes æquore tingi.*

Hic etiam exiſtere aliquem poſſe Ariſtoteles autumat poëtæ reprehenſorem, accuſantem, arguentemq;, quòd ſolam Vrſam expertem occaſus dixerit, cum tamen id in alia quoque ſidera, quæ in eodem Arctici poli circulo ſunt, vbi locantur Vrſæ, cadere, ac conuenire perappoſitè queat. Ergo rationem ſoluendi nodi petit ſimiliter à metaphora. reſpondet enim voluiſſe poëtam ſignificare, inter clariſſima, & notiſſima nobis ſidera Vrſam vnam eſſe, quæ non tingatur oceano: alia ſi qua ſunt, quæ non occidant, & mergantur, obſcuriora eſſe, atque ignobiliora. Illud enim, inquit, quod notiſſimum eſt, vnicum, & ſolum dicimus: τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον: translatè nimirum, & per comparationem cum alijs: quæ quia non ita ſunt nota, perinde putantur eſſe ac ſi non ſint.

## DEFENSIO VIII.

OCtaua defenſio ab accentus ratione deſumitur. qui cum mutatur, dici vix poteſt, quam variam, apud Græcos præſertim, ſententiam iiſdem vocibus tribuat. Exemplum Ariſtot. proponit apud Homerum in Iliad. libro ſecundo, & ſapientiſſimum poëtam à maxima liberat calumnia, quam ei Plato prudentiſsimus alioqui Philoſophus imponit in ſecundo de Rep. Cum enim eius initio libri ij. Iliad. Iuppiter ad Agamemnonem Somnium allegat, vt Ducem illum Græcorum deludat falſis victoriæ promiſsis, eidem præcipit Somnio, vt Agamemnonem ad arma concitet, & peramplã illi polliceatur è prælio gloriam, ex quo plagam erat relaturus inſignem. Præcipit autem hæc Iuppiter, quòd Achillem ornare velit; atque oſtendere, quantum eſſet in eo momenti, ſi pugnaret, quantum ſi pugnam detrectaret, incõmodi. Sic enim ibi canit Homerus ex interpretatione quorundam.

*At non vlla quies dulci comitata ſopore*
*Lumina Rectoris magni ſubigebat Olympi.*
*Ille ſed intento varios in pectore motus*

Volue-

*Voluebat, qui nam læsum decoraret Achillem*
*Multorum fuso Graiorum sanguine, iuxta*
*Naues Argolicas, Sigeo in littore. tandem*
*Hæc alternanti potior sententia visa est:*
*Regem mendaci deludere imagine noctis.*
*Quam Pater aligeris compellat vocibus vltrò.*
*Vade comes somni citò sumptis labere pennis*
*Argolicam ad classem, & Regis tentoria quære:*
*Cui mea iussa memor referes ex ordine cuncta.*
*Indutos armis populos dic nempe Pelasgos*
*Educat properè castris ex omnibus actos:*
*Nunc etenim capiet perituræ mœnia Troiæ.*

Hoc inquam in loco inuehitur in Homerum Plato, quòd Iouem induxerit deludentem mortales, fallentem, ac mentientem. Nihil enim ait à Dijs alienius esse, quàm decipere, ac mentiri. Quin ante Platonem ipsum hoc nomine reprehensum Homerum fuisse, videtur docere hic Aristoteles; cum subiungit, Homeri patrocinium fuisse susceptum ab Hippia Thasio, Philosopho graui, ac poëtarum Principis amantissimo. Quam tanti viri tutelam si vidissent aliqui, non sustulissent, inquit Petrus Victor. ab Homero versum illum, cuius dimidiati partem profert hic Aristoteles. Putarunt enim mentiri, ac falsa polliceri, tam indignum esse Ioue, vt maluerint eam orationem mentientis Iouis inducere, ac tollere, quàm cum Homeri dedecore retinere. In eo enim versu illud erat. δίδομεν δέ οἱ. damus verò. videbatur Iuppiter dicere, nos illi victoriam, aut gloriam amplissimam damus. Sed vbi nam posita sit illa defensionis ratio, quam ab accentus variatione petiuit Hippias Thasius, videndum nunc est diligẽter. Robertellus, Victorius, & Madius eam ponunt in articulo οἱ, contenduntq; hunc articulum οἱ pluralis numeri referri posse ad Iouem loquentem, & Deos, ac significare nos: sic inquam, vt dicant οἱ δὲ δίδομεν. nos verò damus victoriam &c. sed eundem articulum si circumflexum aspero spiritui accentum imponat hoc modo, οἷ. pronomen fieri, ac significare αὐτῷ. Hippias ergo Thasius, inquiunt, vindicauit Homerum ab omni planè calumnia: docens, esse illi articulo circumflexum accentum imponendum, vt intelligamus, non solum Iouem dicere: Nos damus gloriam, victoriamue; sed ipsi Agamemnoni damus. Ita dicunt hi, atque alij quidam ipsis antiquiores. quorum doctrina irrepsit etiam in Aristotelis Codicem latinè redditum ab Alexandro Paccio. vbi sic legas. οἱ enim articulus est: cui si circumflexum addideris accentum, pronomen, sibi, significat. quæ verba in Græco Codice non sunt. Sed errarunt quicumque sic sunt arbitrati: & errarunt quidem duplici nomine. primum, quia cum articulus οἱ pronomen, sibi, vel ipsi, significat, significat

cat autem sæpiſsimè apud poëtas, non aſſumit accentum circumflexum. nec aliud, niſi vnum profertur exemplum ex Homero in Iliad. ϖ. vbi articulus οἱ circumflexum adſciſcat accentum. & in eo tamen exemplo mendum eſt, vt licebit cernere ijs, qui bonos codices conſulere volent.

Secundum iſtorum erratum in eo poſitum eſt, quod quamuis hic articulus ex accentu addito pronomen fieret, & ſignificaret, ipſi, non propterea tamen mutaret ſentẽtiam eorum verborum, nec Homerum iuſta reprehenſione liberaret. Non enim mentitur minus Iuppiter cum dicit Nos (Dij videlicet omnes) victoriam damus, quàm cum ait, ipſi, hoc eſt Agamemnoni, damus victoriam. Sequamur ergo ductum, ac lucem Aphrodiſienſis Alexandri: qui in libro Elenchorum primo ſingulariter hunc locum illuſtrat. Contendit enim, accentus illam mutationem non in articulo οἱ ſed in verbo δίδομεν excogitatam fuiſſe ab Hippia, docente nimirum, eſſe legendnm διδόμεν, accentu in ſyllabam penultimam tracto, qui erat in antepenultima, ſiue in prima; & retinendum eſſe articulum οἱ ſine accentu, ſignificantem, ipſi, quemadmodum communis vſus, & conſuetudo eſt. Quæ mutatio ſententiam eorum verborum immutat incredibili modo. cum ponatur διδόμεν pro διδόμεναι Doricorum more, vt ibi tradit Alexander. Dorici enim quemadmodum infinito addebant ſæpe ſyllabam initio, vt in ἔναι ἔμμεναι, ſic interdum amputabant vltimam, & ex διδόμεναι faciebant διδόμεν. Hæc, inquam, accentus ex vno loco in alium tranſlatio mirum quantum illorum verborum immutet ſententiam. quia cum Iuppiter Somnium alloquens dicit διδόμεν δέ οἱ, non dicit affirmatè, damus illi victoriam, ſicut dicebat cum accentu priori δίδομεν δέ οἱ. ſed imperat Somnio per infinitum διδόμεναι, ſiue διδόμεν, vt denunciet conſecuturam victoriam hoc modo. Dic dare illi victoriam. ſiue iubeo, te dare illi victoriam. Id quippe nullam inurere Ioui mendacij notam videtur: cum in ea pollicitatione perſonam ipſe non interponat ſuam, ſed imperet tantummodo ſomno, vt polliceatur Agamennoni victoriã, quem verè ob iniuriam Achillis erat affecturus ignominia, & clade grauiſſima. Similis eſſet apud Latinos fortaſſe locus ambígui in relatiuo qui, ſi abſque accentu, aut aliqua nota ſcriberetur, cum ponitur pro quo modo.

## DEFENSIO IX.

NOna defenſió conſtituitur in orationis partitione varia, ſiue in interpunctione membrorum; quæ ſi mendoſior in ſcriptura, vel pronunciatione ſit, orationem ipſam plus nimio perturbat, immutatq; ſententiam. Huius exemplum rei demonſtrat Ariſt. & ex Empedoclis

pedoclis loco ea tempeſtate percelebri. vbi Phyſicus ille rerum naturalium initia litem,amicitiamq; faciebat:ex quibus videlicet extitiſſet,lite dominante, rerum omnium in vniuerſitate compoſitio . Sic enim ipſe arbitrando decreuerat ; in longo illo certamine,ac confuſione, quam Chaos antiqui dixerunt, ita demum initam amicitiam eſſe, vt omnia confunderentur tamen,& miſcerentur;gignereturque aceruus quidam rerum, qui eſſet immortalis,diuinamq; naturam haberet. poſtea verò motu in contrarium verſo, lite iterum gliſcente, diſtincta omnia,ac ſeparata fuiſſe,quæ ſic miſta, coaceruataq; illo cumulo tenerentur . Itaque à lite primùm aggrediebatur Empedocles ipſa rerum initia retexere , deinde ad amicitiam illam inchoatam , imperfectamq; veniebat.tum iterum ad litem reuertebatur,quæ dirimeret omnia , ſecerneretque ; vt poſtremò ſuis diſpoſita locis amicitia quadam incredibili necterentur . Cum igitur hæc Empedocles ita canit , vt expoſuimus , ea vtitur oratione, quæ niſi interpungatur appoſitè,videbitur alia omnia ſignificare, quàm quæ ille decreuerat ; hoc eſt,miſta,& compoſita corpora fuiſſe rerum initia , & ea elementa,quæ pura & ſimplicia corpora nominamus . Hæc autem orationis perturbatio naſceretur ab aduerbio πρὶν , niſi per interpunctionem ab alijs ſepararetur vocibus, & cum ea iûgeretur,quæ corpora pura, & ſimplicia ſignificat. ζωράτε τὰ πρὶν , & pura corpora prius fuere .

## DEFENSIO X.

Decima defenſio explicat amphiboliam , ex qua naſcitur accuſatio. Producit item Ariſtoteles exempli cauſa locum Homeri ex Iliad. x. παρῴχηκε δὲ πλέον νύξ . Plurima præterijt nox . vbi nulla profectò eſt amphibologia,niſi videamus ea,quę conſequuntur. Vlyſſes eo loco Diomedem hortatur,ac ſocios , vt quoniam ire ad exploranda Troianorum caſtra decreuerant , maturarent iter antequam omninò præteriret nox,cuius duæ iam exactæ partes eſſent , reſtaret tantummodò tertia .

Α'λλ' ἴομεν: μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται: ἐγγύθι δ' ἠώς:
Α'ςρα δὲ δὴ προβέβηκε: παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ
Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἐπι μοῖρα λέλειπται :

Quorum ſententia verſuum ita referri propemodum poteſt.

*Sed properemus: abit nox,atq; aurora propinquat.*
*Aſtra receßerunt ; fugit nox plurima, noctis*
*Nempè duæ partes : ſed tertia tota relicta eſt:*

In his ergo verſibus alicui videri poteſt abſurdi aliquid eſſe ex verbo πλέων , ſiue πλέον . nam apud Homerum ſcribitur per ω. apud Ariſtotelem per ο.Sed quia Græcis vtrolibet modo ſcriptum,idem eſt,at-

que id, quod apud Latinos dicitur amplius, aut plus; nihil attinet hìc de ſcripturæ vitio laborare. Videbitur autem aliena, atque incommoda ſententia, ſi πλέων referatur ad initium verſus inſequentis, τῶν δύο μοιράων per comparationem; ſic inquam, vt ſignificet, ex nocte, plus, quam partes duas, aut plus duabus partibus præterijſſe, πλέων τῶν δύο μοιράων. Genitiuo enim vtuntur Græci pro caſu ſexto. Erit, inquam, hoc ineptum & pugnans cum reliquis, ſi ſic interpretandum ſit. Neq; enim reliqua eſſe poteſt noctis tertia pars, ſi plus quàm partes duæ iam præterijt: cum id quod plus eſt, quam partes duæ, aliquid habeat etiam ex tertia parte. Soluitur ergo. inquit Ariſtoteles, hic nodus, ſi ſpectetur amphibolia: dicaturque id ſibi velle Homerum, cum ait, παρῴχηκε πλέων νύξ τῶν δύο μοιράων, plurimum noctis iam tranſiſſe: duas nimirum partes: ſine ſyntaxi comparatiua. ita vt πλέων νὺξ ſit plurima nox, ſiue plurimum noctis. perinde ac ſi planius latinè diceremus. Id quod in nocte plus eſt, præterijt: id verò quod in nocte plus eſt, & iam præterijt, duarum partium eſt, ſiue duabus omninò partibus continetur. Hæc ita docet Ariſtoteles. Apud Latinos amphibolia nobilis eſt in illo Ennij verſu.

*Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.*

Aliæquae ſunt plurimae à Quintiliano diligenter expoſitae in libro ſeptimo capite nono.

## DEFENSIO XI.

Vndecima defenſio ſita eſt in vſu communi alicuius dictionis, aut formæ loquendi. Quo ex loco defendi poſſe ait Ariſtoteles id quod vulgò dicunt: Ganimedem adminiſtrare κεκραμένον, hoc eſt vinum, aqua dilutum Ioui: qui nectar, vt dicitur in fabulis, non vinum bibit. Ait inquam id defendi poſſe propter conſuetudinem vſumque ſermonis: quia quicquid bibitur, appellari vulgò videtur κεκραμένον, miſtum, ſiue vinum dilutum. Quæ vetus conſuetudo tantum valuerat, vt ne de Iouis quidem poculo aliter loqui voluerint homines; rati, omnes intelligere nectar cum audiunt Iouis poculum dici κεκραμένον Locum item Iliados xj. hoc defenſionis genere tuetur Ariſtoteles: vbi Achillis ocreæ ſtanneæ dicuntur, quas æreas fuiſſe, aut ferreas certò ſcimus. Vidiſſe quippè Homerum, ait, vulgò ſtannum poni pro aere, ac ferro. Principio enim homines ſtanneis fortaſsè vti cœperunt armis: quæ poſtea etiam inuento aere, ac ferro, ſtannea vulgò, antiquo illo retento vocabulo, dicebantur.

## DEFENSIO XII.

Dvodecima verſatur in verbo, ac vocabulo multiplicis variæque ſignificationis. Cum aliquod verbum, inquit Ariſt. aut vocabulum

bulum apud Poëtas offendes, quo contraria planè declarari sententia videtur, illique prorsus aduersa, quæ conuenit in rem, diligenter est videndum, an verbum illud multa, eaque inter se distracta significet, ex quibus vnum facilè sit, quod cadat in rem, qua de agitur, aptè, & congruenter. Vt apud Homerum Iliad. xx. ἔσχετο, si accipiatur pro hæsit, sententia non congruit rei, de qua sermo est: sin autem, quoniam vtrumq; significare potest, ἔσχετο positum intelligatur pro vetuit, aut prohibuit, optimè, atque accommodatissimè congruet. Loquitur enim poëta de Achillis clypeo cum Aenea pugnantis, qui quidem clypeus progredi vetuit hastam Aeneæ trans moras, & laminas aereas septemplicis orbis. Locum illum ita vertit in latinū Nicolaus Valla.

*---------- Aeacides vmbonem protulit vltro,*
*Ne forsan corpus lædat penetrabile telum.*
*Demens: qui Diuum violari munera credit*
*Mortali sic posse manu. non transijt hasta*
*Magnanimi clypeum Aeacidæ: sed tegmine primo*
*Constitit, inq; orbem vix est emissa secundum.*

Constitit] hìc Interpres reddidit, quod non abhorret ab Aristotele, qui cum admonuit ἔσχετο non esse hæsit, sed vetuit, significare sine dubio voluit, hastam Æneæ non sic hæsisse, vt penetrarit penitus in clypeum septemplicem, omnesq; perfregerit laminas, & Achillem vulnerauerit, sed in primo tegmine constitisse, nec vltra progressam esse. Ex huius ignoratione defensionis ait Robertellus errare Lambinum, qui cum vidisset Horatium dicere [locus est & pluribus vmbris] existimauit eum loqui de cœnaculis vmbrosis, & alsiosis, cum verè de parasitis, deque ijs, qui captant alienas cœnas id ille sic dixerit.

## DEFENSIO XIII.

TErtia decima propulsat criminationes à præiudicata quadam opinione profectas. quod patrocinij genus excogitauit Glauco Teius, vt docet Arist. Is enim admonebat, vt in poëtarum defensione videremus, vtrum certo aliquo niterentur firmamento reprehensores, an sua tantum ipsorum opinione præiudicata ducerentur ad rem improbandam aliquam, in qua præsertim hominum sententiæ variant. Huic loco lucem affert Aristoteles ex Odyss. secundo. vbi Homerus Icarium Penelopes patrem fuisse docet. & ex Odyss. iv. vbi Telemachum Penelopes filium Lacedæmona facit euntem ad Menelaum Regem è bello Troiano reuersum; vt de Vlysse parente ab eo percōtaretur. Cum enim hæc ita disposita viderent aliqui, putarentq; prorsus Icarium illum Penelopes parentem fuisse Lacædemonium, Homerum incusabant, quòd sibi parum in ea peregrinatione Telema-

chi

chi constaret, cum eum accedentem Lacedæmona, atque in Vrbem illam ingressum, non finxerit hospitio acceptum fuisse ab auo materno Icario, aut ad eundem auum salutandum ex itinere saltem, atque ab hospitio Menelai diuertisse. Sed Aristoteles aduersus istos ita defensionem adornat. ait eos attulisse ad damnandum Homerum aliquid præiudicati in re maximè dubia, & controuersa. Sic enim in animum induxerant suum, Icarium esse Lacedæmonium, vt aliter hoc se habere non posse existimarent: sed fallebantur. Nam Cephalenij vulgò prædicabant, Icarium suum ciuem esse, non Lacedęmonium: adeoque Vlyssem è sua ipsorum Insula Penelopem ab Icario traditam in connubium Ithacam adduxisse; Icadiumq; appellatum ab Homero fuisse, non Icarium. Ita prorsus Aristoteles hoc, atque his verbis docet. Hoc autem fortasse, inquit, ita se habet, vt Cephalenes dicunt, qui duxisse apud se vxorem Vlyssem affirmant: Icadiumq; esse non Icarium. Horum igitur Homerus opinionem secutus ita Telemachum iter illud habentem commentus est, vt ad auum salutandum diuertẽtem non fecerit, qui Lacedæmone non esset, & appellaretur Icadius, non Icarius. Quare adiungit Aristoteles, hoc non esse peccatum, sed verisimile problema. δι᾽ ἁμάρτημα δὲ τὸ πρόβλημα εἰκός ἐστιν. propter erratum autem problema fit verosimile. Ponit enim problema pro obiectione, vel criminatione eorum, qui rati, patrem Penelopes esse Icarium Lacædemonium, accusabant Homerum. Itaque propter eorum errorem, inquit, videtur obiectio, & criminatio verisimilis, cum falsa sit. Ita locum hunc Madius interpretatur. & rectè. Nam si pater Penelopes est Icarius Lacedæmonius, criminatio probabilis est; sin minus, Homerus accusatur iniuria.

## DEFENSIO XIV.

QVarta decima purgat, & tuetur item ea, quæ rationi videntur aduersari. Græcè dicuntur ἄλογα. Purgari autem hæc, & defendi posse ait Aristoteles, si respondeamus, à ratione aliena non esse: quia credibile est, multa fieri re ipsa, quæ nos fieri non posse existimamus. Quantum attinet, inquit, ad ea, quæ præter rationem esse dicuntur, respondendum est, præter rationem non esse, quia verisimile est, accidere, atque effici aliqua, contra quàm fieri posse credibile, ac verosimile sit. Hoc nimirum eget patrocinio id quod de Oedipo legimus apud Sophoclem. ponit enim poëta ceteroqui sapiens Oedipum ignorasse Laij cędem à se factam. In quo si culparetur, quasi finxisset aliquid præter rationem, ac fidem, probaret facilè causam suam, affirmans Oedipo semel accidisse, quod vix vlli accidit aliquando.

## DEFENSIO XV.

QVinta decima, multa tradit, ac varia præsidia à modis illis, rationibusq; petita, quæ ſophiſmata ſoluunt, & Elenchos apud Dialecticos. Nam ad explorandum, vtrum aliquid iure Poëtis obijciatur, videndumq; num ipſi pugnantia loquantur, perpendere oportere, ait Ariſtoteles verba, & quod verbis ſignificatur; eo planè modo, quo perpenduntur in ſoluendis captionibus Sophiſtarum. Rationem autem hanc explorandæ, ac perpendendæ captionis affirmat in tribus eſſe poſitam quæſtionibus, ac punctis. an idem, an ad idem, an eodem modo. Cum enim aliquam in ijs, quæ dicuntur videmus eſſe repugnantiam, perquirere ſedulò ſolemus, an idem ſit re, quod nomine videtur idem: an ad idem referatur, eodemq; conſilio, ac ratione tractetur: an eodem modo, ijſdem locis, ac temporibus dicatur, & fiat. quæ qui diligenter obſeruatèq; conſiderat, facillimè præſtigias impoſtorum eludit, vt docetur pluribus, ac de induſtria in Topicorum primo, atque in ſecundo Rhetoricorum ſub finem.

## DEFENSIO XVI.

PRopoſitis hiſce defenſionũ generibus, ac locis, poſtremò, ad claudendum agmen duo ſubſtituit generalia monita multis ſanè frangendis accuſationibus opportuna. Primùm eſt: oportere, cum Poëta certo aliquo loco damnatur à Criticis, intueri diligenter, quid alibi dixerit: & ex eo demonſtrare, non potuiſſe Poëtam id ſibi velle, quod ei imponit aduerſarius, niſi ſecum ipſe pugnare voluiſſet. Sic enim Victorius Ariſtotelis illa verba interpretatur [ſicuti dicentem ipſum ad ea, quæ ipſe dicit] vt iuberi velit, dicentem ipſum, hoc eſt, Poëtam referri ad ea, quæ alibi dicit, & cum ijs comparari quod obijcitur. Nam niſi cum illis congruat, credibile non eſt, id ſibi Poëtam velle, quod inſtituto ſuo contrarium ſit. Secundum: videndum eſſe vtrum poëta ſequatur in ea re, cuius accuſatur, alicuius hominis docti, prudentiſq; iudicium; atque vt ipſius vtamur Ariſtotelis verbis, an dicat ea, quæ prudens aliquis pro compertis poneret, & vera eſſe putaret. Vt enim Dialecticus, quod docet idem Philoſophus primo Topicorum, non modò probabilia ſequitur, hoc eſt ea, quæ in communi hominum vulgariq; opinione poſita ſunt, ſed etiam ea, quæ ſapientium, aut plurimorum, aut paucorum, interdum etiam vnius ſententia comprobantur, ita poëta amat quidem optatq; plurimum opiniones rerum communes, & peruagatas, ſed tamen interdum ſibi ſumit etiam id, quod viris tantummodò ſapientibus, aut omnibus, aut multis, aut

etiam

etiam eorum alicui placet. Sæpè adeò videmus aliquid poëtas canere à vulgaribus hominum opinionibus alienum, ac singulare; sed quod ab aliquibus tamen probatum sit. Quin Plutarchus enumerat huiusmodi recondita, & singularia nonnullorum placita propemodum infinita: ostenditq; Homerum varijs in locis esse secutum singula. Hæc præsidia, hi loci mihi suppeditantur ab Aristotele ad Virgilij libertatem asserendam, euadendumq; ex ambagibus, quas acutum aliquorum inuoluit ingenium. Quæ quidem non idcircò sic explicatè proposui, quod ex eo solùm capite xxiij. accersere velim defensiones, cum in Aristot. tota poëtica suppetant plurimæ: sed quod hæ sint maximæ, & eæ, quas dedita opera colligit, ac suggerit optimus auctor patronis, ac tutoribus poëtarum. Intrabo itaque penitus in causam, certissimum tanto duce reditum habiturus.





# LIBRI AENEIDOS PRIMI LOCVS PRIMVS.

## *DE GERMANO VEROQVE Virgiliani Operis initio.*

### Ille ego qui quondam , &c.



OTERAT hic locus à me facilè præteriri, qui tractatus à multis est; nec tàm Prætorem, & dantem vindicias Aristotelem, quàm Quæsitores postulat, Iudicesq; Grammaticos veteres. Sed placet hæc etiam attingere, quæ leuiori iudicio dirimi possunt: nec aditum hunc declinandum existimaui, quem vnusquisque legentium esset in opere desideraturus. Dubitatum ergo iam olim est à doctis, atque intelligentibus viris, num hoc verè sit initium Aeneidos:

*Ille ego, qui quondam:*

An illud, quod in omnium ore versatur.

*Arma, virumq; cano.*

Sunt, vt breuissimè faciam, qui posterius hoc, Aeneidos verum, & germanum initium esse pugnacissimè velint, superioresq; versus appositos fuisse contendant, atque suppositos. Habent hi subscriptorem Iosephum Scaligerum in Propertij Commentarijs, habent causas sic arbitrandi non contemnendas, ab antiquorum auctoritate repetitas: qui explanatissimè docere videntur initium Aeneidos Virgilianæ fuisse.

*Arma, virumq; cano.*

Nam primò quidem Vegetius libro ij. cap. 1. Res militaris, inquit, sicuti Latinorum egregius auctor carminis sui testatur exordio, armis constat, & viris. Martialis deinde libro viij. sic de Virgilio canit.

*Pro-*

*Protinus Italiam concepit, & arma, virumq;*
*Qui modo vix Culicem fleuerat ore rudi.*

Et in libro xiv.

*Accipe facundi Culicem studiose Maronis*
*Ne nugis positis, arma, virumq; legas.*

Ouidius item in tertio de Tristibus hoc haud dubiè significauit initium esse, cum dixit.

*Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor*
*Contulit in Tyrios arma, virumq; thoros.*

Persius verò ipse in Satyra prima ex vani cuiusdam, ampullantisq; poëtæ persona, qui Virgilium quoque tumidum esse contenderet, ita de huius operis exordio loquitur.

*Arma virum. nonne hoc spumosum, & cortice pingui?*

Voluit enim initio tantùm indicato, totum poëma significare, vt Latinis scriptoribus vsitatus est mos. Nam Cicero ipse ad Atticum libro xvj. epistola xj. ex primis exordij verbis libellum suum de senectute intelligi vult. ò Tite tibi prodesse lætor. hoc ex libro meo de senectute. & eodē libro epistola iij. Quod verò scribis te magis delectari ò Tite, addis alacritatem. Ad hæc in libro de finibus primo, eodem plane modo Ennij Medeam laudat, indicato principio. At vtinam ne in nemore nihilo minus legimus, quàm hoc Græcum. Erat enim eius initium Tragediæ. [at vtinam ne in nemore Pelio.] His accedit Ausonius Gallus: qui Grammaticum sibi vicinum irridens, cui coniux esset clamosa, & iurgiosa, ait initium Aeneidos ab eo ludi magistro subinde repetitum, iteratumq; sæpissimè.

*Arma, virumq; docens, atque arma, virumq; peritus*
*Non duxi vxorem, sed magis arma domum.*
*Namq; dies totos, totasq; ex ordine noctes*
*Litibus oppugnat meque, meumq; larem.*
*Atq; vt perpetuis dotata à Marte duellis*
*Arma in me tollit, nec datur vlla quies.*
*Iamq; repugnanti dedam me, vt deniq; victum*
*Iurget ob hoc solum, iurgia quod fugiam.*

Denique Quintilianus libro xj. cap. viij. hoc initium Aeneidi fuisse haud obscurè testatur, cum rationem docet pronunciationis. obseruandum etiam, inquit, est quo loco sustinendus, & quasi suspendendus sit sermo, quo deponendus. Suspenditur, Arma virumq; cano: quia illud virum ad sequentia pertinet. De huius auctoribus initij diximus.

Alij sunt, qui retinere mordicus velint [ Ille ego qui quondam &c. confirmantq; illos etiam versus in exordio ipso positos ab auctore. Vt autem facilè respondere queant tam multis veterum testimonijs, quæ proferuntur, historiam retexunt antiquam, & quidem huiusmodi.

Virgilio vita iam functo, aiunt, eius poëmata permissa fuisse arbitrio Tuccæ, ac Vari. hos autem audacius, quàm res, & ratio voluisset, verum illud initium amputasse; ratos, in ipso totius operis vestibulo esse oportere carmina cõspectiora, & ea potissimum, quæ maiorem cum Homerica Iliade similitudinẽ essent habitura. Ita quippè Iliad. initio.

*Dic Dea pestiferam Pelidæ Principis iram.*

Aeneis illi esse similis videbatur, si exordiretur ab eo cantu, quem sibi poëta planè dilucidèq; proponit.

*Arma, virumq; cano.*

Quare nullo negotio diluunt hi quicquid obieceris. Concedunt enim, ac facilè dant, temporibus etiam illis antiquis initium Aeneidos vulgatissimum fuisse: [Arma virumq;] sed illud dicunt fuisse, quod Tuccæ Varoque placuit, non quod à Virgilio factum poëmati fuerat. Cum enim ab ijs Censoribus subductum fuisset verum: Ille ego qui quondam: substitutumq; Arma virumq;, Grammatici omnes, & quicumq; principium Aeneidos nominabant, Arma virumq; cano, ponebant esse, veluti rem compertam, & exploratam.

Horum sententiam qui sequi volent, habent opponere Iosepho Scaligero Iulium patrem. qui libro 1. poëtices cap. xvij. ea, quæ contendunt hi, planissimè docet his verbis. Veritus Virgilius plagiariorum temeritatem, tum in extremo Georgicorum quarto nomen posuit suum disertè, tum hic indicauit. quæ qui abstulere, suam faciunt Aeneida, non Maronis. Et erat apud priscos in more positum, vt non titulis solum adscriberent nomen, sed operis statim principijs apponerent. Sic omnes Arabes, & Caldæi, ac Prophetæ veteres; Visio Azaëlis, &c. Sic Herodotus. sic Thucydides. Et in libro item primo cap. lvi. Sunt, inquit, & in generibus poëmatũ procœmia, vt in Musicis προαύλια. in quibus plurimus fuit Claudianus separato carmine à iusto poëmate. Diuinus autem poëta vnum corpus fecit. Illa enim fuerant procœmium: Ille ego qui quondam. vt pessima temeritate prætulerint arbitrium suum ij, qui exemerunt ea de iudicio tanti viri. Tales sunt operum conclusiones, quas epilogos Græci vocant, vt apud Horatium.

*Exegi monumentum aere perennius.*

Et apud Ouidium.

*Iamq; opus exegi quod nec Iouis ira, nec ignes,*

quæ sunt à iusto opere separatæ. At non separauit idem Virgilius in Georgicis.

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope.*

Ita Iulius Scaliger vtroq; in loco. Cui Collegam dabis Sebastianum Corradum. qui putat, admirabili nexu voluisse Virgilium coniungere rem pastoritiam, rusticam, & ciuilem, quarum alia nascitur ex alia.

Vt enim hanc triplicem varietatem, inquit, implexam esse colligatamque demonstraret, ita cum Bucolicis Georgica coniunxit.

*Hinc canere incipiam.*

Cum autem Georgica sic terminasset:

*Hæc super aruorum cultu, pecorumq; canebam, &c.*
*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studijs florentem ignobilis oti:*
*Carmina qui lusi pastorum, audaxq; iuuenta*
*Tityre te cecini patulæ sub tegmine fagi:*

Cum inquam ita finem fecisset Georgicis, Aeneida cum vtrisque pulcherrimo demum artificio copulauit.

*Ille ego qui quondam gracili modulatus auena, &c.*

Hoc istorum de Virgiliani operis exordio iudicium est. Sed tamen ego superiorem illam multò probandam magis opinionem puto eorum, qui arma virumq; principium volunt. Quia neque Varus, ac Tucca, neque quispiam alius vnquam ausus fuisset operi, tàm augusto, tàm temerè manus admouere: nec ab alio ea traditur historia, quàm à Niseo Grammatico: qui dicebat, accepisse se à senioribus, Tuccam, & Varum induxisse versus illos, ac sustulisse, quod est apud Donatum in vita Virgilij. Adde quod character, ac forma dicendi non videtur omninò Virgiliana, sed non nihil abhorrens à prisco sæculo. Denique [Arma virumq;] initium mihi videtur esse similius Græcorum exordijs, quos Virgilius æmulabatur. Quantum enim attinet ad nexum illum Corradi, possum Homerum opponere: qui quædam etiam argumenta proluserat, quæ poëmatis initio non commemorauit. Quare ex ijs qui Virgilium imitati sunt, cuiusmodi est Valerius Flaccus, Silius, Claudianus, alij, nemo principium, Ille ego qui quondam, sed Arma virumque cano, est imitatus.

## LOCVS II.

## AN AENEAS VENERIT IN Italiam primus.

*------- Troiæ qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus, Lauinaq; venit*
*Littora.*

Ne hic quidem magnopere necesse habemus ad Aristotelis tribunal ire. Sed tamen aggrediemur hoc loco postremam disputationis partem eius auctoritate firmare.

Quærat igitur aliquis, quo pacto primus in Italiam venerit Aeneas, cum antea venissent iam Antenor, & Euander, vt ab ipso Virgilio dicitur in primo, ac septimo Aeneid. Haud ita difficilis hæc est quæstio. sed tamen sunt, qui ad eam expediendam venantur aliquam remotiorem notionem, atque sententiam, quæ lateat in ipso nomine, primus. Dicunt ergo, primum hoc loco non esse temporis ordine primum, sed dignitate principem, atque primarium. Ita quippè etiam in viij. dicitur.

*Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo.*

Saturno tamen prior, si temporis ordinem spectes, venerat in Italiam Ianus. Et in secundo Duces enumerantur multi, ac varij, qui ex equo descenderunt Troiano.

*------- Lætiq; cauo se robore promunt*
*Thersandrus, Sthenelusq; duces, & dirus Vlysses*
*Demissum lapsi per funem, Athamasq; Thoasq;*
*Pelidesq; Neoptolemus.*

Quibus enumeratis, additur illicò.

*-------- Primusq; Machaon,*
*Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus.*

Cur enim post tàm multos, qui iam ex equo prodierant, primus dicitur esse Machaon, nisi quia princeps, & primarius erat honore, ac dignitate?

Mihi probatur istorum ingenium: defensio non probatur. Non enim est necesse tàm sagaciter exquirere nominis illam etymologiam, quæ alioqui verissima est. Non est, inquam, necesse: quia vt Antenor Troia profectus in eam venerit regionem, quæ consecutis posteà temporibus adiuncta fuit Italiæ, eo tamen tempore dici ea non potuit Italiæ pars; cum Rubico, quemadmodum ait Plinius, esset olim Italiæ finis, Rubico autem est in Aemilia, ab illa procul vrbe, quam ibi condidit Antenor, vbi fuere postea Veneti, ac Patauini, vt ipse declarat Virgilius totam rei gestæ seriem complexus breuissimè.

*Antenor potuit medijs elapsus Achiuis*
*Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus*
*Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui.*
*Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis*
*It mare proruptum, & pelago premit arua sonanti*
*Hic tamen ille Vrbem Pataui, sedesq; locauit*
*Teucrorum, &c.*

Sed esto, venerit in Italiam: non tamen venit in arua Lauinia. Euander verò ipse venit quidem in Italiam, sed Troiæ non venit ab oris. Itaque componenda sunt omnia, atque in Aeneam conferēda. Is enim ita dicitur primus, vt eo nemo venerit in Italiam prior, fato profu-

gus, ab oris Troianis, in arua Lauinia. Ceterum, vt, quod initio polliciti sumus, addamus operi iam perfecto cumulũ ex Aristotele, possumus hic defensionẽ promere septimam quam in Prolegomenis exposuimus: vbi diximus ab eo defensum Homerum, affirmantem solam Vrsam non occidere, & æquore non mergi: quia cetera sidera, quæ in Arctico sunt circulo, quamquam non merguntur, aut occidunt, nota tamen vulgò non sunt. quæ autem nota non sunt, pro nullis habentur. quæ notissima, sola esse censentur. τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον, inquit Aristoteles. fas est, inquam, inde defensionem petere, atque affirmare, primum Aeneam esse, qui venerit in Italiam ab oris Troianis; quia notissimus, & nobilissimus est: ceteri, si qui venerint, ignobilissimi, ac propterea nulli existimandi sunt.

---

# LOCVS III.

## DE IVNONE INFENSA

### An aliquid absurdi sit in eo commento.

*Cum Iuno tacitum seruans sub pectore vulnus,*
*Hæc secum. me ne incœpto desistere victam,*
*Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?*

Mirabitur, opinor, quicunq; legit hæc, cur summa prudentia vir, ac sapientissimus poëta Virgilius Deos ita infensos, aduersosq; faciat pijs hominibus, ac bonis, qualis Aeneas ipse describitur: & cur eosdem inter se simultates exercere comminiscatur.

Quantum attinet ad intestinas Deorum inimicitias, allegoriam alibi ego, hoc est, in orat. volum. 1. orat. sept. retexui, quæ figmentum istud à reprehensione liberaret. Dixi quippè ex antiquorum opinione Philosophorum, altercantibus inter se Dijs elementa, & rerum initia significari, quæ inuicem pugnant. Sed quia in ipso etiam poëmatis, extimo cortice, nihil, quoad eius fieri possit, debet absurdum esse, rationique contrarium, videamus, an hanc amoliri difficultatem, obicemq; tollere aliqua ratione possimus. Amoliemur autem facilè, si nostro cum animo reputemus, omnium omninò gentium esse opinionem de Numine aliquo mortalibus in re perdifficili semper opitulante. Cum enim aliquid fieri vident præter morem, vsumq; communem, eum diuina sine dubio credunt adiutum ope, qui tàm facilè perficere potuerit, quod alioqui tam arduum erat, atque difficile. Disputat

ſputat hac de re Cicero præclarè in libro ij. de Natura Deorum extremo; contendens neminem è Romanis illis clariſſimis Imperatoribus ſine peculiari aliquo Deo res egregias, ac propterea difficillimas peregiſſe. Sic enim loquitur de amore Deorum in homines. Sin autem his conſulunt, qui quaſi magnam quandam inſulam incolunt, quàm nos orbem terrę vocamus, etiam illis conſulunt, qui partes eius Inſulæ tenent, Europam, Aſiam, Africam: ergo & earum partes diligunt: vt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum, & earum Vrbium ſeparatim ab vniuerſis ſingulos diligunt: vt Pyrrhi bello Curium, Fabritium, Coruncanum; primo Punico, Calatinum, Duillium, Metellum, Luctatium; Secundo, Maximum, Marcellum, Africanum: Poſt hos, Paulum, Gracchum, Catonem, patrumuè memoria Scipionem, Lælium, multoſq; præterea, & noſtra Ciuitas, & Græcia tulit ſingulares viros, quorum neminem niſi iuuante Deo, talem fuiſſe credendum eſt. Quæ ratio poëtas, maximèq; Homerum impulit, vt principibus Heroum Vlyſſi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos Deos diſcriminum, & periculorum comites adiungerent. Hęc inquam eo loco Cicero diſputat, egregiè declarans quod contendebam. Igitur Aeneas, qui tàm longo perfunctus itinere, tàm multis agitatus tempeſtatibus, tàm paruo inſtructus comitatu Italiam aliquando tenet, gentes bellicoſiſſimas acie vincit, Imperium ſubitò parat, putabitur vulgò non potuiſſe ex tàm magnis euadere periculis, ac tantam felicitatem adipiſci, niſi aliquo inſtinctu, præſidioq; diuinitatis. Quod cum probè Virgilius animaduerteret, fecit eum identidem, ac ſubindè ab oraculis, à Venere, à Dijs Penatibus admoneri.

At ijdem illi mortales, eo tempore, hoc etiam in animum induxerant ſuum: Deos inter ſe digladiari, atque inimicitias profiteri priuatis ex cauſis ſolere. quo fit, vt qui putare facilè poſſent, Aeneam à Dijs illis promotum, adiutumque fuiſſe, quos præcipuo quodam honore coluiſſet, credere quoque deberent, alios eundem habuiſſe Deos infenſos, quos ſi minus ipſe, maiores certè, aut propinqui violaſſent. Huiuſmodi ſanè Iuno eſt à Paride læſa: quæ dum Aeneam probum, & bonum tàm male habet, ac vexat, à Paride ipſo pœnas ſibi repetere videtur, vt dicitur initio primi.

Seruit itaque Virgilius opinioni populari de Dijs: cui ſeruiendum à poëta eſſe docet Ariſtoteles, vt in Prolegomenis diximus, defenſione tertia, infraq; demonſtrabimus pluribus. Nihil adeò eſt hìc abhorrens ab antiquorum decoro, aut alienum ab eorum ratione temporum, aut cum ijs pugnans opinionibus populi de Deorum Natura, quas immutare, aut corrigere poëtas tanquam interdicto quodam Prætoris vetat Ariſtoteles. Quicquid enim alienum in hoc commento à recta ratione eſt, ſolum id intelligitur à nobis, qui veram de diuina na-

na natura consignatam animis notionem habemus. Virgilius verò, non nostræ, sed ætatis suæ seruit opinionibus, & quidem vulgaribus, ac peruagatis.

## LOCVS IV.

### DE TOTIVS OPERIS PRAEPARATIONE: quæ videtur in Aeneide desiderari.

*Vix è conspectu Siculæ telluris in altum*
*Vela dabant læti, &c.*

Non tàm accusatores hic habet Virgilius, quàm amicos dolentes, quòd non eo modo munierit Aeneidi viam, quemadmodum Homerus muniuit poëmatis suis. Nam in Odyss. lib. 1. Deorum inducit concilium: vbi tàm multa de Vlysse dicuntur, vt qui lecturus est carmen, satis instructus paratusq; ad cetera percipienda possit accedere; cum satis superq; factus sit certior de rebus ab eo ante iam gestis, deque gerendis in illo poëmate Deorum concionibus admoneatur. Virgilium autem venisse aiunt ad rei narrationem, & synthesim operis imparatum. quippè qui propositione, atque inuocatione vix absoluta, discedentem è Sicilia, tempestatibus expulsum in altum, Neptuni beneficio ereptum, appulsumq; Carthaginem facit Aeneam: cum interea qui legunt hæc minimè cognitum habeant, quid hominis ille sit, eiusdemq; res, & gestas & gerendas prorsus ignorent. Id verò eo reprehendendum magis existimant, quòd Aristoteles velit, in Epico etiam poëmate isagogen aliquam, & quasi manu ductionem esse, quam ipse prologum nominat, ei videlicet respondentem Tragœdiæ parti, quæ ipso statim initio audientes, ac spectatores de præteritis docet, admonet, quantum satis est, de futuris. Quin omnium artium, ac disciplinarum ea videtur esse lex, vt principio informis aliqua, & inchoata rerum earum cognitio tradatur, quæ tractandæ postmodum enucleatè sunt, & copiosè dicendæ. Hæc isti sic dolent, & à Virgilio prætermissa esse queruntur.

Et quoniam hunc nacti locum appositè sumus, placet hic aliorum etiam iudicia ponere, Homerum Virgilio alijs nominibus anteferentium. Quamquam enim multa de hoc arguméto multis sanè locis disputabuntur, erit tamen ex vsu hic præponere, quæ alibi tractari commodè accuratèq; nòn poterunt.

Casteluitrus igitur intimam poëticæ vim attingit, affirmans, Virgilium

gilium ab Homero ipsa imitatione superari, in qua sunt omnia; sed qua ratione superari putet, necesse est distinctè, planèq; proponere. Aristotelis profert,& tractat locum ex poëticæ cap.xxij. vbi sic loquitur. Quapropter Homerus poëta in hoc quoque, quemadmodum, & in ceteris, præcipua dignus est laude; quandoquidem omnium vnus quid ipsum deceat poëtam optimè nouit. decet autem poëtam ex sua ipsius persona pauca loqui: quia in eo imitator non est. alij igitur poëtæ in toto poëmate loquuntur,& agunt: pauca verò imitantur, & rarò: contra Homerus; pauca admodum præfatus, modò virum, modò mulierem inducit, &c. Ex his Aristotelis verbis id consequens esse contendit homo acutus, & lynceus: Homerum, qui tàm crebras, tamque longas habet conciones Deorum, hominumuè, multo magis multoque æquius mereri poëtæ nomen, quàm Virgilium, qui nec tàm crebrò, nec tàm verbosè loquentes inducit in poëmate personas: sed identidem, ac sæpè loquitur ipse, quod eo loco disertè damnat Aristoteles, cum ait, alios poëtas, malos nimirum, aut certè non æque bonos, ac Homerum, in toto poëmate agere, atque immiscere se, hoc est loqui sæpissime. Quin ex hoc eodem loco intelligi vult, Aristoteli non probari sententias illas,& dicta poëtarum, quæ videntur esse quædam quasi parænenses, atque orationes ad populum. Vt.

*Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,*
*Et seruare modum rebus sublata secundis.*
*Turno tempus erit, cum magno optauerit emptum*
*Intactum Pallanta, & cum spolia ista, diemq;*
*Oderit, &c.*
*Heu vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,*
*Quid delubra iuuant?*

Multoque minus Aristotelis huic doctrinæ consentaneas putat exclamationes illas,& declamationes Lucani concionantis.

*Quis furor ò ciues, quæ tanta licentia ferri?*

Sed hæc de Homero, ac Virgilio disputat vniuersè, alterum cum altero conferens. ad extremum verò locos certos vtriusq; designat, & comparat, quos quia non attinet singulos recensere, proferam ex omnibus tantummodò duos. Primus est in Aeneidos primo de Aenea Carthaginem ad Didonem Reginam cum socijs, & classe delato: cui Homericum Vlyssem longè anteponit eo nomine, quòd ad Alcinoum venerit solus, & sine comitatu. Res enim, inquit, admirabilior fuit, quod Vlysses ita solus tàm facilè à Rege, atque à Phæacensibus exciperetur. Aeneas verò quàm afferat admirabilitatem, si tàm multis stipatus comitibus,& instructus classe, hospitium apud Didonem inuenerit? Videtur demum Casteluitrus id sibi velle, quod apud Aristotelem est in capite illo xxiij. poëtices, poëtã perquirere, ac seligere

debere in materia, quam tractat id quod admirabilius est; vt multo magis, multoq; facilius oblectet audientes. Secundus locus est in Aeneidos vj. de eodem Aenea Inferos adeunte. Viuus enim adhuc, mortalisq; in Tartara penitus intrat, videtq; animas, non eorum tantum, qui iam è vita decesserant, sed eorum etiam, qui nasciturі erant, eorumq; singulas res cognoscit, ac censet. Duo igitur hic improbat, in quorum vno posthabendum Homero Virgilium omninò decernit, in altero eidem Virgilio anteponit Ouidium. Primum est: audaciam fuisse Virgilij non ferendam, quòd Aeneam ea via deduxerit ad Inferos, quæ paucissimis antea, hoc est Theseo, Herculi, Pirithoo fuerat diuinitus aperta, quemadmodum fama ferebat, & fabulæ. In eo quippè prudentiorem Homerum fuisse confirmat, quòd Vlyssem Inferorum Manes videntem, alloquentemq; facit ratione quadam, ac via magis vsitata, hoc est eius beneficio magiæ, quæ νεκρομαντία dicitur. Secundum: vaticinium illud Anchisis sub libri finem esse plus nimio explicatum, ac planum: cum videatur ea vis esse vaticinij, & natura, vt obscuritatem habeat, & ambages. Videmus enim à vaticinantibus propria personarum taceri nomina, res gerendas abditè, tectèq; proferri, eos, à quibus gerendæ sunt, non demonstrari palam, sed indicari tãtummodo subobscure. Itaque melius in hoc genere sibi cauisse Ouidium ait: cum Protheum induxit Thetidi de Achille vaticinantem perplexè; neque nomen, aut alias explicantem notas, quibus ipsæ res gerendæ perspicuè nosci, ac facilè distingui potuissent.

*Concipe. mater eris iuuenis, qui fortibus ausis*
*Acta patris vincet, maiorq; vocabitur illo.*

At Anchises in eo vaticinio distinguit omnia notis, atque insignibus suis, seriem texit posterorum vniuersam, non planè tantum, sed etiam putidè: nomina, patriam, studia, vnicuiq; designat, perinde ac si res gestas historico stylo narraret, non denunciaret vaticinantium more futuras.

Equidem hæc facillimè possem subterfugere omnia, si dicerem, Virgilium fuisse nonnullis partibus ab Homero superatum. Scio enim hanc multorum esse sententiam, qui Virgilium ipsum præter ceteros amant: & fieri facilè posse intelligo, vt cum ille magistrum æmulatur, ac sequitur ducem, multis quidem eum vincat nominibus, ac locis, multis irrito, cassoque conatu non assequatur. Sed quia nominatim decernere, quæ nam eæ partes, lociq; sint, quibus vincitur ab Homero, difficillimum est; nec tamen libet eum hic sine patrocinio, ac tutela deserere, conabor singulis, quę hoc loco aduersus Virgilium obijciuntur, quantum patitur mei mediocritas ingenij, respondere.

Ac primò quidem existimo præparationem illam, & isagogen Virgilio non fuisse sic necessariam, quemadmodum fuit Homero. Qui

enim post Homerum de Troiano canebat Aenea, videbat iam eum hominem esse notissimum omnibus ab Iliade, in qua congressus Aeneæ cum Achille describitur, aliaq; commemorantur, quibus Aeneas satis iam erat, superq; nobilitatus. Vlysses verò tum primùm accipiebat à carminibus lucem, adeoque necesse fuit illud adornari, & cogi Deorum concilium, vbi res eius gestæ, gerendæq; memorarentur.

De imitatione poëtica, quam in Homero vult ampliorem esse Casteluitrus, dico primùm, maximè mihi dubium videri quid sibi velit Aristoteles cum ait, Epicos, cum ipsi per se loquuntur, non esse imitatores. Si enim imitationem poëticam ita contrahit, vt eam sola personarum inductione circumscribat, sequitur, Lyricos, nec imitatores, nec poëtas esse. Sed de his ego disputaui pluribus, meamque de quęstione perdifficili proposui sententiam in commentario de elegia cap. iv. & v. Itaque, vt ea nunc prætermittam, & quod sentio breuiter exponam, putauerim eo loco, de quo differit Casteluitrus, non esse sermonem de imitatione poëtica vniuersè, sed de Epica nominatim, cui disertè tribuitur ab Aristotele alibi illud imitationis genus peculiare, ac proprium, in quo poëta loquitur subinde mutatus. loquitur autem mutatus cum personas inducit, in easque quodammodo se conuertit, ac mutat. Quare si poëta quispiam ex Epicis esset, qui se non mutaret, Epicus imitator dici non posset. Ex quo consequens esse debet, vt cum Epicus poëta loquitur minimè mutatus, nec inductis personis, imitatoris non quidē cuiuslibet vniuersè, sed Epici nomen imitatoris vix mereatur, aut ne mereatur quidē: cum in proprio imitationis genere non versetur, nisi personarum etiam addat inductionem. Ceterum hæc nullus dixerim, & in parergo. iterum magis propriè, certiusq; respondeo, quacumq; demum ratione locus ille sit explicandus. Respondeo, inquam, illud tantum intelligere nos ex Aristotele posse: alios poëtas, qui ad ea vsque tempora scripserant, minus fuisse poëtas, quàm Homerum, quia in toto pene poëmate loquebantur ipsi, personas agentes, & colloquentes vix inducebant: non tamen hinc sequi, Virgilium tàm rarò personas inducere, vt cum Homero collatus dici minus imitans, ac poëta debeat. Quamquam enim minus inducit, quàm Homerus, inducit tamen magis in loco, inducit prudentius, inducit ampliore cum apparatu, ac decoro. Illi ergo minus poëtæ sunt, quia non modò minus inducunt, quàm Homerus, sed quia non inducunt quantum est satis, ac postulat ratio. hic verò quia tàm crebrò inducit, vt nulla pars imitationis Epicę desideretur, tàm prudenter inducit, vt nihil habeat nimium, & temperantiam teneat, hic, inquã, minus poëta dici non debet, sed alieno tempore, ac loco minus inducēs. quod si vidisset Arist. Virgiliũ Homero fortassis in hoc genere anteposuisset. Nemo enim in Virgilij versatus Aeneide, Homerum

opi-

opinor leget, cui collocutiones, inductionesq; concionantium personarum crebriores esse non videantur, quàm ferre legentium labor, & satietas queat. Id quod euertere quoque possit ea, quæ de longioribus Homeri cōcionibus ab eodem Casteluitro dicebantur. Quotus enim quisque non videt hic esse præstigias Sophistarum? Nam qui longioribus, quàm par sit, concionibus vtitur, vtitur imitatione quidem ampliore, sed intemperante, ac praua. quo fit, vt quamquam plus imitatur, minus tamen imitetur bene: quia decoro, prudentiæq; non seruit. quod quia Virgilius introspiciebat penitus, conciones fecit breuiores, hoc est idonea longitudine iustas. Itaque hoc nomine semper est doctorum hominum iudicio non modò laudatus, verum etiam Homero duci, ac magistro præpositus. De Aenea verò cum illo suorum comitatu Carthaginem delato confidenter affirmauerim, minus rem admirabilem fuisse, sed magis credibilem, ac verosimilem, quàm quod in Vlysse ad Alcinoum omninò sine socijs adeunte, hospitioq; tàm honorifice recepto fingit Homerus. Quamquam verò Aristoteles id præcepit sequēdum poëtæ semper esse, quod admirabilius est, clausit tamen præceptionem illam limitibus suis, eaque lege vult mirabiliora eligi debere, si credibilia, & verosimilia sint. At multo verosimilius est quod à Virgilio canitur, quàm quod de Vlysse sic solitario dicitur ab Homero. quippe fidem faciebant Troiani comites, vt pro filio Veneris haberetur, ac pro eo, quem esse se prædicabat apud Didonem. Vlyssi quis fidem faceret apud Alcinoum, & Phæacenses, cum solus fuisset eiectus in terram, neque socios vllos haberet, qui hominem illum Vlyssem esse testarentur? Quis ergo etiam facilè credat, eum Phæaciæ Regem prudentissimum homini peregrino, ac solitario tàm temere fidem habuisse? Id profectò non minus abhorrere videtur à verosimili, quam eiusdem Vlyssis in Ithacam à Phæacia reditus. Reuertit enim in patriam toto consopitus itinere, solusque à Phæacensibus expositus in Insula est, & relictus in littore dormiens. quod quia patere accusatoribus posse videt Aristoteles, instituta de industria defensione in fine cap. xxij. vindicauit. Sed Virgilij figmentum, & Aeneæ cum Troianis ad Didonem aduentus, hoc patrocinio non eget, quia credibilis, ac verosimilis est.

Denique de illa ad Inferos itione non habeo necesse multa dicere. Poterat enim Virgilius Homerum sequi, beneficio vtens, artificioque veteris magiæ: sed comminisci maluit quod admirabilius erat, nec à verosimili abhorrebat. Neque enim erat incredibile, immo verò maximè humanæ congruens id esse fidei tum videbatur; Aeneam eo modo, eaque via Inferos adire, qua ceteri olim ante illum opinione mortalium adijssent Heroes, Theseus, Pirithous, Hercules. Quantum verò attinet ad vaticinium: nullis opinor auctoribus dicitur, oportere necessariò

cessariò obscurum esse, atque perplexum. Vt enim oracula interdum aliqua in templis apud poëtas reddantur obscura, vaticinia tamen apud eosdem multa sunt plana, & aperta. Placuit Ouidio vaticinij genus obscurum: placuit explanatum Virgilio: quia sciebat vtrumque tractari posse pro arbitratu. Nec quisquam est, quod ego sciam, qui præcipiat poëtis, vt semper in vaticinijs inuoluant ambagibus verũ, & versibus obscurissimis: quemadmodũ contenditur à Casteluitro.

## LOCVS V.

### DE AENEA INTER FLVCTVS ac Maris tempestatem exanimato.

### An aliquid in decoro peccatum sit.

*Extemplo Aeneæ soluuntur frigore membra, &c.*

Nullus est hic reprehendendi modus. Decorũ in Aenea pleriq; desiderant summo consentaneum Imperatori. quem quia fortissimum, animoque præsentissimum esse decet, dicunt nihil Aeneam extimescere oportuisse. At Virgilius vsque adeo timentem facit, vt exanimatum etiam inducat, & dolenter admodum de vitæ periculo conquerentem. Facilè tamen hi refellentur ex Aristotele; qui libro Ethicorum tertio cap. vj. docere non dubitat, licere fortibus viris extimescere, non quidem mortem (fortitudo enim despicit omnia terribilia, quorum primum est mors,) sed mortis genus aliquod inglorium, nominatimq; quod accidere solet in mari. libet hic eius verba de scripto sic recitare. At non in omni mortis genere vir fortis impauidus esse videtur. non enim in ea, quæ in mari accidit, aut in morbis, interritus est, sed in illa, quę putatur pulcherrima, qualis prorsus in bello contingit. imminet quippe tum obitus in maximo dignissimoq; periculo. Is ergo fortis propriè verèq; dicitur, qui in honestæ mortis periculo, atque in ijs omnibus, quæ subitò, ac de improuiso eueniunt, imperterritus est. huiusmodi verò sunt quæ in bello contingunt. Quin etiam in mari, atque in morbis ipsis timore vacat vir fortis, non tamen vt nautæ. hi enim propter vsum, atque experimentum rei confidentes sunt, & spem habent euadendi. fortes verò neque se sperant euasuros, neque timent mortem vniuerse, sed genus ipsum mortis molestissime ferunt. Plura etiam ibi disputat Aristoteles, quorum instructus auctoritate, ac pondere facilè Virgilium liberes, si dicas, Aeneam non quidem mortem, sed ipsum in mari mortis genus

perti-

pertimuisse. Quæ ratio vindicet etiam Statium in Thebaid. lib. vj. Virgilium enim secutus, fingit in eodem aquarum periculo sic ingemiscentem Hippomedontem.

*--------- Fluuione (pudet) Mars inclyte merges*
*Hanc animam? segnesq; lacus, & stagna subibo*
*Ceu pecoris custos subito torrentis iniquis*
*Interceptus aquis? ideo ne occumbere ferro*
*Non potui?*

Vindicabit eadem defensio poëtarum etiam omnium parentem Homerum, qui ceteris auctor fuit, vt ita expostulantes, eiulantesq; inducerent inter maris tempestates, atque pericula fortes viros. Nam in Odiss. v. Vlysses, paulo ante, quàm in Corcyram descendat, in postremo imminentis naufragij discrimine perterritus gemit, & lamentatur hoc pene modo.

*Argolici proceres ò terq; quaterq; beati,*
*Qui quondam ad magnæ perijstis mœnia Troia,*
*Sic Danaum ducibus, natisque iubentibus Atrei.*
*O mihi tunc vtinam rupissent stamina Parcæ,*
*Cum iuxta Aeacidem crudeli vulnere mersum*
*Dardanias in me Teucri torsere sagittas.*
*Tunc etenim mihi funus erat, mihi pompa meorum,*
*Et populi luctus, & fama inscripta sepulcro.*
*Nunc autem heu tristi sic morte perire necesse est.*

Quin Euripidem Tragicum non alia, quàm hac, de qua dicimus, ratione purgabimus, si Herculem apud illum intoleranter mortē ferentem, & muliebriter eiulantē tueri, ac defendere voluerimus. Fas enim erit dicere, non illum dolere, quòd sibi moriendum sit, sed quod eo nominatim genere mortis sit obeundum. Moritur enim ex pestifero sanguine Centauri, quo tunicā imbuerat Deianira. Vel ex ipsis Herculis verbis id intelligetur planissimè, quæ M. Tullius in Tusculanarum secundo, pulcherrima, hoc est vera, germanaq; latinitate donauit.

*Quantum vna vecors Oenei partu edita.*
*Hæc me irretiuit veste furiali inscium,*
*Quæ lateri inhærens morsa lacerat viscera,*
*Vrgensq; grauiter pulmonum haurit spiritus.*
*Iam decolorem sanguinem omnem exorbuit.*
*Ipse illigatus peste interimor textili.*
*Hos non hostilis dextra, non terra edita*
*Moles Gigantum, non biformato impetu*
*Centaurus ictus corpori infixit meo,*
*Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,*
*Non sæua terris gens relegata vltimis,*

*Quas peragrans, vndiq; omnem hinc feritatem expuli:*
*Sed feminea, vir, feminea interimor manu.*

Et post.

*-------- O ante victrices manus*
*O pectora, ò terga, ò lacertorum tori:*
*Vestro ne pressu quondam Nemeæus Leo*
*Frendens efflauit grauiter extremum halitum?*
*Hæc dextra Lernam tetram mactata Excetra*
*Placauit, &c.*

Causam ergo tàm magni doloris, & questus ipse declarat Hercules nō eam esse, quòd mori deberet, sed quòd cerneret, ex feminea socordia sibi moriendum esse, ac veneno Centauri, qui tantus fuisset Tyrannorum omnium domitor, liberatorq; terrarum. Quam planè causam in Aeneæ conquestione, ac gemitu vidit, atque in hunc exposuit modum Iouianus Pōtanus in libro de fortitud. Quorsum hęc finguntur à poëta in viri, ducisq; fortissimi persona, vt quem hostiles tot congressus numquam fregissent, præruptus ille aquæ mons tam humiliter, atque infractè de sua, suorumq; coëgerit salute desperare? An quòd illud moriendi genus nullum esset decus allaturum, nec virtuti suæ locum sentiret vllum inter transtra, remosq; relictum? Itaq; non fert grauato animo mori, sed quòd sic moriendum esset. His omnino similia docet Scaliger lib.iij.poët.cap.xij. & vulgi videtur etiam esse sententia, eos habendos infelicissimos duces, qui extra belli aleam moriātur. Quare Alexander ille Macedo, cui pręstantissima fortitudo Magni nomen attribuit, habebatur à suis longè miserrimus in periculo mortis ingloriæ. Cum enim, vt est apud Curtiū, in Cydnum amnē leuandi æstus, abluendiq; corporis studio descendisset, aquarumq; frigore obriguisset adeò, vt spiritū iam extremum agere videretur; cōfestim in tabernaculū relatus à ministris, ac familiaribus est, lacrymantibus, & acerbè querentibus, in tanto impetu, cursuq; rerū, omnis ætatis, ac memoriæ clarissimū Regem non in acie saltem, non ab hoste deuictū, sed abluentē aqua corpus ereptum esse. Ac ne ipsum met Alexandrū aliter de suo casu existimasse putemus, hæc adiungit Historicus. Animi ægritudo corpus vrgebat. quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nūciabatur. Vinctum ergo se tradi, & tantam victoriā eripi sibi è manibus, obscuraq; & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. Illustrat hunc locum egregiè Seuerus Imperator: qui cum à Mathematico, vt narrat Lampridius, accepisset, gladio se periturum, mirificè lætatus est, quòd sibi bellicā, atq; Imperatoriam mortem imminere cerneret: tantumq; ex illa denunciatione concepit animo gaudiū, vt Dijs se comparandū putaret, si bello atq; inter dimicandum è vita discederet. Hæc vniuersè de morte diximus ignobili, atq; obscura, quam viri fortes

fortes ſemper extimuerunt. Ceterum, vt eò reuertamur, vnde digreſſi ſumus, nullã video miſeriorem antiquos exiſtimaſſe mortem, quàm quæ duces bello præſtantes occuparet in mari. Vel ipſe Nazianz. Gregor. vir doctiſſimus, idemq; ſanctiſſimus id docet; affirmans, obitũ in mari miſerrimũ videri, quia nullã habent ibi viri præſtantes occaſionem oſtendendæ virtutis: docet Ouidius in tempeſtate illa ſua Triſtium lib. primi, eleg. ij.

*Nec lethum timeo: genus eſt miſerabile lethi:*
*Demite naufragium; mors mihi munus erit.*
*Eſt aliquid fatoq; ſuo, ferroq; cadentem*
*In ſolida moriens ponere corpus humo:*
*Et mandare ſuis aliqua, & ſperare ſepulcrum,*
*Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum.*

Sed in his Ouidij verſibus alia deſignari præterea videtur cauſa tam magni timoris ex interitu inter fluctus imminente. Non enim dolet, quod in acie non ſit moriturus, ſed quod cariturus ſepulcro ſit, illudq; aditurus, opinor, infortuniũ, quod morientibus in aquis accidere credebat antiquitas. Putarunt enim veteres, interitum euenientẽ mortalibus inter aquas ipſi quoq; animę exitiabilẽ eſſe. ſic inquã, vt funditus interire, ac prorſus extingui crederetur anima, ſi corpus periret in aquis. Aiunt aliqui tradita hæc ab Homero fuiſſe in Odyſſ. quarto; cum de morte Aiacis Oilei narrationem ita clauſit extremam.

*Sic Aiax perÿt, ſalſam vt bibit æquoris vndam.*

Alios enim, quos alibi mortuos commemorat Homerus, non perijſſe, dicit, ſed domum adijſſe Plutonis, atq; ad Inferos deſcẽdiſſe: quia non prorſus interierant. Inde nimirum factũ putat Syneſius in epiſt. iv. vt cũ ab Homero mortui excitantur ab Inferis, inter eos numquã Aiax Oileus inducatur, qui perierat totus in mari. Huc nimirum pertinet Heracliti vox, pronunciantis, aquã animis eſſe mortem. atq; hæc opinio tàm vulgaris erat, vt quidã milites, quemadmodum docet eodem loco Syneſius, decreuerint necẽ ſibi ſua manu conſciſcere; ne naufragio perirent: rati, mortem in aquis eſſe animę mortaliũ exitialem. Volebant, inquit ille, animam in aerem difflari, non aquis extingui.

Hæc ego cõmemoraui, vt locus hic expleretur partibus ſuis, nõ vt ſignificarẽ, Aeneam de illo interitu animæ quicquam cogitaſſe dũ timuit. ſatis enim illi timoris, doloriſq; ampla ſuppetebat ex eo cauſa, quòd ignobili morte, nec inter armatas copias interiret. Hoc verò cũ dicitur, cumulatiſſime defendi videtur ab accuſatoribus, qui formidinẽ illam, & tàm mollem in viro forti conqueſtionem explodunt.

Nihilo tamen minus eſt aliquid vltra, quod obijci queat ex Ariſt. cap. xij. in poëticis. vbi cum de morata fabula diſputat; illud docet: in eo genere peccare poëtas cũ perſonæ minimè congruentes, aut inde-

coros attribuunt mores, qualis, inquit, eiulatio est Vlyssis in Scylla. Si enim Vlysses reprehenditur ingemiscens in tempestate illa prope Phæaciam, de qua supra diximus, reprehendendus etiam erit Virgilius, qui gemitum, & conquestionem Aeneæ ex eo loco sic expressit, vt ipsa pene verba describere videatur. Sed quomodo sibi constabit Aristoteles, qui in cap. illo vj. lib. Ethic. iij. veniam dat, quemadmodum vidimus, fortibus viris, vt in maris periculosa tempestate pertimescant? Neq; verò dicere iure possumus, ac vere; improbari hoc loco eiulantem Vlysem, non quidem in maris periculo prope Phæaciam, siue Corcyram, sed inter Scyllam, Charibdimq; periclitantem, quod est in Odyss. xij. Nullas enim ibi querimonias, aut eiulatus profert Vlyses; sed socios potius hortatur, vt patienter incommodum ferãt. Vt aliquid hic ego diuinem cum Victorio, ac Robertello, dixerim, ab Arist. damnari non Homerum, sed poëtam aliquem dramaticũ, & fortasis Epicharmum: cuius Vlysem naufragum laudat in lib. xiv. Athenæus. Damnari autem non propterea, quòd in naufragio dolentẽ Vlysem fecerit (hoc enim, vt diximus, reprehendere non potest Aristoteles, quin à se ipso dissentiat) sed quòd induxerit eundem ita muliebriter eiulantem, vt nihil addiderit de illa, quæ apud Homerum, & Virgiliũ est moriẽdi cupiditate in acie, ac bello, quæq; deprehensos in tempestatibus Heroes, ac fortes Imperatores excruciat. Aliud enim est angi, ac dolere tantum, quia moriendum est; aliud cruciari eo maximè nomine, quòd obscuro interitus genere, nec in arena moriendum sit. Maneat ergo, Vlysem illum apud ignotum poëtam doluise tantũ, quòd mori deberet, non doluise, quòd extra belli pulcherrimam aleã moreretur, ac propterea reprehendendum ese: laudandum Aeneam Virgilianum, & Vlysem Homericum, quòd non de morte, sed genere mortis ignobili doleant, & conquerantur.

## LOCVS VI.

## DE CERVIS IN LYBIA.

### An in ea regione licuerit Ceruos fingere, quos occideret Aeneas.

*Nauim in conspectu nullam, tres littore ceruos*
*Prospicit errantes. hos tota armenta sequuntur.*
*Constitit hic, arcumq; manu, celeresq; sagittas*
*Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.*

Critici Geographos huc omnes, atq; historicos ad Virgilium accusandum conuocant: qui ceruos in Africa nullos ese testificantur. Plinium

nium in primis suæ subscriptorem accusationis volunt, ceruis Africam omninò carere confirmantem in lib. viij. cap. iij. cui adstipulatur Aristot. & Herodotus. Quo grauius errasse Virgilium dicunt: cum non hic tantum, verum etiam in Aeneid. iv. ceruos Lybiæ dederit Aenea & Didone venantibus.

*Ecce feræ saxi deiectæ vertice caprae*
*Decurrère iugis; alia de parte patentes*
*Transmittunt cursu campos, atque agmina cerui*
*Puluerulenta fuga glomerant, montesq; relinquunt.*

Similiter erratum putant in xj. vbi ad pyram Pallanti struendam milites lignatum dimissi, non modo notas vulgò arbores, sed olentem etiam cedrum succidisse dicuntur.

*----------- Ferro sonat alta bipenni*
*Fraxinus, euertunt actas ad sydera pinus,*
*Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,*
*Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.*

At cedrus in Italia non est. neque enim cum cedrum dicimus, eam intelligi volumus arborem, quæ citri illa fert poma in Italia nunc vulgatissima, citrusq; propterea dicenda videtur esse, non cedrus. Video quippe à Dioscoride hanc in lib. j. cap. xxxvj. sic fuisse descriptam, vt cum ea cedro, de qua loquitur hic Virgilius vix vllam habere similitudinem queat. Postremo inquit Dioscorid. quæ Medica, vel Persica, vel Citromela, à Romanis vero Citria nominantur omnibus nota arborem habent toto fœcundam anno. pomum oblongum est, rugosum, colore ad aurum vergente, cum grauitate odoratum. semen habet pyrorum seminibus simile. Multas hic nobis designat notas, quibus citrum distinguere possimus à cedro. Hæc enim alterius est arbor generis, procera, & magna, nasciturq; tantum in Libano Palestinæ, atq; in Atlante, celeberrimo Mauritaniæ monte: apud Romanos olim summo in pretio ad ornamenta mensarum, & lectulorum. Differt prorsus à citro non modo fructu, ac pomis, verum etiam folijs, & proceritate. quia citrus haud multum crescit, vt videmus, & folia maiora quidem, quàm laurus habet, sed lauro simillima: cedrus autem & altissima prouenit, & folijs, odore, caudice, cupresso feminæ, aut iunipero similis est. His notis, atque nominibus hæ duæ secernuntur arbores inter se, nihilo minus tamen cedrum inuenias sæpe pro citro positam apud scriptores, & citrum pro cedro. Nos interea cedrum propriè dicimus arborem illam proceram, ac magnam de qua sine dubio canit Virgilius: eamque confirmamus in Italia non esse, sed tantum in Mauritania, atque in Syria, vt Plinius ipse testatur. Quare mirandum videtur maximè cur à poëta scientissimo inter arbores enumeretur, quæ cæduntur ad rogum Pallantis in Latio.

Haud ſanè minorem afferunt admirationem onagri, quos item in Italia collocat, cum præcepta ruſtica legeſq; deſcribens Italis ſuis, ait interdum exercendam eſſe venationem, & curſu premendos non lepores ſolum, & ceruos, quibus abundat hæc regio, ſed etiam onagros, quibus omnino caret. Sunt enim onagri ſilueſtres aſini, quorum greges ait Varro lib.ij.rei ruſticæ cap.vj.eſſe in Phrygia, & Lycaonia, in Italia nullos, ſed cicures omnes, ac manſuetos.

Vidit rei difficultatem Petr.Victor in lib.variarum lectionum xxx. viij.cap.j. Et quia modum euadendi non vidit, affirmare non dubitauit, peccaſſe quidem in his Virgilium, ſed culpa leuiſſima: cuiuſmodi maculas, inquit, negligunt poëtæ cum ornamenta ſectantur. Nemo tamen æquis, opinor, audiet animis hæc de Virgilio, qui limatiſſimus eſt, artificioque ſic terſus, vt ne labeculam quidem patiatur, aut næuum. Itaque confugerim ego potius ad illam defenſionem, quam primo loco poſuimus in Prolegomenis ex Ariſtotelis poëticæ cap. xxiij. vbi poëtarum errata bipartitò diſtinguit, ac diuidit: in ea, quæ poëticæ propria ſunt, & in aduentitia, hoc eſt ea, quæ alienis peccantur in artibus. Priora propriè peccata eſſe contendit, poſteriora minus propriè, adeoq; poëtis non adſcribenda; cum præſertim idonea poſtulabat ratio, vt fingerent aliquid, quod ab alijs artibus abhorreret. Ad hunc, inquam, ego locum confugio, affirmoque non eſſe poëticæ propria illa, in quibus errare Virgilius dicitur, ſed alterius diſciplinę, hoc eſt hiſtoriæ naturalis, aut coſmographiæ diligentioris; quæ non prouincias modò, ſed mores etiam incolarum, animantiaq; omnia deſcribit, ac notat in ſingulis. Quare aduentitium hoc erit erratum, multoq; leuius, quàm quod Pindarus admiſit cum ceruas fecit cornigeras, quæ cornibus carent. Si enim Pindarus culpa liberatur ab Ariſtotele, diciturque tantum peccare per accidens, non per ſe, multo liberandus eſt facilius hìc Latinus poëta, dicenduſq; in eo genere peccati accidentis extrinſecus errare leuius: quod eſt non errare. Id quod fortaſſe ſibi voluit Petr. Victor. cum libere profeſſus eſt, erraſſe Virgilium, ſed leuiſſima culpa, hoc eſt ea, quam per accidens nominat Ariſtot. Quod ſi voluit, nihil à nobis alienum dicit: ſed rem ipſe non explicat. Ceterum hæc vniuerſè diximus de tribus illis locis, deque alijs huiuſmodi, qui apud Virgilium oppugnantur à Criticis. vna enim illa defenſio tuetur ſingulos. Quia tamen aliam ego nominatim poſſum inire rationem ad ceruos in Africa retinendos, reſeruabo patrocinium illud Ariſtotelis onagris, & cedro: nec dubitabo dicere, verè ceruos in Africa eſſe, ex auctoritate, teſtimonioq; multorum. Nam Oppianus lib.ij. de Venatione diſtinctè, planèq; poſuit in Lybia ceruos.

*Finibus extremis Lybiæ nutricis equorum*

Ser-

*Serpentum legio feruet cristata per agros.*
*At cum fusus arenoso sub culmine ceruus*
*Molles sub dio carpit per membra sopores,*
*Squammeus extemplo serpentum exercitus illum*
*Inuadit, &c.*

At ne dicatur hic etiam errasse Oppianus eodem abreptus oestro, canendiq; studio, quo deceptus Virgilius sit, alios proferamus testes grauiores. Philostratus in lib. vj. vitæ Apollon. cap. xij. vbi ea percenset, quæ Apollonius ipse propè Nilum aspexit, ceruos nominatim ab eo visos esse commemorat, capreas, struthiones, & feras quasdam ex ceruo mistas, ac tauro. Albericus verò Gentilis in lib. Virgilian. lect. cap. viij. existimat Virgilium cum ceruos in Africa posuit, secutum esse Timæum historicum, cuius haud mediocris auctoritas est. Sed nulla sit Oppiani, Philostrati, Timæi, aut aliorum testificatio. ipso demum comprobatum experimento est, ceruorum in Africa greges esse. Tradit enim Brod. libro Miscellan. viij. cap. xiij. Italos à se, Gallosque, qui fuissent in Africa Barbarorum captiui ea de re interrogatos esse, ac respondisse in Africa ceruos se vidisse permultos.

Quod si tamen alicui auctoritas Aristotelis, & Herodoti, qui ceruos in Africa esse negarunt, tanta videtur esse, vt ne oculis quidem, ipsis existiment habendam fidem, dicere ad tuendum Virgilium poterit, eorum quidem æuo nullos in Africa ceruos fuisse, Virgilij autem ætate iam aliunde aduectos extitisse, adeoq; poëtam ea vti voluisse figura, quæ Græcè dicitur πρόληψις, latinè anticipatio. de qua necesse erit alijs in locis de industria, copioseq; disputare. Dat enim hæc figura poëtis veniam, vt anticipent tempora, dicantq; sine reprehensione aliqua multo iam ante fuisse, quàm nata, aut inuenta essent.

## LOCVS VII.

## DE PICTVRA QVA PASCIT ANIMVM *Aeneas in templo Didonis*.

### An temerè, atque alieno tempore ficta sit.

------- *Videt Iliacas ex ordine pugnas,*
*Bellaque iam fama totum vulgata per orbem.*

Hic etiam aliqui volunt erratum esse, ac per summam inscitiam in eo templo picturam affictam, quam contemplaretur Aeneas; cum pingendi ars Troianorum temporibus nulla fuerit, vt docet Plin. lib. v. cap. iij. in quo de picturæ inuento sic loquitur ad extremum. Fatebiturq; quisquis diligenter eas æstimauerit, nullam artium celerius consummatam: cum Iliacis temporibus eam non fuisse appareat. Nihil

ad Virgilium oppugnandum potuit Plin. explicatius dicere. Liceret mihi quidem eodem planè modo quicquid hic obijcitur amoliri, quo superiorem quæstionem profligaui. Nam & hoc quoque alienæ peccatum est artis, hoc est historiæ, non poëticæ proprium, si peccatum tamen aliquod est; & poëtarum licentiæ dari potest hæc anticipatio temporis, quemadmodum aliæ concedendæ sunt multæ, vt alibi demonstrabimus.

Sed necesse non habemus ad hoc præsidium ire: cum exploratè didicerimus ab alijs, multo iam ante bellum Troianum artificium picturæ fuisse. Neque enim vlla est apud scriptores antiquior memoria quàm belli Thebani inter Eteoclem, & Polynicem. At illo tẽpore laudem aliquam habuisse picturam, atque in pretio fuisse, intelligere licet ex Aeschylo in Tragœdia quæ inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις vbi à nuntio describitur ita Capaneus picturatum ferens in eo prælio scutum.

Ἔχει δὲ σῆμα, γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον.
Φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χειρῶν ὡπλισμένη
Χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασι. πρήσω πόλιν.

*Insigne, nudum gestat in scuto virum,*
*Armata cui stat lampade ardenti manus,*
*Notisq; clamat aureis: Vrbem cremo.*

In clypeo autem Eteoclis hæc ait argumenta, superioribus maximè similia, fuisse depicta.

Ἐσχημάτισται δὲ ἀσπὶς οὐ μικρὸν τρόπον.
Ἀνὴρ δὲ ὁπλίτης κλίμακος πρὸς ἀμβάσεις
Στείχει, πρὸς ἐχθρῶν πύργον ἐκπέρσαι θέλων.
Βοᾷ δὲ χ᾽οὗτος γραμμάτων ταῖς συλλαβαῖς:
Ὡς οὐδ᾽ ἂν Ἄρης σφ᾽ ἐκβάλλοι πυργωμάτων.

*Formatur illi clypeus haud paruum in modum.*
*Armatus etenim vir stat ad schalæ gradus,*
*Vertere inimicorum ad solum turres volens.*
*Itemq; clamat litterarum syllabis.*
*Non ipse me de turribus Mauors ruet.*

Quod si quis diuinando contendat, hæc in ijs Thebanorum ducum clypeis non expicta coloribus fuisse, sed vel cælata, vel sculpta, eum ego reuocauerim ad auctores picturæ multo sanè antiquiores, quàm Troianum Aeneam. Plinius enim idem in lib. vij. eius inuentorem artis ait fuisse Gygem Lydium: qui vixit post nobilem illam eluuionem terrarum, qua nihil est in antiquorum monumentis antiquius. Aristoteles verò excogitatam in Græcia facit à Pyrrho Dædali cognato: Theophrastus à Polygnoto Atheniensi: qui tametsi non æquat alios antiquitate, ostendit tamen incerta initia picturæ fuisse apud priscos scriptores; atque ideo licuisse Virgilio in tanta sententiarum varie-

tate illam probare, quæ picturam faceret bello Troiano vetustiorem. Quid enim magis fingere poëtæ liceat, ac pro facto ponere, quàm quod vtrum factum sit, dubio scriptores inter se iudicio disputant? Sic autem illos de picturæ incunabulis, exortuque disputasse, præter eos quos ante laudaui, ostendunt etiam alij. Nam Aegyptios, vel eodem Plinio teste, ante sex annorum millia picturam apud se inuentam dicebant, quàm transisset in Græciam. E Græcis autem ipsis aliqui apud Sycionios, aliqui apud Corynthios natam putabant. omnes tamen affirmabant vnum; ex vmbra hominis initium habuisse: quã primi eius artis auctores lineis circumscribere aggressi sunt. Præstabit igitur hic adhibere tertiam decimam defensionem expositam à nobis in Prolegomenis, quæ veniam poëtis dat, vt ex opinionibus doctorum hominum aliqua in re variantibus, sibi quamlibet sumant, seponantq; pro arbitratu.

---

## LOCVS VIII.

### DE TEMPORE QVO DIDO *Carthaginem condidit, & an Aeneæ suppar ætate fuerit.*

*Hæc dum Dardanio Aeneæ miranda videntur,*
*Regina ad templum longè pulcherrima Dido*
*Incessit, &c.*

Hic verò laborãdum diutius est. Arguitur enim, planissimèq; conuincitur poëta mendacij: cum Didonem ijs temporibus fuisse finxerit, quibus non dum natam omnes omninò prodiderunt historiæ. Aeneas quippè Didonem antecessit annis ipsis ccxxviij. eoque amplius, vt facilis est supputatio ex Iustino in lib. xliij. vbi scriptum reliquit, Ascanium Aeneæ filium Albam Longam condidisse, vrbemq; illam Regni fuisse caput annis ferme trecentis. excitatam postea, fundatamq; Romam à Romulo, qui ex Albanis Regibus oriundus erat. At Carthago, vt idem docet Iustinus lib. xviij. à Didone condita est annis tantum duobus, & septuaginta ante Vrbis Romæ molitionem. id quod etiam scripsit Orosius in lib. iv. cap. vj. ergo, si duos & septuaginta demas è trecentis, superant anni ducenti, octo, & viginti, quibus Aeneas Didonem antecessit. Eadem pene testatur Velleius Paterc. in libro primo: eoque tantummodo discrepat, quòd Carthaginem exædificatam putat annis quinque, & sexaginta ante Vrbis exordium.

Quin

Quin Dido ipsa cum fuit, & virago, & castissima fuit. Sibi enim in pectus adacto ferro, suo se iudicio præcipitem dedit in subiectum rogum, inspectante populo; ne Iarbæ Getulorum, siue Mauritaniæ Regi, contra quàm Sichæo coniugi vita iam functo pollicita fuerat, nubere cogeretur. Id enim Iarba Rex ab ea non quotidianis modo precibus, sed minis etiam intentatis exprimere conabatur: quod est apud eundem Iustin. lib. xviij. & indicatur à Tertulliano in parænesi ad castitatem. Ait enim Didonem in alieno profugam solo, vbi Regis vltro nuptias optare debuerat, ne tamen secundas experiretur, vri maluisse, quàm nubere. Rectè itaque D. Augustinus lib. Confess. primo cap. iij. Virgilianam hanc de Didone narrationem appellat mendacium. Rectè Macrobius lib. v. cap. xvij. fabulam nominat. Qui cum dixisset, Virgilium non Homeri tantum imitatorem fuisse perdiligentem, sed etiã aliorum, hæc ad rem comprobandam adiungit. Non de vnius racemis sibi vindemiam fecit: sed bene in rem suam vertit quicquid vbicumq; inuenit imitandum, adeo, vt de Argonauticorum quarto, quorum scriptor est Apollonius, librum Aeneidos suæ quartum totum pene formauerit, ad Didonem vel Aeneam amatoriam continentiam Medeæ circa Iasonem transferendo: quod ita elegantius auctore digessit, vt fabula lasciuientis Didonis, quam falsam nouit vniuersitas, per tot tamen sæcula speciem veritatis obtineat. Tantum valuit pulcritudo narrãdi, vt omnes Phœnissæ castitatis conscij, nec ignari manum sibi iniecisse Reginam, ne pateretur damnum pudoris, conniueãt tamen fabulæ. Ita Macrobius. sed præstabit ipsam audire Didonem, apud Ausonium hanc sibi per summam iniuriam impositam calumniam expostulantem.

*Illa ego sum Dido vultu, quam conspicis hospes,*
*Assimulata modis, pulcraq; mirificis.*
*Talis eram: sed non Maro quam mihi finxit erat mens,*
*Vita nec incestis læta cupidinibus.*
*Namque nec Aeneas vidit me Troius vnquam,*
*Nec Lybiam aduenit classibus Iliacis.*
*Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ.*
*Seruaui fateor morte pudicitiam,*
*Pectore transfixo, castos quòd pertulit enses*
*Non furor, aut læso crudus amore dolor.*
*Sic cecidisse iuuat. vixi sine vulnere famæ,*
*Vlta virum, positis mœnibus oppetij.*
*Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,*
*Fingeret vt nostræ damna pudicitiæ? ?*
*Vos magis historicis lectores credite de me,*
*Quàm qui furta Deùm concubitusq; canunt.*

*Falsi-*

*Falsidici vates, temerant qui carmine verum.*
*Humanisq; Deos assimilant vitijs.*

Aliud est etiam Epigramma Marulli in eodem planè argumento, atq; sententia, quod quia concinit, ac respondet Ausonio prætereundum non est.

*Non mihi Phryx nocuit: nec enim Phryga nouimus vllum;*
*Cura sed antiqui casta, tenaxque thori.*
*Quam ne coniugio Lybici violare Tyranni*
*Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu.*
*At vos ò Vates, si sunt hæc præmia laudi,*
*Quæ feret incesti fœmina adulterij?*

Constat igitur omnium testimonio scriptorum mentitum esse Virgilium, tum in componendis temporibus tam inter se varijs, atque distractis, tum in exprimenda Didone contra quàm postulabat eius castitas, & pudicitia. Causam perquirere necesse est, cur id sibi fas esse putarit doctissimus vir. neque enim existimandum est, ea Virgilium ignorasse, quæ isti tàm explicatè ab historicis prodita fuisse commemorant.

Non possum de quæstione statuere, nisi quandam prius exponam licentiam poëtarum, quæ dicitur anachronismus, versaturq; in ratione temporum inuertenda pro arbitratu. Quippè videmus sæpissime nouum tempus ad antiquum transferri, aut antiquum ad nouum; quæque prisco facta suut æuo perindè commemorari, ac si multo post, aut nuper euenissent: contràque quod nouissimè gestum est, iam olim, & temporibus antiquissimis factum esse confingi. Catullus è Latinis primus huius anachronismi sit testis; qui in Epithalamio de nuptijs Pelei & Thetidis ausus est canere, tum Peleum amore captum Thetidis fuisse, cum in Argonautarum expeditione Colchidem adijt ad vellus illud aureum auertendum.

*Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:*
*Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,*
*Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sanxit.*

Et tamen Orpheus, Apollonius, alijq; prorsus omnes testantur, antequam Argonautę illud iter haberent in mari, iam natum Achillem ex Thetide, Peleoque fuisse.

Eadem vsus anachronismi licentia Propertius est in lib. iij. eleg. xij. cæstum, pancratiumq; Spartanorum ludis eo affingens tempore, quo Lycurgi legibus è gymnasio depulsa iam erant.

*Multa tuæ Sparte miramur iura palæstræ,*
*Sed mage virginei tot bona gymnasij.*
*Quòd non infames exercet corpore ludos*
*Inter luctantes nuda puella viros.*

Cum

*Cum pila veloces fallit per brachia iactus*
*Increpat, & versi clauis adunca trochi.*
*Pulueruléntaq; ad extremas stat femina metas,*
*Et patitur duro vulnera pancratio.*
*Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,*
*Missile nunc disci pondus in orbe rotat.*

Videtur his versibus haud dubiè significare, sua memoria, ac ætate cæstum, & pancratium Spartanorum fuisse gymnicos ludos, & tamen optimè norat, opinor, apud Spartanos Lycurgi decreto eas fuisse Gymnasij vetitas exercitationes, in quibus, vt ait Plutar. χεὶρ ἀνατείνεται manus attollitur. At inter ludos, in quibus attolli manum prorsus oportet, pancratium sine dubio fuit maximè, pugilatus, ac cæstus. Quin Seneca ipse planè, distinctèq; docet in libris de benef. pancratium apud Lacedęmonios non fuisse. Lacedæmonij, inquit, vetant suos pancratio, aut cæstu certare: vbi inferiorem ostendit victi confessio. Sciebat, inquam, Propertius hæc: per eam tamen licentiam, de qua dico, illa etiam facta esse post Lycurgi leges commentus est, quæ illius instituto à Spartanorum exercitationibus, ac ludis fuerant iam olim sublata. Ante Lycurgum quippè Lacedæmonijs in vsu fuisse cæstum, ac pugilatum docet nos Lacedæmonius Pollux Castoris frater, vtraque olim exercitatione gymnica nobilitatus.

Ouidius etiam nonnullis in locis temporum seriem, rationemque præuertit ex ea licentia, quàm poëtis videbat esse solemnem. nam in postremo Metamorphos. comminiscitur, Numam Pompilium Pythagoræ fuisse discipulum. At hoc falsò traditum esse Liuius docet in decad. prima, & intelligi facilè potest ex eo, quòd Numam decessisse sciamus Olympiade xx. Pythagoram sexagesima floruisse. Et tamen vtrumq; eodem planè tempore vixisse canit, vt dicebam, Ouidius in lib. Metamorphoseon extremo, iterumq; in tertio de Ponto, & Fastorum item tertio.

Omnes verò aliorum in hoc genere licentias vincit Alexis poëta Comicus apud Athenæum in fabula, quam inscripsit Linum. Inducit enim Linum Herculi, quem erudiebat doctrina, præcipientem, vt è multis, qui aderant libris, vnum caperet, ac seponeret, qui sibi fortè fortuna veniret ad manus. Quos quidem libros enumerans Linus, ait in ijs esse Orpheum, Hesiodum, Cherilum, Homerum, Epicharmum. At hi poëtæ non dum nati erant, fueruntq; Lino, & Hercule longè posteriores ætate. Huic similis est licentia in illo intemperijs agitato, correptoq; furijs Hercule apud Euripidem. parat enim se ad ludos committendos Isthmios: qui sunt instituti à Theseo post obitum Herculis, vt docent Pausan. Plutarch. & Pindari, Apollonijq. Scholiastes. Similis est in eiusdem Euripidis Cyclope: vbi Sicilia Græciæ pars esse di-

se dicitur, in quam tamen non dum erant inductæ Græcorum illæ Coloniæ, quæ postea Græciæ nomen Insulæ illi fecerunt. Eò quippè migrare sunt iussæ post imperium Lestrigonum, atque Cyclopum. Quid multa? Virgilius ipse in Aeneidos lib. vij. ponit à Latino Rege vsurpatum fuisse morem aperiendi Iani.

*Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes*
*Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum*
*Roma colit, cum prima mouent in prælia Martem:*
*Siue Getis inferre manu lacrymabile bellum,*
*Hyrcanisue, Arabisue parant: seu tendere ad Indos,*
*Auroramq; sequi, &c.*
*Hoc tunc Aeneidis indicere bella Latinus*
*More iubebatur, tristesq; recludere portas.*

Hunc inquam morem iam inde à Rege Latino repetit: cum tamen historicorum omnium, ipsiusq. Seruij testimonio nobis exploratissimum sit, eius instituti, religionisq. primum auctorem fuisse Numam Pompilium, illum secundum Regem Romanorum. Huic alius est persimilis apud Virgilium locus in octauo: vbi laudes canuntur Herculis.

*Nec te vllæ facies, non terruit ipse Tiphœus*
*Arduus arma tenens.*

Quo loco Seruius ostendit, aliud tempus fuisse pro alio positum. Confirmat enim poëta, in illo Gigantum prælio nobili Herculem stetisse pro Ioue, nec Typhœo cessisse mõstroso Gigantum Principi, quod falsum erat. Cum enim Hercules vicisset Centauros, vt dictum ante fuerat ab eodem Virgilio:

----- *Tu nubigenas inuicte bimembres*
*Hyleumq. Pholumq. manu, tu Cressia mactas*
*Prodigia, &c.*

sequebatur, non potuisse eundem Herculem Gigantum interesse prælio, qui multis sanè sæculis erant iam Centauros antegressi. Sed quid ego poëtas dico? Plato ipse hac est abusus anachronismi licentia in Dialogis, qui poëmatis similes sunt. Eas enim personas colloquentes habet, quæ, si tempora compares, inter se colloqui non potuerũt; cum æquales ætate non fuerint. Multa præterea dicit, quæ ab ipsa tẽporum ratione sunt aliena: quale illud est in Gorgia de Archelao, quem Macedoniæ Regem tum esse tradit, cum dialogos scribit; nec dubitat paulò post affirmare, Periclem è viuis nuperrimè decessisse. Pericles autem, vt Athenæus ostendit, locum hunc Platonis exagitãs, multo ante quàm imperaret Archelaus, esse desierat inter viuos.

Haud scio, an ad hunc anachronismum, atque ad hunc vsum temporis immutandi, reuocari debeat quod à Callimacho factum est: reuocandum certè contendit Iacobus Mazonius vir doctus, in Apolo-

gia Dantis Aligherij. Cum enim Callimachus in antiquorum legisset historijs, eam annonæ caritatem, quæ, vt ex sacrarum monumētis litterarum didicimus, ipsum tenuit in Aegypto integrum, solidumque septennium, amplificauit illud tempus, atque ad nouem extraxit annos, addiditq;, Nilum interea toto nouennio numquam exundasse, id quod etiam est apud Ouid. in lib. j. de Arte.

*Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua*
*Imbribus, atque annis sicca fuisse nouem.*

Scitum quippè illud est de Aegypto; imminere tàm vberi prouinciæ rerum penuriam, cum parcè, malignèq; circumiectos campos inundat Nilus. ita prorsus, vt scriptum reliquerit Strabo, incolas ex incremēto Nili haud dubiè anni fertilitatem, sterilitatemq; præsentiscere. cuius rationem, ac modum præsensionis planissimè nobis ostenditur his verbis à Plinio. Iustum incrementum cubitorum est sexdecim, minores aquæ non omnia rigant, ampliores desinunt tardius recedendo. hæc enim serendi tempora absumunt, solo madente, illæ non dant sitiente. In duodecim cubitis famem sentit: in tredecim etiam non esurit: quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias.

Ex ijs quæ hucusque de temporis à poëtis vsurpata peruersione disputauimus, decernendum est, non debere Virgilium reprehendi, quòd Didonem illo tempore fuisse dicat, quo tempore nondum erat: cum eo sit vsus comminiscendi iure, quod communis illi, vulgarisque poëtarum licentia concedebat.

Sed quærere tamen præterea libet, cur ea poëtis permissa libertas in tempora sit, vt omnia ijs in eo genere confundere liceat. Ita namque profligabitur omninò quæstio, si hæc etiam causa proferatur in lucē. Eam ego repeto à re credibili, ac verosimili, quæ proposita poëtis ad imitandum est. neque enim verosimile, quod poësi tractatur, id esse necessariò debet, quod omnibus probabile sit: sed satis est, si fidem habeat apud multitudinē, ac vulgus. Huiusmodi verò multæ res sunt, quæ abhorrent quidem ab historijs, ac veritate, sed tamen earum falsitas cum poëtico verosimili non pugnat: quia non abrogat omnem fidem. Illud enim adimit omnem omninò fidem, quod ne populo quidem, ac multitudini credibile est. Quo fit vt quæ rerum, aut narrationum falsitas vulgo, ac popularibus cognita non est, à verosimili poëtarum aliena non sit: cuiusmodi video chronologiam esse; quæ vt probè teneatur à doctis, ac sapientibus viris, à multitudine tamen imperitorum ignoratur. Id etiā ab Aristotele didici. qui in eo cap. xxiij. non obscurè pronunciat, non semper poëtas sequi quod omnibus est credibile, sed sæpè id eligere, quòd aliquibus tantum, aut etiam vni probatur. Igitur Aeneæ cum Didone congressus, si spectes historiam,

& chro-

& chronologiam, nullam meretur omnino fidem, si spectes poëticum verosimile, hoc est, id, quod probari potest à populo, meretur aliquam. Non enim popularis multitudo nouit tàm multos inter vtrumque annos, & sæcula lapsa iam esse. Atque hoc eo fidentiùs à poëta potuit ita peruerti, ac fingi, quòd ne certum quidem, ac exploratum omninò apud historicos tempus sit excitatæ Carthaginis. Etenim Iustinus conditam facit anno secundo, & septuagesimo, Eusebius tertio, & quadragesimo supra centesimum, antequam Roma poneretur a Romulo. Appianus Alexandrinus anno quinquagesimo fundatam vult ante Troianum excidium: sed tamen alios eius vrbis auctores credit, non Sydone, ac Tyro profectam Didonem.

Quod pro Virgilio sic dicitur, alijs etiam opitulatur poëtis: qui tametsi planissimè norant, eruditis, & prudentibus viris credibile non esse quod tam longè abesset à vero, sciebant tamen idem esse probabile vulgo: quod poëticæ satis est. Quotus enim quisque sit è populo, qui sciat, Achillem multò ante natum fuisse, quàm Argonautæ proficiscerentur in Colchidem? aut Lacedæmonios vetuisse suos pancratio, & cæstu decertare; aut Pythagoram multò post vixisse, quàm Numa Romæ regnaret; aut Herculem, & Linum, Homero, Hesiodo, alijs esse ætate longè antiquiores, aut Isthmicos ludos institutos fuisse defuncto iam Hercule, aut morem aperiendi Iani à Numa, non à Rege Latino traditum esse. Ergo fas est poëtis immutare, ac peruertere rationem temporum: quia de rei veritate plerumq; popularibus, ac vulgo non liquet, quibus omninò seruiat poëta necesse est, vt copiosius alibi explicabimus.

---

## LOCVS IX.

## *AN AENEAS MERITO, ac iure dicatur à Virgilio Pius.*

*Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter*
*Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.*

Hi versus cum eo, qui hos antecessit. [Sum pius Aeneas, &c]. faciũt, vt hoc loco quærere debeamus, an illud epitheton, & cognomentum Pij fuerit Aeneæ meritò tributum, & congruenter. Causam cur ea de re dubitandum, & quærendum sit, à multiplici pietatis notione repetendam puto. Est enim ambiguum nomen, ac multiplex, hoc est tàm multa variaque significans, vt nisi ea distinguamus initio, tota disputationis ratio perplexa futura sit, atque difficilis.

Prin-

Principio igitur verè,propriéq; pietas ea virtus eſt, quæ cultum tribuit ijs, quorum beneficio ſecundum Deum ſumus, regimur, alimur,& conſeruamur. Qua ex notione, ac definitione pietatis ſequitur illud, vt pietatis officium ſit propriè erga parentes, qui nos ediderunt in lucem, erga propinquos, erga patriam, erga ciues, à quorum ſingulis aliquid in illo genere beneficij hauſimus. Vidit hæc, docuitq. in lib.ij.de Inuen. M.Tullius: cuius eſt ea Pietatis definitio ab Auguſtino viro ſanctiſſimo probata,planeq. deſcripta. Pietas eſt,per quam ſanguine iunctis,patriæque beneuolis officium, & diligens cultus tribuitur. Hanc pietatis veram,incorruptamq. notionem ſecutus Valerius eſt in lib.v.cum illorum exemplis, qui parentum, & patriæ fuerunt obſeruantiſsimi,titulum,atque indicem fecit. de pietate erga Patriam, erga parentes, &c. prudenterq. in fine cap.iv. narrationem hoc epiphonemate concluſit. Ceteræ virtutes admirationis tantummodo multum; pietas verò etiam amoris plurimum meretur. Significat enim, hanc vnam ex omnibus virtutem ſuum ijs officium præſtare, quos nobis ipſa natura ſummo vitæ beneficio copulauit. In hanc eandem ſententiam idem vſurpauit pietatis nomen Cicero, ſed metaphoricè, cum ſuam in Lentulum beneuolentiam appellauit pietatem. videbat enim ſuo ſe muneri ſatisfacere non poſſe, niſi parentem ſalutis ſuæ non beneuolentia tantum, qua colimus amicos, ſed etiam eo, quo vitæ noſtræ obſeruamus auctores,pietatis officio proſequeretur. Periucundæ mihi fuerunt,inquit, litteræ tuæ, quibus intellexi,te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam,cum illud ipſum grauiſſimum, & ſanctiſſimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur? Ab hac propria, germanaq. ratione aliæ fluxerunt minus propriȩ,quas tamen vſus, & conſuetudo probauit.

Nam primo quidem pietas ſæpiſsimè apud Latinos eſt ille cultus, quo vitæ noſtræ principem,auctoremq. primum veneramur Deum. Religio quidem magis propriè dicitur hæc virtus, quæ Deum obſeruat, ſed eo differt tamen à pietate, quòd religio Dei præpotentis excellentiam intuetur, pietas procreationis beneficium, vitæq; fontem primarium in eodem Numine veneratur, & colit. Si enim parentes noſtræ dicimus auctores vitæ, illoque eos nomine colimus,quanto eſt æquius eiuſdē vitæ fontem appellare Deum, eumque propterea omni planè ſignificatione pietatis obſeruare?Sed tamen hæc vtriuſq. virtutis erga Deum officia confunduntur vno pietatis nomine, quo ſæpenumero ſcriptores eam, quæ propriè dici deberet religio, exprimere, ac ſignificare non dubitant. Quare Auguſtinus integerrimus, idemq; doctrina vir excultiſſimus in lib.x.de Ciuit.cap.1. docuit, intelligere nos ſolere Dei cultum,cum pietatem nominamus, hoc eſt eam animi

virtu-

virtutem, quam Græci dicunt εὐσέβειαν; Latini religionem appellant. Cicero ipse pro religione distinctè, disertèq; pietatem posuit in orat. pro domo sua. [Nec vlla erga Deos pietas nisi honesta de eorum numine opinio est.] Honesta enim de Deo sententia ea propriè, restrictèq. virtus est, quæ Dei veneratur excellentiam, atque in omnes omninò virtutes imperium habet, ac dominatum. Clarius in oratione pro Plancio. [ Fundamentum virtutum omnium pietas est.] fundamentum quippe virtutum omnium est ea, quæ propriè religio dicitur, & rectus sensus de Deo.

Secundo loco magis impropriè pietas omnem omninò virtutem significat, in primisq. Iustitiam: quo factum est, vt virtute præstantes, probiq. viri dicantur pij; scelesti, improbiq. nominentur impij.

*Impius hæc tàm culta noualia miles habebit?*

flagitiosus nimirum, atque iniustus. Id autem propterea sic est vsu sermonis, & loquendi consuetudine iam receptum, quòd qui virtuti, iustitiæque potissimùm vitam consentaneam degunt, illi Deum præcipuè videantur, & singulariter colere; in cuius gratiam eam viuendi rationem instituerunt. Cultus autem Dei pietas sæpè dicitur, vt declaratum est satis.

Tertia pietatis notio omnium maximè impropria est; quia misericordiam, clementiamq; significat: quarum officia virtutum longissimè distant à vera notione pietatis. Sic tamen obtinuit vsus, vt quos misericordes, & clementes dicere volumus, eosdem pios nominemus: quod pulcherrimè scribit Augustinus loco laudato, vbi causam etiam impropriæ huius appellationis exponit. More vulgi, inquit, nomen pietatis etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè mandat Deus, eaque sibi præ sacrificijs placere testatur. Ex qua consuetudine factum est, vt Deus ipse, qui clementissimus est, pius diceretur.

Quibus ita positis, aiunt aliqui, vel falsò, vel minus congruenter à Virgilio dici piũ Aeneam. Quantum enim attinet ad propriam illam notionem pietatis, quæ officiũ patriæ tribuit, & cultum ciuibus, Aeneas minimè debuit effingi pius: cũ Troiam vnà cum Antenore prodiderit Græcis, vrbisq. portas hostibus aperuerit, vt rem litteris consignarunt historici, potissimumq; Dares Phrygius, qui bello Troiano, vt Isidorus ait, interfuit. Sic enim eam proditionem testatam reliquit in postrema eius libelli parte, quem de Troiano inscripsit excidio. Postquã pacta data sunt, Polydamas (qui ad proditionem transigendam in Græcorum castra secesserat) in vrbem redit; rem peractam denũciat. Dicit Antenori, & Aeneæ, ceterisq., quibus placitum erat, vt suos omnes adducant, & noctu Scæam portam aperiant, lumen ostẽdant, exercitum inducant. Antenor, & Aeneas noctu ad portam præstò fuere.

Neoptolemum exceperunt, exercitui portam reserarunt; lumen ostenderunt, fugam præsidio sibi, suisque prouiderunt. Quæ si vere dicuntur (dicuntur autem vere, quia dicuntur historicè) non licuit Virgilio Aeneam facere tàm pium in suos, quem historici affirmant in patriam fuisse tam impium.

Sed esto: licuerit id comminisci ex poëtarum fortasse licentia, debuit tamen Aeneas etiam ea instrui pietate, quæ probitas, innocētia, iustitia est: qua qui non est præditus, pius profectò dici non potest. At Aeneas stupro Didonem polluit, pollutam prodit, ac deserit, inuadit alienæ regna, vastat Italiam. Quid verò de misericordia, & clementia dicatur, quæ postrema notio pietatis est? Ille ne pius, qui multis supplicibus, ac pœnam deprecantibus eripuerit per summam immanitatem vitam, quique Turno ipsi manus iam danti, concedentique publica professione victoriam non erubuerit gladio mortem afferre? Restat igitur, vt propterea tantummodo dici pius queat, quòd Deos impensè coleret, & Penates illos, parentem, filium flammis ereptos auexerit secum in Italiam. At ne hoc quidem credibile est eum fecisse, qui neque in patriam pius, neque in societatem humanam iustus, neque in supplices clemens, ac misericors sit. Quod tamen si fecit, haud propterea Pij cognomentum promeretur: cum aliæ quoque virtutes, quibus patriæ, quibus deprecatoribus, quibus humano generi præstatur officium, in eo Principe debeant apparere, qui verè Pius appellatione solemni dicendus sit. Quare Imperatores illi, quibus hoc est à rectè factis impositum nomen, non à religione modo, sed à misericordia, à clementia, à iustitia, ab officio in patriam, à probitate, ceterisq. virtutibus honorificum illum titulū sibi pepererunt. libet hoc ipsis propemodum oculis in Antonino perspicere, qui primus appellatus est Pius. Eius enim cognomenti causas innumerabiles, ac varias à multiplici petitas virtute ita commemorat, exponitq. Iulius Capitolinus in vita. Fuit, inquit, vir forma conspicuus, moribus clemens, placidus ingenio, mitis; præcipue sobrius, diligens agri cultor, alieni abstinens, in cunctis postremò laudabilis, & qui meritò Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparatur. Pius cognominatus est à Senatu, vel quòd socerum fessa iam ætate, manu, præsente Senatu, leuauerit (quòd quidem non satis magnæ pietatis est argumentum, cum impius magis sit qui ista non faciat, quàm pius qui debitum reddat,) vel quòd eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi iusserat, reseruauit; vel quòd Hadriano contra omnium studia post mortem infinitos, atque immensos honores decreuerit: vel quòd cum se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodia, & diligentia fecit, ne id posset admittere: vel quòd verè natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecerit. Multæ, quòd vides, hic enumerantur

tur animi dotes, ac virtutes, quæ Pij cognomentum Antonino dederunt: sed præcipua clementia est. à qua potissimum appellatum esse Pium ostendit etiam M. Aurelius in epistola ad Faustinam filiam. Clementia, inquit, patrem tuum in primis Pij nomine ornauit. Assumpserunt hoc sibi postea Pij cognomentum alij, qui consecuti sunt, Imperatores. Nam quemadmodum Pater patriæ dictus, & consalutatus à Senatu primus est Cicero, ac post eum alij, seu per assentationem, seu propter merita idem adepti sunt nomen, sic post Antoninum alij quoque, vel assentatoriè, vel verè dici cœperunt Pij. Eiusmodi Septimius fuit: in cuius arcu triumphali ad Forum Boarium sub Capitolio legimus. *Imp. Cæs. L. Septimio M. Fil. Seuero, Pio, Pertinaci, Patri Patriæ.* Et in Pantheo. *L. Septimius Seuerus, Pius, Pertinax, & Imp. Cæsar. M. Aurelius Antoninus, Felix. Aug. Pantheon vetustate corruptum omni cultu restituerunt.* Iustinianus hanc item appellationem est cõsecutus, vt ipse demonstrat Institutionum initio. *Imp. Cæsar. Flau. Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius.* Cui altera respondet inscriptio in ponte Salario. *Imperante Domino nostro Pijssimo, ac Triumphali semper Iustiniano Pijssimo Augusto, &c.* Eodem insignitus est titulo Valentinianus; cuius hodieq. hic visitur index in ponte Insulæ Tyberinę, qui dictus est Cestius. *F. Valentinianus, Pius, Felix, Maximus, Victor, &c.* Quin Augustæ ipsæ Imperatorum coniuges aggressæ postremò sunt eius sibi gloriam nominis vsurpare. Nam in quibusdam numismatis ita scriptum inuenimus. *Diua Faustina, Pia, sideribus recepta.* Sed hi, alijque prope innumerabiles Imperatores illo cognomento Pij, quod putarunt sine dubio gloriosissimum, non vnam voluerunt exprimere religionem, sed clementiam, probitatem, iustitiam, virtutes ceteras, vt docuit in Antonino Iulius Capitolinus; ijque demonstrant tituli, qui subiunguntur: Patri patriæ, &c. Immo verò disertè articulatimq. hoc dicere, ac docere nos voluisse videntur ij, qui Galieno posuerunt arcum illum adhuc extantem in Vrbe ad D. Viti. *Galieno clementissimo Principi. cuius inuicta virtus sola pietate superata est.* Quid enim hic est pietas, nisi ea virtus, quæ clementissimi nomen Galieno Principi iure, ac meritò impertita est? Multo planius id nobis ostendit ille, qui præcepta ciuilia tradit Honorio apud Claudianum, in panegyr. iv.

*Sis pius in primis. nam cum vincamur in omni*
*Munere, sola Deos æquat clementia nobis.*

Hęc autem cum sic agerent, ac dicerent summi viri, quid significabant aliud, nisi Imperatores, ac Principes dici pios iure non posse, nisi religioni clementiam, aliasq. virtutes adiungerent, quarum ipsa religio, vt Cicero dixit, est parens, ac fundamentum? Ex quo prorsus effici-

tur, Aeneam quantumuis religiosum, haud fuisse prudenter, appositèque dictum à Virgilio pium: quia pietatis non omnes omnino numeros, ac partes expleuit: quæ clementia, misericordia, iustitia, multiplici demum cunctarum prope virtutum genere continentur. hæc isti dicunt, qui Virgilium in ea pietate, quam Aeneæ tribuit, peccasse cōtendunt. Nos qui cœpimus hominis causam tueri, quantum ab ingenio fas est, eorum obiecta diluamus.

Confirmo itaque primùm: licuisse Virgilio pium Aeneam facere, quem historici fuisse dicunt in ciues, ac patriam impium: quia rei veritas obscurissima erat, nec ab alio tradita, quàm à Darete. Huius autem monumenta scriptoris, non erant in populi manibus. Quo fiebat, vt esset credibile multitudini, quod paucissimis erat incredibile. Id verò esse illud verosimile, quod poëticæ propositum est, in proximè superiore disputatione demonstrauimus; cum de Didone diximus, Aeneaq. in idem planè tempus à Virgilio compulsis: qui verè tamen varia, diuersaq. vixerunt ætate. Neque enim illud est alienum à poëtico verosimili, quod aliqui sciunt esse falsum, sed quod omnes, hoc est ipsi etiam populares, abhorrere intelligunt à veritate. Reprehendēdus quidem Virgilius esset, si quem ipse tam pium facit, eundem faceret aperientem portas, prodentemq; hostibus ciuitatem. Sed quia locum istum declinat, Aeneamq. ex ea, quam habet in rebus obscuris comminiscendi licentia, ita format, ac fingit, vt pro patriæ salute in vitæ se discrimen obijcientem, patrem, filium, Deos, Penates è flammis eripientem faciat, omni reprehensione carere debet, nec potest à Censoribus, nisi per iniuriam accusari.

Quod verò de probitate, deque iustitia dicitur, qua præditos esse oporteat eos, qui perfectè, absolutèque dicendi sunt Pij; pronunciare non dubitauerim, Aeneam innocentissimum, ac iustissimum esse. Quantum enim attinet ad compressam Didonem, facilè se purget, cum ab ipsa potius in eam amoris fraudem perductus sit, quàm eandē ipse pellexerit. Neque enim apud veteres illos homines flagitiosa in eo genere putabantur esse, quę vi carerent, & iniuria. At violatam iam deserere non debuit. Iubebat hoc Iuppiter, qui subinde Mercurium allegabat Carthaginem, vt inde remorantem Aeneam, Didone reclamante, depelleret. De occupata verò Italia non est adeo laborandum. Illud enim ius, eamque possessionem acceperat ab oraculis, atque à Ioue, quem non Italiæ modò, sed orbis etiam terrarum dominum putabant antiqui.

Tertius locus, qui de clementia est, & misericordia, salebras videtur habere maiores: sed tamen clementissimus est habendus, & dicendus Aeneas etiam tum, cum ab istis accusatur inclementiæ, & crudelitatis. Videntur illis impia, quæ commemorantur in lib. x. de

Aenea viuos reseruante captiuos octo, quos immolaret ad bustum Pallantis.

*——————— Sulmone creatos.*
*Quattuor hinc iuuenes, totidem quos educat Vfens*
*Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris,*
*Captiuoq. rogi perfundat sanguine flammas.*

Et quæ dicuntur in vndecimo de eodem Aenea, funebrem Pallanti pompam adornante. has enim ipsas hostias cum ceteris ferculis, donisq. supremis ad tumulum duci iubet.

*Multaq. præterea Laurentis præmia pugnæ*
*Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.*
*Addit equos, & tela, quibus spoliauerat hostem,*
*Vinxerat, & post terga manus, quos mitteret vmbris*
*Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.*

Hæc inquam ijs argumenta videntur esse summæ crudelitatis, & ea, quæ iure Lactantium in se declamatorem prouocarint. Apud Maronem, inquit, libro v. cap. x. Rex ille,

*——————— Quo iustior alter*
*Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,*

quæ nobis documenta iustitiæ protulit?

*Vinxerat & post terga manus, quos mitteret vmbris*
*Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.*

Quid potest esse hac pietate clementius, quàm mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tamquam oleo pascere? Sed fortasse non hoc ipsius vitium fuit, sed poëtæ, qui illum insignem pietate virum insigni scelere fœdauerit. Vbi est igitur ò poëta pietas illa, quam sæpissimè laudas? Ecce pius Aeneas.

*——————— Sulmone creatos*
*Quattuor hinc iuuenes, totidem quos educat Vfens*
*Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris,*
*Captiuoq. rogi perfundat sanguine flammas.*

Cur ergo dicebat hoc ipso tempore, quo vinctos homines ad immolandum mittebat [equidē & viuis cōcedere vellem] cum quos viuos habebat in potestate, vice pecudum iuberet occidi? Sed hæc, vt dixi, culpa non illius fuit, qui litteras fortasse non didicerat, sed tua: qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas, & illud ipsum quod nefariè, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Ita declamat Firmianus. qui profectò luderet extra chorum, nisi verbis vltimis imprudens, ac nolens Virgilio patrocinium addidisset: cum ad extremum conclusit, eum ignorasse quid esset vera pietas, & religio. Verè enim ignorauit, qui pro religione superstitionem coluit ea tempestate vulgarem. Sed aliud est antiquorum accusare supersti-

perſtitionem, aliud Virgilium arguere, quòd congruentia illorum tẽporum pietati non finxerit: quod omnino faciendum fuit, ſi poëta cum conſilio, ac ratione reprehendendus erat. Ita quippe minus congruentia diceret, ſi vera religione fuiſſet imbutus. ſed quia ſuperſtitionem execrabilem veram putauit religionem, illi ſuperſtitioni maximè congruentia finxit, & Æneam maxime pium, ac miſericordem fecit in Pallantem, qui videtur in ſpeciem aduerſus illos captiuos, ac ſupplices crudeliſsimus. Sic enim ipſi animum inducebant ſuum, mortuorum hominum, vitaq. iam defunctorum animas delectari hoſtiarum ſanguine, ac potiſſimum humanarum. Quare vt ijs requietem impertirent, ac pacem, rogos, buſta, tumulos, ac ſepulcra perfundebant humano ſanguine, præcipuè verò captiuorum in prælio, qui quidem vſus inductus, & ſublatus eſt, ſubſtitutis in captiuorum locum gladiatoribus buſtuarijs, vt Seruius tradit. Itaque ſi noſtram, hoc eſt veriſſimam, incorruptamq. ſpectemus religionem, impius eſt Aeneas: ſin antiquam illam, quam ipſe colebat impendiò, maximè dicendus eſt pius: immò verò etiam clementiſſimus eſt habendus. Nulla enim poterat eſſe maior, nulla iuſtior clementia, & miſericordia, quàm quæ Pallantis oblectare ſtuderet animam inimicorum ſanguine. Sed tamen vnum eſt, quod non ita facilè vindicare poſſimus in lib. x. de Mago illo: qui genua complexus Æneæ, vitam ſuppliciter expoſcit cum obſecratione miſerabili: & tamen ab Ænea tam pio, non modo non auditur, ſed irridetur, depellitur à genibus, occiditur. Nam quæ ſuperſtitio ad eam illum crudelitatem adegit?

*Inde Mago procul inſenſam cum tenderet haſtam,*
*Ille aſtu ſubit, ac tremebunda ſuperuolat haſta:*
*Et genua amplectens effatur talia ſupplex.*

Hunc, inquam, ſupplicem, obſecrantem per manes Anchiſæ, Iuliq. vitam, ad ea genua tamquam ad aram miſericordiæ confugientem obſtinatè repudiat Aeneas, &

*Sic fatus, galeam læua tenet, atque reflexa*
*Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem.*

Quid ille Lucagus, & Lucagi frater in eodem lib. decimo? non illi quidem immolantur ad buſtum, ſed cum irriſione quadam amariſſima contrucidantur in acie. Pius enim Aeneas ita eos

*----------- dictis affatur amaris.*
*Lucage nulla tuos currus fuga ſegnis equorum*
*Prodidit, aut vanæ vertere ex hoſtibus vmbræ.*
*Ipſe rotis ſaliens iuga deſeris. Hæc ita fatus,*
*Arripuit biiugos. frater tendebat inermes*
*Infelix palmas curru delapſus eodem.*
*Per te, per qui te talem genuere parentes*

*Vir Troiane sine hanc animam, & miserere precantis.*
*Pluribus oranti Aeneas. haud talia dudum*
*Dicta dabas: morere, & fratrem ne desere frater.*
*Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.*

Sed tamen is etiam eodem præsidio dissoluitur nodus. Quamquam enim hos non immolat Aeneas, neque tanquam hostias admouet ad tumulum, ipsis tamen interficiendis illud agit, vt Pallanti ab hostibus occiso gratificetur, quod existimat esse misericordiæ, summæq. in amicum extinctum pietatis officium. quippe hoc etiam crediderunt antiqui, defunctorum manes non modo sanguine illo delectari, quo perfundebatur rogus, ac tumulus, sed etiam reposcere vehementissime vltionem, ac pœnas ab ijs, à quibus essent occisi. sic, inquam, vt errabundæ, miserrimæq. putarentur animæ, quæ iacerent inultæ, quarumue mortem, aut iniurias nemo apud viuos vlcisceretur. Hac nimirum imbutus opinione Lucanus, animam Crassi à Parthis interempti errare cecinit inultam, quia non dum in eam prouinciam Romanus exercitus ductus erat ad repetendas à Barbaris pœnas. hac institutus Ouid. Althæam inducit, occisis à Meleagro filijs eiusdē Meleagri morte postrema solatia dantem. hac ante omnes inducti Græcorum Tragici Polyxenæ morte placarunt Achillis interfecti manes. hac demum Dido iam olim erudita, imminente obitu summam suæ calamitatis eam esse putabat, quòd moreretur inulta. Quin Opis apud Virgilium ipsum libro vndecimo, Aruntem occisura, animam Camillæ demortuæ sic consolatur.

*Non tamen indecorem tua te fortuna relinquet*
*Extrema iam morte, neque hoc sine nomine lethum*
*Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.*
*Nam quicumq; tuum violauit vulnere corpus*
*Morte luet merita.*

Cum igitur Æneas in eo totus esset, vt Pallantis placaret manes, vel sacrificio funebri, vel vltione, captiuos illos reseruauit inferijs, obuios hosce cōfixit gladio, vtroq. prorsus officio Pallanti gratificaturus, sacrificium, & vindictam exposcenti. Atq. id de Turno etiam ipso dicēdum, & constituendū erit: cui sine dubio dedisset veniam, nisi Pallantis animā, cuius repente baltheus apparuit, illo sanguine placare voluisset. Quod profecto singularis indiciū est misericordiæ: cū debuerit vir humanissimus moueri potius calamitate Pallātis, qui errabat inultus apud inferos, ac de vindicta sollicitus, quàm precibus, aut Magi, aut Lucagi, aut etiā Turni supplicantis inflecti. eorum quippè sanguine, ac cæde requies Pallanti parabatur, vt diximus. Quin à Turno reposcebat pœnas illas Euander hospes, de quo in eo prælio maximè cogitabat Aeneas, cū interfecto Pallante tā multos occideret: vt dicitur in lib. x.

*Proxima quæq. metit gladio, latumque per agmen*
*Ardens limitem agit ferro. Te Turne superbum*
*Cæde noua quærens. Pallas, Euander, in ipsis*
*Omnia sunt oculis: mensæ quas aduena primùm*
*Tunc adijt, dextræq. datæ.*

Hoc igitur agebat suo quidem iudicio, & voluntate, vt Euandri dolorem consolaretur; sed nimium quantum ad idem est officium incitatus ipsius Euandri postulatis: qui recepto Pallantis corpore, hoc disertè nuncijs dedit in mandatis, vt ad Aeneam in regressu deferrent: mortem se Turni peroptare vehementer, quæ Pallantis animam, manesq. demulceret.

*Vadite, & hæc Regi memores mandata referte.*
*Quòd vitam moror inuisam Pallante perempto,*
*Dextera causa tua est. Turnum gnatoq. patriq.*
*Quam debere vides: meritis vacat hic tibi solus,*
*Fortunæq. locus. non vitæ gaudia quæro:*
*Nec fas: sed gnato Manes perferre sub imos.*

Fuisset igitur inhumanus Aeneas, si Pallantis animam inquietam, & hospitis Euandri postulata neglexisset. Neglexisset autem, si Turnum ipsum, quantumuis obsecrantem, postremumq, supplicium deprecantem audiuisset.

---

## LOCVS X.

## DE TOTIVS PERFECTIONE LIBRI.

### An aliquid in eo desideretur, aut superet.

Id placuit extremo loco quærere; quia Casteluitrus habet duo, quæ hoc in primo libro reprehendat: vnum; quod superuacaneũ sit, alterum, quod in opere minus absoluto requirendum videatur. Superuacaneam ait esse illam Amoris in Ascanium metamorphosin, & commutationem extrinsecus accersitam: desiderari verò mulierum Troianarum hospitium, quæ relinquuntur in littore, vel in classe; cum earum nulla mentio fit, dum alij Carthaginem omnes aduocantur.

De Cupidinis illo episodio in Ascanium commutati respondeo, non esse redundãs, ac vacans, quia verè dignus erat vindice nodus ille, nec soluendus, nisi per machinam. Cum enim Dido castissima, non modo peregri-

peregrinos illos homines, ignotosq. exceptura esset hospitio libentissimis animis, verum etiam eorum Ducem impotenter amatura, tam admirabilis ea res videbatur, vt nisi aliquis interueniret Deus, qui Didonem flecteret, caperet, prioris viri obliuione quodammodo consopiret, incredibilis futura esset, nec vllam apud quempiam fidem habitura. Quis verò è Dijs omnibus hanc æquius sibi vindicabat machinam, quàm ille, qui & beneuolentiæ putabatur esse conciliator, & eius frater, aduersus quem ea Regina erat amoris ardentissimis facibus inflammanda?

Quod verò de curta, imperfectaq. libri compositione dicitur, multis refelli nominibus potest: sed vnum est satis. Quid inquam? Nemo est, opinor, qui non videat, feminas illas Troianas fuisse gregarias, ac vulgares: adeoq. mirabitur nemo, si minus hospitio recipiantur, aut relinquantur in classe, velut impedimenta quædam, & onera nauium: cum præsertim Aeneæ consilium esset, non resistere Carthagine, sed primo quoque tempore in Italiam soluere. Etenim si inter eas fuisset aliqua regia femina, vel primaria, fuisset sine dubio illo perbreui etiam tempore accipienda hospitio, & adhibenda conuiuio. Nunc autem cum vulgares essent, nihil erat necesse curam istam suscipere, aut earum mentionem aliquam facere, dum Æneas, dum oratores, dum Troianorum primi commemorantur.

Suspicari præterea licet, exceptas illas feminas hospitio fuisse cum reliquis Troianis: sed tamen id non erat memoriæ prodendum, aut perhibendum poëtæ versibus nominatim; cum nulla, vt diximus, esset inter eas tàm magni nominis femina, vt præcipuam postularet à poëta commemorationem.

*Finis Libri Primi.*





# LIBRI SECVNDI AENEIDOS.

## LOCVS PRIMVS.

## *DE DISPOSITIONE POETICAE narrationis.*

## *AN NECESSARIO DIFFERRE DEBEAT ab historica.*

Conticuere omnes, &c.



ANC huius initio Libri ſecundi quæſtionem proponimus, quia rei geſtæ videbatur ordo poſtulare, vt narrationis initium caperetur ab incendio Troiano, aut ab eo tempore, quo ſtatim poſt incenſum Ilium claſſis illa ſub Idæ montibus adornata ſoluit ex Antandro. Illud tamen in libro ſecundo narratur, hoc in tertio: nec expoſitio poëtica prius exordium narrandi fecit, quàm ſeptem ipſos annos erraſſet Æneas, vt Dido teſtatur in primo.

*Immo age, & à prima dic hoſpes origine nobis*
*Inſidias, inquit, Danaum, caſuſq. tuorum,*
*Erroreſq. tuos. nam te iam ſeptima portat*
*Omnibus errantem terris, & fluctibus, æſtas.*

Quærendum igitur eſt, an ita neceſſe habeant ordinem perturbare poëtæ,

poëtæ, vt aliud dare principium poëmati debeant, quàm quod ab ipsa rei gestæ serie sibi vident offerri: cum præsertim Homerus in vtriusque structura operis idem secutus sit institutum; nec inter poëtas vniuersos alios numerare possimus, qui contra fecerint, quàm post Virgilium Latinos illos alterius classis, Silium Italicum, Lucanum, Valerium Flaccum, alios ex eodem ordine paucos.

Si consulamus Horatium, sine dubio respondebit, poëtæ à rei gestæ medio impositam omnino esse necessitatem poëmatis inchoandi: nec aliter exponi, disponique posse poëticum argumentum.

*Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,*
*Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.*

Quo loco citra controuersiam hoc tradit præceptum ingressionis: quia de principijs ibi poëmatum disputat aduersus Cyclicum, atque hæc subiungit versibus illis, quos modo laudaui.

*Semper ad euentum festinat, & in medias res*
*Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ*
*Desperat tractata nitescere posse, relinquit.*
*Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,*
*Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Eandem exposuerat ante præceptionem initio artis. quo fit, vt minus de hominis sententia dubitare debeamus. Ita enim ordinem, dispositionemq. poëticam describit dilucidè.

*Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor,*
*Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici*
*Pleraq. differat, & præsens in tempus omittat.*
*Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.*

Sed tamen aliqui requirunt in hoc genere auctoritatem, ac doctrinam Aristotelis; quem dicunt, vel ea de re non præcepisse, vel alia sensisse omnia, quàm quæ hic ab Horatio pronunciantur ex tripode. Nam in cap. v. poëtices, vbi de fabulæ magnitudine disserit, cum eam dixisset oportere ex principio, medio, fine coagmentari, veluti corpus aptè, congruenterque compositum ex partibus, principium ita definiuit. Principium illud esse dicimus, quod non necessariò post aliud est, & quo aliquid posterius necessariò est. Docet igitur Aristoteles principium illud esse, quod reliqua antecedit omnia: id vero quid est aliud, nisi quod ante gestum est? Et monstri profectò simile videatur, si quod medium est, initio collocetur. Locum alium proferunt Aristotelis: vbi sic pene loquitur. Atque hæc in ipso contextu ita sunt componenda, vt ab ijs, quæ ante gesta sunt, nasci consequentia videantur. Existimant enim eum velle, vt quæ gesta prius sunt, priore loco constituantur, quemadmodum fieri videmus in historica collocatione, in qua temporis, naturæq. ordo retinetur.

Au-

Audiendi tamen isti meo iudicio non videntur: neque ob eas ipsorum rationes explodendi poëtarum principes sunt, qui naturæ temporisq. perturbarunt ordinem: nec antiquorum omnium repudianda sententia est, qui semper existimarunt, hoc nomine potissimum historiam ab Epica differre, quòd illa dispositionem sequatur temporis, & naturæ, hæc artificiosam, permutatisq. temporibus collocationem accersitam. Nam Dio Chrysostomus in oratione Troiana, non modo nominatim Iliadem immutato rerum ordine dispositam esse ait, verùm etiam docet vniuersè, illum eundem esse morem, idemq. institutum omnibus, qui res falsas reddere credibiles oratione conantur. Cum Homerus, inquit, suscepisset explicandum Græcorum bellum aduersus Troianos, non est aggressus ab initio, sed aliunde: id quod faciunt plerique omnes, qui mentiri volunt, ac mentiendo tamen fidem obtinere. Implicant enim omnia; nec quicquam ordine dicunt: rati, eo modo facere se posse, vt mendacium multo minus appareat: In iudicijs hæc cernere licet expresse, alijsq. sanè multis in locis, vbi callidè tractatur artificioseq. mendacium. qui verò sic res demonstrare volunt, vt gestæ sunt, priora prius dicunt, deinde posteriora: tum alia subiungunt, vt tempus, & ratio postulant. Hæc ergo vna est causa, cur Homerus noluerit in sui poëmatis expositione ordinem temporis, ac naturæ seruare. Ex hac inquam Dionis Chrysostomi disputatione, non modò conijcere, sed intelligere perspicuè possumus, antiquorum illam opinionem fuisse, quæ crederet, proprium esse poëtarum in narranda, disponendaq. fabula ordinem inuertere, ac permutare. Videtur idem docuisse Quintilianus his verbis [Vbi ab initijs incipiēdum, vbi more Homerico à medijs, vel ab vltimis] Cum enim morem Homericum dicit, poëticum intelligit, aut epicum vniuersè. Quin ita prorsus interpretandum puto prouerbium illud, quod vulgò in eos vsurpatum est, qui aliquid ordine peruerso facerent. ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον. dicebantur quippe rem Homericè, hoc est poëticè disponere, posthabitis prioribus, posterioribus antepositis.

Itaque Rodulphus Agricola in tertio libro de Dialectica Inuent. capite septimo, antiquorum iudicia sequutus, decernere non dubitauit, ac pronunciare, inter poëticam, historicamq; narrationem hoc esse discrimen vel maximum, quòd historicus naturalem persequitur seriem, priora primo loco statuens, secundo, tertioue posteriora; poëta rerum gestarum naturam, ordinemq. perturbat, à medijs exordiens rebus, prætermissas aliquo commento, aut episodio postmodum reprehendens.

Ad Aristotelem veniamus, quem isti nobis opponunt. Et quoniam primo loco contendunt, nullam ab eo traditam esse in hoc genere præceptionem, id primùm etiam nos falsò dici demonstremus, deinde

locos

locos illos interpretemur, vbi contra sensisse videtur, quàm vulgò iam de dispositione poëticæ narrationis existimetur.

In cap. poëtices xxij. vbi de narratiua poësi, hoc est Epica dedita opera, consultòq. disputat, ita præceptum hoc, si minus expresè proponit, abditè certè, ac dissimulanter adumbrat. De narratiua, inquit, imitatione illud constat; oportere in ea fabulam ex vna tantum actione perfecta sic constituere, quemadmodum constituitur in Tragœdia: quæ nimirum principio, medio, fine, componatur, vnumq. veluti corpus, aut animal suis absolutum partibus efficiat, à quo peculiaris quædam voluptas, delectatioq. nascatur. Constat item eiusdem narratiuæ poëseos fabulam vsitatis historijs dissimilem esse debere: quæ non vnius tantum actionis expositionem habent, sed temporis tantum vnius. Ex his Aristotelis verbis ratiocinari sic libet. Confirmat Aristoteles fabulæ constitutionem in Epica similem esse oportere constitutionibus Tragœdiarum. Sed Tragica, ceterarumq. drammaticarum expositio formarum principium ducit à medio, vel fine rei gestæ, præterita verò, & superiora per episodia coagmentat, & per narrationes aliquorum hominum, qui ea pro re nata commemorant inter agendum. confirmat igitur Aristoteles, Epicæ narrationis initia petenda esse à medio. Docet deinde constitutionem eandem Epicæ dissimilem vsitatis historijs esse: docet igitur alio prorsus modo disponendam esse, quàm disponatur historia. At si temporis sequeretur ordinem, eodem planè modo disponeretur. Video respondere aliquem posse, dissimilitudinem illam in eo positam esse, quòd Epicæ constitutionis vna sit actio, historicæ plures: ac verè quidem id video dici. sed tamen hinc etiam consequens est, expositionem poëticam esse illo nomine dissimilem, quòd eum temporis, & rei gestæ peruertat ordinem, quem historia diligentissimè retinet, vt dicebamus. Cum enim ita vnam actionem complectatur poëta, vt necesse habeat cetera, quæ prætermisit, episodijs adnectere, non potest eam actionem historico more, hoc est ordine temporis exponere: quia cum addit digressiones illas, obliquasq. narrationes rerum præteritarum, tempora confundit, ab eaque rerum serie naturali necessariò discedit, quam constanter, & tenore perpetuo sequitur historicus. At omittere posset episodia, dicet aliquis, & Vlyssem in Ithacam, Aeneam in Italiam ducere, neglectis illis errorum narrationibus apud Alcinoum, ac Didonem. Negat id Epico poëtæ fas esse, ac ius Aristot. qui in eodem cap. paulò post laudans Homerum, significat episodia illa esse pernecessaria, nec Epicam expleri posse partibus suis, nisi digressiones addantur, atque operis appendices aliquæ. Quamobrem, inquit, ob id etiam præ ceteris diuinus Homerus haberi iure debet, quòd bellum quidem alioqui principio, medio, ac fine constans totum scribere minimè

nime est aggressus: sed eius parte dumtaxat suscepta, pluribus in ea vsus episodijs est; sicuti catalogo, alijsq. quibus poësim ipsam locupletissimam reddit. Alterum ego locum proferre possum ex cap. v. vbi de fabularum principio, ac fine conquirendo præcipit in hunc modum. Oportet ergo bene contextas fabulas, neque vnde sors tulit, temereue incipere, neque vbilibet desinere, ac terminari. Quæ præceptio illud mihi videtur velle, quod paulò ante diximus. frustra quippe ea doceret Aristoteles de principio fabulæ, si principium sumendum esset ab initio rei gestæ, quemadmodum natura, tempusq. præscribit. Quorsum enim admonendus esset poëta, ne temerè, ac fortuitò initium operi faceret, si capiendum necessariò esset ab ijs, quæ gesta principio sunt? Illud ergo non dubiè monito tàm præclaro demonstrat; esse quidem exordiendum post initium rei gestæ, sed videndum tamen esse, ne post illud initium, vndecumq. ac temerè exordiamur. Consulendos nimirum putat bonos poëtas, in primisq. Homerum, qui hæc exordia post initium rerum gestarum in loco, prudenterque fecit.

Superest, vt de principij definitione ab Aristot. tradita videamus; quam aduersarij sibi sumpserunt veluti solidissimum suæ sententiæ firmamentum. Cum enim dixerit, principium id esse, quod non necessariò post aliud est, & quo aliquid posterius necessariò est, existimant omnino, principium esse poëmatum debere ipsum rei gestæ caput, quo nihil est prius, & quo posterius necessariò aliquid est. Quibus vt respondeam, illud optimo iure contendo: non posse Aristotelem id sibi velle, quod eum isti voluisse credunt, nisi pugnantia cum ijs dicat, quæ, vt ante docuimus, de fabulæ vnitate scripta reliquit. Homerum enim eo nomine laudauit, quòd belli Troiani errorumque Vlyssis partem sibi tantummodo canendam susceperit, reliqua episodijs attexuerit. Nam si principium fabulæ illud est, quo nihil est gestum prius, malè duxit initium Homerus, cum ab ea exorsus est rerum gestarum parte, quam multæ prorsus antecesserunt. Existimo igitur Aristotelem eo loco definire principium illud artificiosum, quod capitur à medio, vel certè post initium rei gestæ; ac definiendo pronunciare, id esse fabularum principium exquisitum, atque laudatum, quod quamquam ex ipso rei gestæ medio petitum est, ita tamen apposite, prudenterq. ducitur, vt à rebus, quæ antecedunt, æque benè, accommodateq. duci non potuisse videatur. Id enim ipsis propemodum cernitur oculis in exordijs Homeri, atque Virgilij: quæ à superioribus oriri cum laude non potuerunt. Itaque rectè dici possunt ea esse, quibus nihil sit necessariò prius, & posterius aliquid necessariò sit. Si enim aliquid prius cum laude non potuit esse, aliquid prius necessariò esse non debuit.

Alia,

Alia, quæ producunt in medium ex Aristotele, affirmante, in ipso contextu poëmatis ita esse componenda omnia, vt ab ijs quæ antè gesta sunt, nasci consequentia videantur, hæc, inquam, puto aliorsum pertinere: nec eum loqui de toto poëmatis textu, sed de illa poëmatis parte, qua sola, demptis episodijs, ipsa rei summa continetur. Non enim semper Aristoteles, cum de poëmate loquitur, ita narrationem totam poëmatis intelligit, vt comprehendat etiam episodia. Video quippe rem ipsam tantummodo, quæ recta narratione tractatur, interdum appellari ab eo, ac dici poëma, vel id quod poëmatis proprium est: vt in cap. xv. In dramatibus, inquit, episodia breuia esse debent: contra in Epopeia sunt longiora: qualia videmus in Odyssea, cuius argumentum hoc est: Cum annos permultos quidam peregrinatus esset, obseruatus à Neptuno, relictus à suis; cumq. res domesticas sic haberet constitutas, vt absumerentur opes à procis, filius appeteretur insidijs; diu multumque iactatus pelago, domum aliquando peruenit: vbi cum aliquos agnouisset, sic in eos inuasit, vt euaderet ipse sospes, inimicos vlcisceretur. hoc itaque proprium eius poëmatis est: cetera ad episodia pertinent. Sic Aristoteles eo loco totum argumentum retexit Odysseæ. Videmus adeo ipsam tantum narrationem rectam, poëmatis narrationem propriam dicere, siue poëma; reliqua omnia extra narrationem propriam posita, tamquam aduentitia quædam, & accersita ipso poëmatis nomine non comprehendere. quod alibi etiam docet, eoque in primis loco, quem proferunt aduersarij. Cum enim ait è rebus gestis priora esse primo loco ponenda, de illa proculdubio loquitur rei gestæ parte, quam sumit sibi recta narratione canendam poëta. quæ profectò sic est tractanda, vt prius ea exponi oporteat, quæ ante gesta sunt, & consequentia postmodum adiungi. non tamen hinc consequens est, res præteritas episodijs interseri non posse; cum de his nullus eo loco sit sermo, sed solum de contextu rectæ narrationis ab episodijs abiunctæ, ac separatæ. Rei quippè gestæ pars, quam sibi seponit Virgilius recta narratione tractandam, non est excidium Troianum, & Æneæ secundùm illud incendium à Troiano portu digresſio; sed eiusdem Aeneæ nauigantis extremæ tempestates, erroresq., aduentus in Italiam, bella, victoriæ. quibus è rebus id profectò, quod gestum est prius, priore loco positum est. inter extremas enim Aeneæ tempestates erroresque nulla prior est, quàm quæ illi accidit à Sicilia digresso propè Carthaginem. Quamquam alia etiam ratione possum Aristotelis dicta interpretari, ac dicere; priora apud illum esse potiora: nec aliud præcipere cum ait è rebus gestis priora esse primo loco ponenda, quàm potiora, & ea, quæ videntur aditum illustriorem facere posse, primo loco esse collocanda. Sed hactenus.

LO-

## LOCVS II.

### CVR AENEAS DICATVR A VIRGILIO Pater.

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.

Hoc enimuerò sciscitantur etiam aliqui: cur Aeneas non hic modò, sed alibi quoq. tam sæpe illo Patris nomine cohonestetur. Nouimus quidem seniores à Latinis appellari plerumq; patres; atque à Romulo ipso Senatores illos centum, quos, & senes, & grauissimos legerat, patres item dictos esse. sed Aeneas nondum ad senectutem, ætatemq. prouectam peruenerat. cur ergo dicendus sit pater?

Sunt qui respondeant, patris nomen honoris interdum esse, ac reuerentiæ titulum; nec semper in grandiorem ætatem conferri, sed sæpe in dignitatem, ac principatum. Sic enim Virgilius ipse appellat Augustum non dum senem, sed ætate florentem.

*Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum*
*Accolet, imperiumq. pater Romanus habebit.*

Et Horatius in serm. secundo, satyra prima, haud aliter alloquitur eundem Augustum.

*Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude*
*Cæsaris inuicti res dicere, multa laborum*
*Præmia laturus. cupidum Pater optime vires*
*Deficiunt, &c.*

Quorum insistens vestigijs Ausonius, illo ipso nomine tàm honorifico, reuerentiæq. plenissimo Theodosium ornat.

*Tu modo te iussisse Pater Romane memento.*

Hinc videlicet natum, vt Dijs, quibus opinione gentium, & summa deberi reuerentia, & summus in homines esse principatus putabatur, patres à scriptoribus antiquis appellarentur, quod à Seruio docetur ad illud secundi libri Georg.

*Huc Pater ò Lenæe veni.*

Quare nullum Deum esse ait, cui patris hoc epitheton attributum non sit; quia nullus est, qui aliquem non obtineat principatum. Quin ipsi fluuij, ac montes præcipui, quoniam colebantur pro Dijs, & principatum habere videbantur in alios, sæpissimè patres, hoc est in suo genere principes, ac rerum domini sunt apud poëtas. Nam Oceanus Virgilio pater est, pater Neptunus, pater Apenninus, pater Ina-

chus

chus Valerio Flacco. De Ioue Deorum principe nihil dicatur, qui pater sæpius est apud antiquos, quàm Iuppiter. Cum igitur Aeneas princeps esset,& ductor Troianorum,hoc est is, cui deberetur à Troianis honor,ac reuerẽtia, putarũt patrem à Virgilio dictum quasi Regẽ,& Principem;ex Homero nimirum desumpta loquẽdi forma,qui in Odiss. θ Vlyssem patrẽ nominauit,cuius paulò ante laudauerat iuuẽtutẽ.Hæc in summa istorum sententia est: Aeneam propterea patrem dici,quod Dux esset, ac princeps Troianorũ.Quibus addere fidẽ possint serui illi, qui in Reg.lib.iv.cap.v. Præfecto militiæ dicunt. Pater, etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras. Quæ quidem, vt verè dicantur, posthabenda tamen ijs sunt, quæ Iulius Scaliger in lib. poëtices v. cap.iij. decernit arbitrando. Affirmat enim,Æneam propter similitudinem quandam sic patrem dici,quemadmodum idem cognomentum tribuitur Ioui, qui profecto, non reuerentiæ solum, aut religionis ergo, quæ tanto Principi deberi videbatur,dictus est pater: sed propterea nominatim, vt ait Porphyrius, quòd ad Iouem omnes omnino familiæ tamquam ad auctorem referrentur. Ideo,inquam, Aeneam appellari patrem arbitratur,quòd Romanorum omnium principium esset, ac fons, laudatq. testem Virgilium ipsum;quòd hoc explicatè docuerit eo versu.

*At pater Aeneas Romanæ stirpis origo.*

---

## LOCVS III.

## DE IVBA DRACONVM.

### An vere iubati dracones inueniantur aliqui, quemadmodum à Virgilio hìc effinguntur.

*Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta*
*(Horresco referens) immensis orbibus angues*
*Incumbunt pelago,pariterq. ad littora tendunt.*
*Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæq.*
*Sanguineæ exuperant vndas, &c.*

Iubas hasce draconibus à Virgilio datas, quibus omnino nullæ dicũtur esse, aliqui non probant. Sunt enim iubæ belluarum crines è collo pendentes, quales in equis,atque in leonibus cernimus, nec alias dici iubatas animantes videmus, quàm eas, quibus eiusmodi crines

circa collum, aut è collo pendentes à natura dati sint. Sed si hos audiamus accusatores, alios quoque poëtas reprehendere necesse erit, & quidem multos: in primisq. Apollonium Rhodium, qui monstris aliquot marinis iubas item attribuit: & Valerium Flaccum, qui libro tertio leam fecit iubatam, cui crines non sunt collo circumiecti.

*Non aliter gemitu quondam lea prolis ademptæ*
*Terga dedit: sedet inde vijs, inclusaq; longo*
*Peruigilant castella metu, dolor attrahit vrbes*
*Interea, & misero manat iuba sordida luctu.*

Neminem tamen reprehendere necesse est. Virgilium enim & Apollonium reprehensione liberat metaphora; ad quam confugere nos iubet, cum poëtas tueri volumus, Aristoteles: vt in Prolegomenis diximus, defens. vij. Iubam igitur appellat Virgilius non crines quidem illos collo circumpendentes, & circumfusos, sed cristam, quam draconibus esse confirmat ex quorūdam auctoritate Plinius lib. viij. cap. xiij. Nec alia fortasse marina monstra descripsit iubata, quàm cristatos dracones Apollonius: cum ibidem Plinius ipse testetur, quaternos, quinosque interdum dracones inter se cratium modo implexos erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus. Neque vero est, cur aliquis eundem nobis opponat Plinium; quòd in lib. xj. cap. xxxvij. dicat, cristatos dracones à nemine visos. Satis enim est poëtæ, qui verisimile sequitur, si res affirmetur ab aliquo. affirmari autem ab aliquo scripserat iam in lib. viij. cap. xiij. Quare vindicandus est etiam Plautus, qui ante Virgilium ipsum iam in Amphitruone serpētes dixerat iubatos, hoc est cristatos dracones.

*Deuolant angues iubati deorsum in impluuium duo.*

Non igitur erit necesse Seruij defensionem arripere: qui pro iubis illis draconum apud Virgilium, ait intelligi posse etiam barbas. Cum enim cristatos habeamus dracones aliquos, barbatos nullos, ad cristam potius est confugiendum, quàm ad barbas.

Porrò Valerius Flaccus, qui leam iubatam describit, aliam quidem inueniet ab eodem Aristotele defensionem paratam in cap. illo xxiij. vbi Pindarum ceruas feminas facientem cornutas vindicat ab errore, illo nomine, quòd eiusmodi peccatum extrinsecus aduētitium sit, non poëticæ proprium: sed tamen etiam ipse translatè fortasse setas, ac pilos circa collum leænæ dispositos appellauit iubas, tum præsertim, cum ex ira, subriguntur. Videmus quippè canibus quoque, cum irascuntur, circa collum erigi pilos: quos leaenæ ex ereptis catulis frementi, qualis est ea, quam describit eo loco Valerius, multo magis horrere necesse est. Itaq. iubas eos pilos appellare metaphoricè rationi consentaneum erit.

Video equidem Columellam gallos gallinaceos pulcherrima metapho-

taphora dicere iubatos, non tàm ob cristam illam purpuream, quàm ob eas plumas circa collum versicolores, quæ belluarum iubis simillimæ sunt.lib.viij.cap.ij.Iubæ deinde variæ, inquit, vel ex auro flauæ per colla,ceruicesq. diffusæ. Hæc inquam metaphora sumitur ex propinquo propter eam de qua dixi similitudinem, adeoq. accommodatissima est; sed tamen est etiam illa maximè probabilis,quæ iubas accommodat cristis,quantumuis ex longinquo petatur. Ducitur enim, vt puto, ab altera metaphora, quæ galearum conis impositas cristas appellat ideo iubas, quod cristas illas antiqui fecerint principio ex equorum iubis,caudisque,vt est apud Homerum in Iliad.lib.iij. & vj. & apud Virgilium ipsum in x. de Mezentio.

-------------- *cristaq. hirsutus equina.*

Plumæ tamen cõsecuto post tempore fuere barbaris pro cristis equinis. Nam Plutarchus in Mario galeas equitum Cimbrorum, & plurimis, & horribilibus hiantium animalium formis insignes describit. Quin illa galearum ornamenta comantia,vt poëtæ loquuntur,non nisi metaphorice dicta sunt cristæ. proprie quippe videmus tantum cristas auibus quibusdam, nominatimq. gallis ipsis gallinaceis,aut draconibus dari,qui sunt item alati.Quantum enim attinet ad aues,vpupam Plinius cristatam dicit, cui plumæ quædam in capite sunt plicatiles, habilesq., quæ subriguntur identidem, ac subinde demittuntur. lib.x.cap.xxix. Vpupa,inquit, obscœna aliàs pastu auis crista visenda plicatili. sed pluribus, ac plenius de ceteris auibus,deque gallinaceis in lib.xj.cap.xxxvij. In capite,inquit,paucis animalium, nec nisi volucribus apices, diuersi quidem generis. Phœnici plumarum serie, è medio eo exeunte alio:pauonibus, crinitis arbusculis. stymphalides cirro; phasianæ corniculis. præterea paruæ, quæ ab illo galerita appellata quondam,postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat,alaudæ. Diximus, & cui plicatilem cristam dedisset natura per medium caput à rostro residentem. Et fulicarum generi dedit cirros. Pico quoque Martio, & grui Balearicæ. Sed spectatissimum insigne gallinaceis,corporeum, serratum: nec carnem id esse, nec cartilaginem, nec callum iure dixerimus, verum peculiare. Draconum enim cristas qui viderit,non reperitur. Cornua multis quidem, & aquatilium,& marinorum, & serpentium varijs data sunt modis.Ita quidem hoc loco Plinius disputat,sed tamen haud infirmat eorum auctoritatem, qui dracones cristatos esse tradidere. quos secutus est etiam Ouid. metam. lib. quarto, & Seneca Tragicus in Hercule furente:qui angues,ac dracones ipsos dixere cristatos.

Itaq. cum horum propriè sit animalium crista, translatè tributa est galeæ.Et quia galearum cristæ sunt ex iubis equinis,iterum hæ translatè dicentur iubæ. fietq. vt proportione commutata quemadmodum

de metaphora præcipit Aristoteles in lib. Rhetor. iij. cap. iv. & auium crista dici iuba possit, & galearum iuba etiam crista. Nihil igitur mirum esse debet, si Virgilius iubam tribuit anguibus illis, quos videbat à nonnullis haberi, & dici cristatos. Cum enim crista iam notissima metaphora diceretur iuba, erat illi fas draconum cristam iubam dicere, & dracones ipsos appellare iubatos.

---

# LOCVS IV.

## *AN ACHILLES VERE SIT Larissæus.*

*Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles.*

Hanc nobis aliqui litem contestantur: quia dicitur à multis Achilles Phthius, in primisq. ab Horat. lib. iv. Od. vj. Phthia verò vrbs, & Larissa quamquam vtraq. Thessalica est, distant tamen inter se longissimè. sed diluitur ea dubitatio, atque omnis facilè defenditur controuersia ex opinione scriptorum varia, quam perpendere nos iubet Aristoteles in poëtarum causa, vt nos multis declarauimus in Prolegomenis, defens. vlt. Erant quippe varia, quæ de Achillis patria tradebantur; cum eum alij natum Larissæ vellent, alij Phthiæ: nec satis multi sciebant veram, germanamq. Achillis vrbem, aut oppidum illi natale. Quo fiebat, vt integra res esset, liceretq. poëtis, eũ, vel Phthium dicere, vel Larissæum. Itaq. Virgilius ipse alio quodam loco Achillis patriam Phthiam dixit esse, non Larissam.

*Cum domus Assaraci Phthiam, clarasq. Mycenas*
*Seruitio premet, & victis dominabitur Argis.*

Ceterum quamquam hæc ita sunt, & sic ipsa Virgilij satis superque defensa causa est, addo tamen aliqua poëtarum aliorum exempla, quæ demonstrent, à multis patriam certorum quorundam hominum fuisse multò mutatam licentius, quàm à Virgilio permutetur hoc loco Achillis ciuitas. Propertius, vt ab hoc ordiar, in lib. ij. ausus est dicere Laidem, nobile scortum, fuisse Corynthiam.

*Non ita complerant Ephyrææ Laidos ædes.*

Id quod etiam est ausus Claudianus in primo libro aduersus Eutropium, & Antipater Sidonius in tertio Anthologiæ. Et tamen ex historicorum auctoritate scimus, eam fuisse Siciliensem. Ita quippe testatur Plutarch. in Nicia, Stephanus in Lexico geograph. verbo κεγαπὸς,

Synne-

Synesius in epistolis, Athenæus in lib. vij. Scholiastes Aristophanis in Pluto. Cur ergo Corynthiã illi poëtæ fecerunt Laidem, quæ à tam multis dicitur esse Siciliensis? Respondẽt Poëtarum patroni; Laidem natam quidem fuisse in Sicilia, sed diu multumq. iam adultam, & meretricem iam nobilem habitasse Corynthi, vbi famosissimæ fuere pellices, & quidem innumerabiles: inter quas à quibusdam recensebatur etiam Lais. Atque haud scio an in illo Veneris templo Corynthio fuerit, vbi affirmat interpres Aristophanis, meretrices amplius mille prostitisse. Certè hæc illius in ea vrbe commoratio, habitatioq. fecit, vt iure dici Corynthia posset. Quam item causam esse ijdem putant, cur Virgilius alijque in tradenda nobis Achillis patria dissentiant ab alijs. Alteram enim è duabus vrbem natalem sciebant Achillis esse, alteram ab eodem cultam & habitatam: adeoque sibi fas esse putarunt vtriusque illum ciuem facere pro arbitratu: cum præsertim, vt dixi, scriptores in eo non conuenirent. Duos fuisse poëtas scimus apud Graecos, qui scripserint Argonautica, quorum primus est Dionysius Thrax, alter Apollonius Alexandrinus. Vterque tamen dicitur Rhodius ideo, quòd vterque longo tempore Insulam illam inhabitarit. Quamquam quid ista ita conquirimus, quasi necesse sit eas saltem habitasse nos vrbes, quae nobis à poëtis pro patria dantur? Etiam citra eiusmodi causam, planeque pro arbitrio videmus interdum poëtas aliquorum patrias immutasse. Ouidius enim Coum dixit Apellem, quem Strabo, alijque fuisse testantur Ephesium.

*Si Venerem Cous numquam pinxißet Apelles.*

Hac eadem abusus est licentia Petrarcha, cum Plinium Veronensem appellauit, quem plerique omnes volunt esse Nouocomensem. Arripuit etiam ipse occasionem sic arbitrandi ex opinione varia, sententijsque discordibus, quae circumferebantur olim de patria Plinij. Vt enim in multis inscriptus lapidibus antiquissimis sit Nouocomensis, & sic prorsus appelletur in Chronicis ab Eusebio, in aliquot tamen vetustis codicibus historiae naturalis, quam ipse scripsit, hic index ante memoriam nostram legebatur. Plinij Veronensis, &c. Immo vero contendunt aliqui, nonnulla, manu styloque exarata volumina illam ipsam hodieque inscriptionem retinere Plinij Veronensis. Suppetit ad haec non leuis coniectura ex Plinio Iuniore, qui per epistolam ita superiorem alloquitur Plinium patruum suum. Rectè fecisti, quòd Veronensibus nostris gladiatorium munus promisisti. suppetit ex ipso Plinio, de quo loquimur; qui in praefatione Catullum appellat conterraneum suum. vt obiter, inquit, emolliam Catullum conterraneum meum. Catullus verò sine dubio est Veronensis.

Vidit hanc eãdem licentiam, sibiq. sumpsit Dantes Aligherius, cum

Papinium Statium Tolosanum appellauit, qui Neapolitanus est, non ex veterum modò auctoritate, ac testimonio, sed ex ipsius professione Statij in Siluarum libro iij. sil. vlt.

*Anne quod Euboicos fessus remeare penates*
*Auguror, & patria senium componere terra?*

Id quod paulò post planius explicat, de patria illa sua versibus his interponendis.

*Nostra quoq. & proprijs tenuis, nec rara colonis*
*Parthenope: cui mite solum trans æquora vectæ*
*Ipse Dionææ monstrauit Apollo columbæ,*
*Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace,*
*Nec Lybiæ natale solum) transferre laboro.*

Quamquam, inquam, ipse quoque Statius Neapolitanum esse se profitetur, ab eo tamen poëta dictus est Tolosanus; ex ea nimirum licentia, quæ permutat patrias. Et fuit profectò idonea causa, cur eam ille sibi licentiam vsurparet, ab ignoratione mortalium, apud quos diu multumq. de Statij patria, nataliq. ciuitate dubitatum est; cum præsertim in ea designanda etiam errassent historici. Nam Eusebius in Chron. Tolosanum Papinium nominat, & Sidonius Apollinaris in epistola quadam videtur eum Aquitanicum dicere.

*Nam quod Papinius tuus, meusq.*

Is enim, ad quem scribit, & Apollinaris ipse qui scribit, Aquitanici sunt. Frustra igitur, & iniuria Virgilius accusatur, qui tam iustam habet causam cur Achillis patriam opinione scriptorum sic incertam & variam non semper eandem fecerit, eumq. nunc Phrygium esse dixerit, nunc Laryssæum. Patrocinantur enim ei ceteri poëtæ: patrocinatur in primis Aristoteles, hanc veniam in variantium sententiarum multitudine poëtis impertiens, vt quodlibet sibi sumant, eligantq. pro arbitratu, quod diximus in Prolegom. Defens. vlt.

---

## LOCVS V.

## DE AVRO BARBARICO.

### An rectè illud Epitheton opulentiæ Troianorum, ac Priami tributum sit.

*Barbarico postes auro, spolijsq. superbi.*
*Procubuere.*

Aeneæ

Aeneæ verba ſunt hæc apud Didonem, exponentis excidium Troianæ Regiæ: quæ, & auro cælata erat,& triumphalibus exornata monumentis.In quo poëtam arguunt incõſiderantiæ; quippe qui Æneam inducat de ſua patria loquentem perperam, hoc eſt eius ornamenta, dicentem, & appellantem barbara: nec eundem habeat curſum, & conſtantiam orationis, qua ſemper alibi honorificè ſanè de Troia, Troianiſq. commemorat. Vt.

*------------------ Quis Troiæ neſciat vrbem,*
*Virtuteſq. viroſq. &c.*
*O patria ò Diuum domus Ilium,& inclyta bello*
*Mœnia Dardanidum.*

Cuius enim inconſtantiæ nunc ſit,illam ipſam vrbem barbaram dicere,quam ante tàm magnificè collaudarit? Neque verò Troiani ex eo genere nationum externarum erant,quæ habebantur barbaræ.Hauſerant enim originem à Græcis, hoc eſt à colonia, quam Teucer è Creta deduxit in Phrygiam,& Græcè loquebantur,vt multa eorum vocabula demonſtrare videntur, quæ Græcam habent etymologiam. Huc accedit, quòd ex omnibus minimè debuit barbaros appellare Troianos is, qui Romanos commendare potiſſimum ſtudebat à maioribus Troianis, quorum ex ſanguine ortum, ac natales antiquis iam temporibus habuiſſent.

Duæ sũt huius loci vindicandi rationes,ac viæ.quarum primam expediuit Modicius:qui Barbaricum aurum putat aurum eſſe partum, à Barbaris, quos Priamus bello deuiciſſet. videtur enim id eſſe quod in clauſula verſus adiungitur.

*------------------------- Spolijſq. ſuperbi.*

Quaſi velit poëta ſignificare,aurum illud fuiſſe de ſpolijs,ac manubijs hoſtium barbarorum. Quo loco id agebat fortaſſe Virgilius, vt in ijs manubijs,ſpolijſque laudaret Romanos: qui, vt tradit memoriæ Plinius, hoſtium ſpolia, & monumenta triumphalia poſtibus affigebant ſuis, ea lege,vt nemini liceret ea refigere; tametſi ad alios hæredes, ac dominos aliquando perueniret domus. Quod ſi quæras quibus nam ex hoſtibus barbaris victoriam Priamus,& ea ſpolia reportaſset, diſces ab Homero:qui eum pugnaſſe dicit aduerſus Amazones:diſces à Seruio: qui teſtatur imperaſſe Phrygiæ, atq; Mygdoniæ; Myſiam, verò ipſam debellaſſe totam,in ſuamq. poteſtatem redegiſſe. Quibus victorijs potuit haud dubiè aurea referre domum ornamenta, foribuſq. baſilicæ ſic ſuſpendere quemadmodum poſteà Romani triumphalia illa ſpolia manubiaſque ſuſpenderunt. Quæras tamen iterum, cur Barbari dicerentur potius illi finitimi, Reges, nationeſq. debellatæ,quàm ipſi Troiani.ſed cauſam paulò ante iam indicauimus, cum diximus à Græcis oriundos eſſe Troianos.Hinc enim fiebat,vt ceteræ

nationes, finitimaeque gentes, quae nullam cum Graecis coniunctionem, ac necessitudinem haberent, si cum Troianis conferrentur, barbaræ dici meritò deberent, eorumque res, & ornamenta barbarica. Atque hæc prima ratio est amoliendæ difficultatis.

Alteram proponit Adrianus Turnebus in lib.ix. cap. xviij. à superiore longe distantem, illiq. planè contrariam, sed maximè probabilem. Docet quippè, nomen hoc [barbarum] in omnes quidem populos, qui Græci non sint, atque adeo in ipsos quoque Romanos, ac Latinos conuenire, (barbaros enim eos Plautus appellat in quodam prologo cum Græcam Comœdiam ait se vertisse barbarè, hoc est latinè) sed tamen interdum idem vocabulum ita contrahi, vt nominatim inter Barbaros omnes significet Phryges; quod est apud Tullium in prima quæstione Tusculanarum ex veteri poëta, qui dixit.

———————— *Stante ope Barbarica.*

hoc est Imperio stante Phrygio. Nec aliam voluit à nobis intelligi nationem, nisi Phrygiam Horatius illam, quam ipse Barbariam nominauit in ep. ij. lib. primi.

*Græcia Barbariæ lento collisa duello.*

Et cum in Epod. Ode ix. Barbarum carmen dixit, Phrygium sine dubio significauit sonum.

*Sonante mistum tibijs carmen lyra,*
*Hac Dorium, illis Barbarum.*

legi enim Musicorum, quæ Doria dicitur apud scriptores opponitur Phrygia. Itaq. si hæc vere dicuntur, dicuntur autē verissimè, nihil erit aliud Barbaricum aurum, quàm Troianum, ac Phrygium. Sed causam exquirere necesse est, cur ex omnibus, qui barbari dicebantur, hoc sibi nomen singulariter ipsi vindicassent Phryges. Neque enim ad linguam confugere possumus; aut ad discrimen illud inter Græcos, ceterosq. cum Troiani, quod supra diximus, originem ducerēt à Græcis. Natum id ego puto ab eius Regni diuitijs, & opulentia. opes enim exaggeratæ, insignesq. diuitiæ immò verò delitiæ maximæ dictæ metaphorice sunt à Latinis barbaræ; quia barbaræ nationes his circumfluebant, Græci, Latiniq. parcius vtebantur. Testatur id poëta peruetus apud eundem Tullium hoc antitheto. Quibus magis palæstra, Eurotas, sol, puluis, labos, militia in studio est, quàm fertilitas barbara, hoc est, Barbarorum deliciæ, copiæque. Cum ergo inter Barbaros omnes opulentissimi Phryges, deliciosissimiq. haberentur & essent, propter excellentiam illam opum iure dicuntur Barbari, hoc est, ditissimi, eorumque aurum Barbaricum appellatur, quasi multum & exaggeratum: sic inquam, vt postibus etiam ipsis illitum esset. Idem nomen quasi proprium video postea collatum in Persas. Quorum Rex ætate Demosthenis appellabatur propriè Barbarus. nec

aliam

aliam credo causam fuisse, nisi quia Persarum deliciae, diuitiaeque haud minus fuerunt insignes, quàm ante fuissent opes Phrygiæ,& gaza illa Troiana. Quare nihil agunt qui Virgilium arguunt inconstantiæ. siue enim priore illa, siue hac posteriore insistas via, laudatos Troianos inuenias: cum eorum aurum, vel partum à Barbaris, vel multum,& exaggeratum intelligi debeat esse, quod barbarum appellatur.

---

## LOCVS VI.

## *AN AENEAE DE OCCIDENDA HELENA deliberatio à decoro discedat.*

*Non ita. namq. etsi nullum memorabile nomen.*
*Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem,*
*Extinxiße nefas tamen, & sumpsisse merentis*
*Laudabor poenas, animumque expleße iuuabit*
*Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum.*

Huius occasionem quæstionis,ac materiam illi duo censores, arbitrique Varus,ac Tucca dederunt,quibus Aeneida recognoscendam permisit quidem Augustus, sed ea lege, vt demerent si quid demendum, ac tollendum censerent, nihil tamen adderent de suo. Hac enim illi suscepta prouincia, duos, & viginti versus, quibus illa de occidenda Helena continetur Aeneæ deliberatio,induxerunt, expunxeruntq. duplici causa permoti. Prima erat; quòd pugnantes viderentur esse cum ijs, quæ dicuntur in vj.libro, vbi casus, & infortunium enarratur Deiphobi. Hoc enim loco libri secundi, quem habemus in manibus,Helena in Vestæ sacrario latuisse fertur, cum Ilium incenderetur.

*Iamq. adeo super vnus eram;cum limina Vestæ*
*Seruantem,& tacitam secreta in sede latentem*
*Tyndarida aspicio, &c.*

In sexto verò flagrante iam Troia non quidem in aede Vestæ fuisse dicitur,sed in Deiphobi coniugis domo; ibique Menelaum intra thalamum deduxisse.

*Namq. vt supremam falsa inter gaudia noctem*
*Egerimus,nosti;& nimium meminisse necesse est, &c.*
*Egregia interea coniux arma omnia tectis*
*Emouet:& fidum capiti subduxerat ensem.*
*Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.*

Alte-

Altera causa, quæ Iudices illos ad eosdem versus obliterandos impulit ea fuit, quòd aliquid haberent indignum viro forti, atque à summo abhorrens Imperatore. Neque enim decere putabant, eum qui ad fortissimi Principis exprimitur formam, aduersus feminam sic irasci, vt dicere poëta non dubitet.

*Exarsere ignes animo, subit ira cadentem*
*Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.*

Mihi verò quamquam non erat hoc loco consilium priorem illam attingere controuersiam, video tamen impositam esse necessitatem eius repugnantiæ conciliandæ antequam ad secundam accedo quæstionem, quam consultò, ac de industria tractare decreui. Aio igitur ea, quæ vtrobiq. dicuntur à Virgilio, non esse pugnantia, si rem ita gestam esse intelligamus, vt nunc exponam. Helena ipso noctis initio, cum Troiani vino somnoq. consopiti iam essent, chorum simulans, facemq. manu prætendens summa ex arce vocabat Danaos, hoc est è Regia Priami, vbi tunc erat choros ducens, & ludibunda. Cum verò iam illi Græcorum duces armati desilirent ex equo, domum illa se recepit suam ad Deiphobum coniugem, Priami filium, cui post obitum Paridis tradita in connubium fuerat. Ibi Menelao thalami fores aperuit, vt gratiam ab eo iniret iterum, illiq. reconciliaretur. Occiso Deiphobo, eiusque incensa domo, Menelaus, quamquam non est aspectu coniugis officioq. planè delinitus, eam tamen interea permisit incolumem, pœnas posteà repetiturus. Helenæ itaq. de Menelao nil iam benè sperāti necesse fuit alium quærere salutis locum, vbi lateret. Hunc vero nō in Priami Regia, quæ iam cōflagrasset, sed in æde Vestæ reperijt opportunum. Qua expugnata Regia, cum descenderet Aeneas, armatorum vallatus globo, in Vestæ limine obuiam habuit Helenam. Itaque, si tempora spectes varia, quæ spectare nos iubet Aristoteles in accusationibus poëtarum, vt docuimus in Defens. xv. nihil erit in secundo cum ijs pugnans, quæ canuntur in sexto. Ante quippè Deiphobum prodidit Menelao domi suæ, vt in sexto dicitur, deinde ad quærendam salutem in æde Vestæ se condidit; quod hic legimus in secundo.

Nunc de altera quæstione, quæ grauior est, aggrediamur exponere, ac videamus num Æneæ summo Imperatori sit indecorum de occidenda femina deliberare. quippe mulier imbecillior natura est, & meticulosior, vir audentior, ac robustior; adeoque vir à virtute, mulier à mollitie, vt aliqui putant, nomen accepit. Quare decernit Aristoteles in problematis, iniquius esse feminam interficere, quàm virum: cum illa ob eam de qua dicebamus imbecillitatem minus idonea sit iniuriæ faciendæ. Erit igitur alienum a viro forti, atque magnanimo aduersum id eniti, aut contendere, quod infirmius est, nec idoneas habet

bet

bet vires ad repugnandum. Quam rationem tractat sedulò Tiraquell. in leg. Connub. num. lxxv. laudatque Aurelianum Imperatorem, quòd Zenobiæ, à qua videbat sibi fuisse iam per summam perfidiam ereptum Imperium, vitam condonari iusserit, cum à militibus raperetur ad necem. Indignum enim Imperatore censuit, à femina quantumuis iniuriosa, & perduelli repetere pœnas: maluitque à se vindictam, quàm altitudinem mentis, ac magnanimitatem desiderari.

Duas hic etiã inire licet ad Virgilij tutelam rationes, ac vias. Prima sit huiusmodi. Aeneas non statuit affirmatè sibi sumendas esse pœnas à femina, sed dubitabundus deliberat, expediat ne viro forti, iusto, atque magnanimo feminam illam interimere, quæ flammas incendio Troiano subdidit primas, postremas etiam suppeditauit. hæc autem deliberatio Aeneam non dedecet absolutè iustum, perfecteq. magnanimum. Quemadmodum enim in virum sapientem ex ipsorum quoque confessione Stoicorum cadunt aliquæ commotiones inconsultæ, vt Seneca docet, & Gellius lib. xix. cap. 1. sic Imperatori magno, & forti accidere queũt dubitationes, de quibus adhibita in consilium prudentia deliberandum sit. Nihil ergo decernit, sed disserit, & secum ipse consultat Aeneas. Cuius quidem consultationis hæc prima pars est. Nullum feminea in pœna potest esse memorabile nomen: nec vllam habebit vnquam laudem de imbecilla natione victoria. Altera; sed tamen in omnium ore versabor, si tantum nefas extinxero, & laudabor, quòd pœnas, suppliciumq. à merente, noxiaque femina repetiuerim. In qua disceptatione tam dubia, quia melior vincit pars ex occursu matris Deæ, quæ rectam significat rationem, sine dubio expictus hic est Aeneas ad exemplum viri fortis, magnanimi, iusti, absoluti numeris omnibus Imperatoris. Adest enim illicò deliberanti, & ambigenti Venus, eique nebulas detergit omnes, admonet eundem officij sui, docetque non tam Helenam, quam iram, atque inclementiam Deorum Troiani esse causam incendij.

*Talia iactabam, & furiata mente ferebar;*
*Cum mihi se non ante oculis tàm clara videndam*
*Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit*
*Alma parens, &c.*

Ceterũ si mirum alicui videatur, quòd Venus pro recta ratione interueniat, meminerit necesse est, duplicẽ esse Venerem: vulgarem vnam, quæ fœturæ præsit, ac geniture, cælestem alteram, quæ rectam rationem omnium genitricem, parentemq; virtutum figmento pulcherrimo Platonicorum adumbret, qua de re disputauimus accuratè in primo nostrarum orationum volumine, cum de Virgilij diceremus allegoria.

Secunda ratio defensionis in hunc à me modum conformatur. Esto decre-

decreuerit Aeneas Helenam de medio tollere, nihil tamen est actum, quod fortitudini, magnanimitati, iustitiæ consentaneum non sit. Non enim ea gratia, eoque consilio vult Helenam occidere, vt laudem inde sibi paret, ac gloriam, quam intelligit esse nullam in feminea poena; sed vt sic plectat criminosam illam, ac scelestam, quemadmodum iustitia Principum postulat, & vindicta; vt suorum placet Manes eius feminæ sanguine, cuius vitio priuati sunt vita; vt auertat periculum seruitutis turpissimæ ab ijs, qui superstites essent ex incendio. Nam si Menelaus, collecta iam præda, reconcilietur Helenæ coniugi, eam captiuorum stipatam comitatu, atque seruitio reducet in Græciam. Hac nimirum cogitatione maximè compellebatur Aeneas, cum de tollenda Helena consultabat.

*Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasq. Mycenas*
*Aspiciet? partoq. ibit Regina triumpho,*
*Coniugiumq; domumq., patres, natosque videbit*
*Iliadum turba, & Phrygijs comitata ministris?*
*Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?*
*Dardanidum toties sudarit sanguine littus?*
*Non ita.*

Quis enim patiatur affines suos, & matronas Troiæ primarias imperio premi tàm impudicæ mulieris? Benè igitur Aeneas, prudenterq; colligit ad extremum, coniectatq; laudaturos omnes auctoris manus, si caederetur Helena, factumq. tamquam aequissimum, iustissimumq. probaturos.

*Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis*
*Laudabor pœnas, animumq. explesse iuuabit*
*Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum,*

Nihil igitur in versibus illis est cum alijs pugnans, nihil abhorrens ab Imperatorio decoro, nihil à iustitia, nihil à virtute, quæ virum decet, alienum est. Itaq. male Virgilius accusatur inscitiæ: imprudenter atque inscite Iudices illi ab Augusto designati sapientissimos poëtæ versus inducere atque obliterare conati sunt. Suffragari potest huic loco defensio ex Prologomenis quinta, quæ περιστάσεις, hoc est circumstantias spectare maximè iubet in ijs, de quibus accusari poëtas videmus. Hæ quippè faciunt, vt honestum sit, quod alioqui turpe, atq. indecorum esse videretur. Peristases verò, & circumstantiæ sunt, locus, tempus, personæ, in primisque, vt ibi ait Aristoteles, finis, & id cuius gratia geritur aliquid. Saepè quippè poëtæ aliquid factum volunt, ac fingunt fieri boni maioris adipiscendi gratia, vel maioris alicuius mali vitandi studio. Quæ profectò cadunt in hoc Aeneæ consilium ad amussim. Si enim Helenam occisam vult, vult propterea, quòd Troianorum interfectorum animas placare cupit illo sanguine,

quem

quem sitienter eas expetere putat, ex illa veterum opinione, de qua supra alio loco disserui. id verò bonum aliquod maius est, quàm feminam illam præstare incolumem, & liberare. Si sua eam manu decernit extinguere, quod indecorum videtur, decernit ideo, vt matronas nobiles, & nurus Priami Regias eripiat è miserrima seruitute, quam seruire cogentur, si Helena superstes sit: quod profecto decernitur mali cuiusdam causa vitandi multo maioris, quàm sit id, quod ab infamia imminet Aeneæ, si Helena viri fortissimi manu tollatur è medio.

*Finis Libri Secundi.*





# LIBRI TERTII

## AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

## *DE HVIVS DIVISIONE LIBRI à proximè ſuperiori narratione.*



NODVM hic in ſcirpo quæſiuit, inuenitque Caſteluitrus, Virgilium arguens, quòd libri huius narrationem ſeiunxerit à ſecundo: nec è duobus fecerit vnum; cum vtriuſque vna, eademq. ſit expoſitio narrantis Aeneæ ſuper menſam Didonis excidium Troianum, erroreſq. ſeptennes. Quin eodem nomine multo maximè reprehendit Homerum, quod ſermonem Vlyſſis apud Alcinoum in libros diuiſerit quatuor. Cauſam accuſationis repetit altius.

Exiſtimat enim Epicos poëtas totum carmen,& ſuum ipſorum opus diuiſiſſe in quaſdam quaſi concentiones,recitationeſue,hoc eſt in certas partes, quæ commodè vno ductu,impetuq. dicentis recitari poſſent ſine illorum ſatietate,qui audirent: eo planè modo, quo Comoedia,aut Tragoedia diuiditur in actus, & ſcenas ſuas. Has autem recitationes, & partes appellatas eſſe contendit ab auctoribus libros: adeoq. recitationes ſingulas libris ſingulis comprehendi debere:quod ſi longiores ſint, iuſta eas reprehenſione carere non poſſe. Hinc intelligi vult,Homerum peccaſſe dupliciter: primo quidem, quòd plus nimio longam fecerit expoſitionem illam Vlyſſis, deinde quòd eandem in libros diuiſerit,nec libros ipſos abſoluta narratione terminarit.

rit. Virgilium verò eo solum erraſſe nomine, quòd narrationem Aeneæ partitus ſit in libros duos, quæ tam longa non eſt, vt audiri tota, & pronunciari vna tantummodo recitatione non poſſit. Hæc ille tamquam è Cortina.

Sed dici vix poteſt quantum aberret à vero. Ponit quippe ſine teſtimonio, atq. auctoritate maiorum, poëtas, & ipſos Epici carminis auctores antiquos partitos fuiſſe libros eoſq. recitaſſe; quod falſum eſt. Hanc enim curam ſibi poſtea ſumpſerũt ij, quos appellarunt Rhapſodos, hoc eſt carminum ſutores, cantoreſue; quos propterea ſic dictos accepimus, quòd Homeri, aliorumq. poëtarum opera temere ſparſa, & diuulſa cõſuere quodammodo primùm, & compingere, deinde in partes aliquas diuidere certas auſi ſunt, quas commodè recitare, aut canere poſſent, cum alijs in locis, tum verò præſertim, ac maximè in conuiuijs Principum.

Aliqui auctorem faciunt huius diuiſionis, & Rhapſodiæ Piſiſtratum. Sed hunc ait Aelianus in iij. var. hiſt. vniuerſa tantum Homeri opera confuſa, & perturbata in Iliadem, atq. in Odyſſeam tamquam in duo corpora digeſsiſſe. Suſpicari pòtius libet, auctorem fuiſſe Piſiſtrati filium Hipparchum: quem teſtatur idem Aelian. in libro viij. verſus Homeri Athenas importaſſe primum, & Rhapſodos inſtituiſſe, qui eos canerent in Panathenaicis. Quos oppidò Rhapſodos videmus conſecutis temporibus appellatos etiam fuiſſe ῥαβδούχους, & ῥαβδῳδοὺς, à virga, ſiue bacillo, qui dicitur Græce ῥάβδος. Prodibant quippè Rhapſodi recitaturi cum ſcipionibus, & quidem variè coloratis: Nam qui profitebantur Iliadem, geſtarunt rubrum, ad indicãdas cædes militum, & cruorem: qui Odyſſeam, croceum: quòd eo colore apud antiquos ſignificarentur exules, & errantes. Quin etiam ante hos Hipparchi Rhapſodos aliqui præterea fuiſſe videntur Homerici carminis recitatores: cum memoriæ prodiderit Aelianus in eodem lib. iij. multò iam ante fuiſſe Homeri carmina diſtracta, & diſcerpta, quæ canerent illi priſci particulatim: vt pugnam ad naues, nauium catalogum, Patrocli parentalia, Telemachi peregrinationem, nauigationem Vlyſſis, &c. quæ poſtea collegerunt, conſuerunt, & diuiſerunt melius ipſi Rhapſodi.

Ceterum haec nihil ad nos, qui de his auctoribus haud laboramus, modo compertum illud ſit; poëtarum libros eos feciſſe, ac diuiſiſſe, qui iuſtam recitationem, concentionemq. ſibi ſeponere voluiſſent. Hinc enim ſequitur, non eſſe reprehendendum Homerum, aut alios poëtas antiquos ob eam partitionem, quam ipſi non fecerunt. Quod ſi Rhapſodi illi virgatores male, ac præter rationem diuiſerunt opera poëtarum, ipſi plectendi ſuis virgis ſunt, ac parcendum poëtis, qui eam curam, prouinciamq. alijs permiſerunt.

De

De Virgilio verò, quamquam non habeo, cur confirmem, Rhapsodis fuisse datum negotium, vt Aeneida diuiderent in libros, quos in conuiuijs canerent, exploratum tamen esse, ac certum puto, Virgilium ipsum de recitatione, ac cantu non laborasse. Neque enim Epicum carmen ea gratia scribitur, vt recitetur, quemadmodum scribuntur dramata. Itaque sequutum eum esse dixerim Homerum, totumque illud Aeneidos opus sine librorum partitione coagmentasse. Eos autem, qui vel recitare, vel canere Virgilij versus ad citharam vellent, eandem, quam videbant iam placuisse Rhapsodis Homericis, retinuisse diuisionem. Cantoribus enim opportunius erat Aeneæ narrationem bipartitò diuidere, quàm totam recitare simul, aut canere.

---

## LOCVS II.

## DE CLASSE SVB ANTANDRO adornata,

### An ea molitio verosimilis sit.

*Postquam res Asiæ, Priamiq. euertere gentem*
*Immeritam visum superis, ceciditq. superbum*
*Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia,*
*Diuersa exilia, & desertas quærere terras*
*Augurijs agimur Diuum, classemq. sub ipsa*
*Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ*

Classis hæc viginti constabat nauibus, vt apud Didonem testatur Aeneas.

*Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor.*

Quo magis admirabile videtur esse Casteluitro, quì potuerit Aeneas tam citò, tam magnam classem, tam prope hostem, vt Græcorum arma vndique circumsonarent, ipsa demum adhuc fumante Troia, moliri. Putat ergo ex eo genere peccatorum hoc esse, quæ ab Aristotele in cap. xxij dicuntur ἄλογα, hoc est figmenta à ratione aliena, minimeque decentia.

Sed nobis Aristoteles ipse eodem in loco aliquam fortassis ad defensionem aperiet viam. Affirmat enim ille quidem errata quædam esse poëtarum grauia, eaque dici debere ἄλογα: sed docet etiam, interdum sic esse poëtis condonanda, quemadmodum condonamus Homero, quòd

quòd Vlyſsem è Corcyra remittat Ithacam conſopitum, ac dormientem, faciatque Phæacenſes vectores ab Alcinoo datos eundem Vlyſſem exponentes in Ithacae littus item ſopitum, ac plane ſolum, cum muneribus Regijs, eumque inſalutatum è veſtigio relinquentes. Hæc, inquam, Ariſtoteles ipſe ait eſse ἄλογα, & præter rationem omnem, fidemque confingi: cum credibile non ſit, Ithacæ Regem, tam honorificè paulò ante ſuſceptum, ita negligi demum, & exponi, eo maximè tēpore, quo illi multo maximè præſidium erat aliquod aduerſus procos neceſsarium. Nihilo minus tamen Homerum liberat culpa, docetque, quicquid ibi abſurdum eſt, alio quodam bonorum genere compenſari.

Itaque licebit etiam nobis abſoluere culpa Virgilium: cum multò magis credibilia ſint quæ de comparata repente claſse comminiſcitur ipſe, quàm quæ in expoſito Vlyſse fingit Homerus. Neq. enim, cum ait Virgilius, Aeneam claſsem illam eſse molitum adhuc fumante Troia, ſignificat etiam, eadem fumante illicò diſceſſiſse. Potuit enim in Antandro aliquo tempore facilè commorari dum Græci colligendis ſpolijs, reficienda claſse, partienda præda, gaza Troianorum nauibus imponenda, opperienda demum commoda tempeſtate occupabantur. Quod ſi ne tempus quidem iſtud tam multis moliendis nauibus ſatis eſse videatur, illud animo reputemus, quod eſt in lib. Aeneid. ix. eas Aeneæ naues ex arboribus textas ſacris fuiſse, conceſſu & beneficio Cybeles, quæ veniam dedit, vt ex Idae monte ſucciderentur.

*Pinea ſilua mihi multos dilecta per annos,*
*Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant,*
*Nigranti picea, trabibuſq. obſcurus acernis.*
*Has ego Dardanio iuueni, cum claſsis egeret*
*Læta dedi, &c.*

Quapropter in ea molienda claſse aliquam interceſſiſse machinam intelligere debemus, & Deorum opem interueniſse: quia veroſimile non eſt, Cybelem eam tantummodo ſiluam Aeneæ dediſse, nec eum fabricandis, & componendis nauibus adiuuiſse. Quo fit, vt ſi huius machinæ, diuinæq. opis rationem habeamus, id quod alioqui videtur ἄλογον, atque abhorrens à ratione, quaſi quodam medicamento curetur, & deleatur. Hanc enim ait ibidem Ariſtoteles eſse cauſam, cur illud erratum Homero condonandum ſit; quòd nimirum eiuſmodi figmentum abſurdum quibuſdam veluti condimentis aſpergat, deleatq. iucunditate fabulæ quicquid alienum à ratione confingit. Illa, inquit, quæ de Vlyſse dicuntur expoſito, toleranda nō eſsent, ſi ab aliquo malo poëta tractata fuiſsent. Sed Homerus alijs planè bonis abſurda compenſat, ac delet; & quicquid abhorrens à ratione videtur, tamquam medicamentis, & quibuſdam quaſi condimentis aſpergit. Quæ nā verò

ſint condimenta illa, quæ medicinam abſurdo faciunt epiſodio pluribus ibi docent Interpretes; Victorius præſertim, & Caſteluitrus. Sed ijs prætermiſſis, quod ad Virgilium attinet, ſatis nobis eſt, receptũ haberead machinã illam, & opem Berecynthiæ, tamquã ad medicamentum longè præſentiſſimum, quod facere ſine dubio poſſit, vt quicquid in ea molitione veroſimile non eſt, obliteretur, ne cicatrice quidem, aut vulneris aliquo veſtigio relicto. Si quis enim contendat, tempus illud, quo Græci occupabantur in colligenda præda, non eſse ſatis fabricandæ claſſi, habet cur credat eſse ſatis ob eam machinam, & præſidium Deæ, quæ repræſentare facilè poteſt, atque anticipare quicquid à mortalibus operam multam, & temporis diuturnitatem efflagitet.

---

## LOCVS III.

## DE SACRIFICIO AENEAE *in Thracia*.

### An ritè peractum ſit, & ex lege Sacrorum.

*Sacra Dionææ matri, Diuiſq. ferebam*
*Auſpicibus coeptorum operum. ſuperoq. nitentem*
*Cælicolum Regi mactabam in littore taurum.*

Euangelus apud Macrob. in libro iij. cap. x. Virgilium accuſat inſcitiæ, quòd Põtificij videlicet iuris ignarus neſciuerit, apud antiquos lege cautum, ne Ioui taurus immolaretur. Sic enim Atteius Capito in lib. primo de iure ſacrificiorum ſcripſerat. Ioui, Tauro, Verre, Ariete immolare non licere. Quin Labeo rerum ſacrarum ſcientiſſimus ante docuerat, taurum niſi Neptuno, Apollini, Marti non immolari. His, inquam, auctoribus inſtitutus Euangelus ille, Virgilium exiſtimat ignarum eius fuiſse religionis, ac propterea reprehenſione doctorum hominum eſse digniſſimum.

Sed nos haud poſsumus melius Virgilio patrocinium dare, quàm quod eodem loco aduerſus Euangelum Macrobius ipſe ſubtexuit. Ait enim, poëtam ſapientiſſimum Virgilium non ignoraſse Pontificium illud ius, & ritum ſacrorum, id quod ipſemet demonſtrat cum alibi canit.

*Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo:*

ſed artificioſe hic, & de induſtria Aeneam inducere ſacrificantem Ioui taurum, litantemq. victimam alienam, quia conſequi debet prodigium illud, ac monſtrum horrendum ad tumulum Polydori.

*Hor-*

*Horrendum & dictu video mirabile monstrum.*
*Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos*
*Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,*
*Et terram tabo maculant, &c.*

Nam vitio sacrificari, si Ioui taurus immoletur, docet idem Atteius Capito: qui aduersus Maronem in acie collocatus ab Euangelo fuit. Hæc enim verba prioribus illis adiecit. Si quis forte Ioui tauro fecerit, piaculum esto. Non igitur ex ignoratione sacrorum mactatur taurus; sed vt locus detur monstro, ac prodigio futuro: quod consecutum est, quia Ioui præter leges, & vitio litatum fuit.

Probat hanc patrocinij rationem etiam Seruius cum ait, Ioui, cui soleret immolari iuuencus, mactatum fuisse dedita opera, & ex industria taurum, vt crederetur, ex illo errore, ac sacrificij vitio consecutum esse prodigium Polydori, sanguinem fundentis è virgulto, exclamantisq. de tumulo. Quare poterit huic loco patrocinium dare quinta defensio in Prolegom. exposita: vbi diximus ex Aristotele intuendas esse peristases, hoc est circumstantias, cum aliquid videtur esse perperam excogitatum. Inter peristases autem præcipuum debet esse tempus, & id cuius gratia. Cum ergo tempus & finis poëtæ propositus illud postularet, vt aliquid fingeretur factum præter morem sacrorum, nō est accusandus Virgilius, sed cum admiratione suscipiendus, quòd tam lynceus sit, & tam callidè circumspiciat singulis in locis vniuersa. fingit enim hæc boni maioris gratia, vt de fine ibi loquitur Aristoteles, atque vt temporis rationi consulat, & euenturo prodigio.

## LOCVS IV.

## DE MOBILITATE INSVLAE DELI.

### Vera ne sit; an verosimiliter excogitata.

*Sacra mari colitur medio gratissima tellus*
*Nereidum matri, & Neptuno Aegaeo.*
*Quam pius Arcitenens oras, & littora circum*
*Errantem Micone celsa, Gyaroq. reuinxit,*
*Immotamq. coli dedit, & contemnere ventos.*

Cum hic significet haud dubie Virgilius, Delon siue Ortygiam Insulam fluitasse olim errabundam in mari, ac demum cōstitisse, ab Apolline videlicet, ac Diana redditam immobilem, cum ibi nati ex Latona sunt, ac sub oliua depositi, vt canitur à Catullo in carm. sæculari: cum hæc inquam ijs versibus poëta significet, videndum est, quærendumq. num id, vel fingere, vel probare per leges poëticæ licuerit, quæ iubent

poëtam, vt est apud Aristot. in cap. primo, à verosimili non discedere. Non enim credat quispiam, Insulam esse vllam, quæ natura moueatur in aquis, & tamquam nauicula fluctuet.

Sed si paucis, & quam breuissimè de quæstione decernendum sit, fidenter ego dicam, ac verè, fas fuisse Virgilio fabulam illam, aut excogitare, aut probare iam excogitatam: idoneamque comminiscendi, aut probandi causam eum habuisse ab ipsa natura. Nam Plin. lib. ij. cap. xciv. aliquas esse terras affirmat, quæ ad ingressum peditum, equitumue tremant; in agro præsertim Reatino, & Gabiensi: & in cap. xcv. Insulas quasdam inueniri, quæ semper fluitent mobiles, ac vagantes. Quædam Insulæ, inquit, semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & in eodem Reatino: in Vadimonis lacu, & ad aquas Cutilias opaca silua, quæ numquam die, ac noctu eodem loco visitur. in Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum, sed etiam contis quò libeat impulsae, multorum ciuium Mithridatico bello salus. sunt & in Nymphæo paruæ, Saltuares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt; nunc triquetrã figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam numquam. Hæc ita testatur Plinius, eademque confirmat Theophrastus in libr. iv. historiarum cap. xj. & Seneca lib. iij. Naturalium quæst. cap. xxv. qui præterea causam exponit, cur Insulæ tam magnæ sic supernatent aquis. Graue, inquit, & leue est non æstimatione nostra, sed comparatione eius, quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior est hominis corpore, aut saxi, non finit id, quo non vincitur, mergi. Sic euenit, vt in quibusdam stagnis ne lapides quidem pessum eant; de solidis, & duris loquor. Sunt enim multi pumicosi, & leues: ex quibus quæ constant Insulæ in Lydia, natant. Ipse ad Cutilias natantem Insulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Stationensi. Cutiliarum Insula, & arbores habet, & herbas nutrit; tamen aqua sustinetur: & in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, sed & aura: nec vmquam illi per diem, & noctem in vno loco statio est; adeo mouetur leui flatu. Huic causa duplex est: aquæ grauitas medicatæ, & ob hoc ponderosæ; & ipsius Insulæ materia vectabilis, quæ non est corporis solidi, quamuis arbores alat. fortasse enim leues truncos, frondesq. in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam si qua in illa saxa sunt, inuenies exesa, & fistulosa. His, quæ Seneca ita recenset, agrum addam Tiburtinum, vbi lacus est Insulis huiusmodi mobilibus refertus, non ita magnis illis quidem, sed quæ hominem, aut bouem ferant, quod ipse sic vidi, quemadmodum vidit Cutilias Seneca.

Quo-

Quoniam igitur aliquæ ſunt in orbe terrarum Inſulæ, quæ mouentur, & fluctuant, iure potuit, ſeu fingere, ſeu probare Deli mobilitatem Virgilius: cum præſertim eam rem teſtatam iam alij ſcriptis, monumentiſq. reliquiſſent, vt docere videtur idem Seneca in lib. vj. natural. quæſt. cap. xxvj. ſed & mouetur Aegyptus, inquit, & Delos, quam Virgilius ſtare iuſſit :

*Immotamq. coli dedit, & contemnere ventos.*

Cum enim Virgilium dicit, poëtas intelligit vniuersè: quorum communi nomine canit Ouidius.

*---------- Tempuſq. fuit, quo nauit in vndis*
*Nunc ſedet Ortygia.*

Sed operæ pretium eſt cognoſcere vnde fluxerit antiquorum poëtarum huiuſmodi de Delo commentum. Hoc enim idem Seneca velut in tabula nobis oſtendit; affirmans, aliquos fuiſſe ſcriptores, qui dicerent, Delum numquam terræ motibus concuti, aliquos contra, qui non modo quati vellent, ſed traderent etiam nominatim circa Peloponneſiacum bellum tremuiſſe. Ita quippe, atq. his verbis loco laudato pergit de Delo narrare. Hanc Philoſophi quoque, credula natio, dixerunt non moueri, auctore Pindaro. Thucydides ait, antequidem immotam fuiſſe, ſed circa Peloponneſiacum bellum tremuiſſe. Calliſthenes alio tempore ait hoc accidiſſe. Sed Macrob. in lib. iij. cap. vj. ex eiuſdem auctoritate Thucydidis alia omnia contendit. Delum, inquit, neque antea, neque poſtea hoc incommmodo vexatam, ſed ſemper eodem manere ſaxo Thucydides hiſtoriarum lib. iij. docet. In hac diſſentientium varietate ſcriptorum fas fuit antiquis poëtis, eos ſequi qui dicerent, Delum Inſulam terræ motibus obnoxiam fuiſſe maxime, & eos qui confirmarent deſijſſe poſtea ſolitis illis tremoribus quati. Et quoniam ipſis permiſſa fingendi poteſtas eſt, licuit ijſdem comminiſcendo dicere, Inſulam illam non modo tremoribus agitatam olim fuiſſe, quod eſt commune cum omnibus pene terris, ſed inſtabilem, mobilemq. fluctuaſſe, quod de quibuſdam traditum erat Inſulis, adeoq. credibile videbatur. Quod ſi hæc fas fuit ita confingere, ac veris addere, cur non licuerit etiam dicere deſijſſe tandem aliquando per machinam, hoc eſt Apollinis, & Dianæ beneficio fluctuare? cum traderent hiſtorici à certo quodam tempore non fuiſſe amplius terræ motibus illis antiquis, tremoribuſq, concuſſam. Quare nihil à Virgilio peccatum eſt, qui figmentum probauit antiquum, veroſimile, ac prudenter excogitatum. Cum enim ſcirent mortales, aliquas Inſulas eſſe natantes, credere facilè potuerunt, etiam Delum in Aegaeo fluctuaſſe, & quæ veterum ſuperſtitio erat, alicuius Dei beneficio conſtitiſſe.

## LOCVS V.

## DE ORACVLO DEORVM PENATIVM, & Heleni.

### Quid in vtroq. reprehendatur à Criticis.

In hoc Aeneidos libro tertio bis Aeneas de rebus, vel futuris, vel abditis, longèque positis admonetur. primo quidem à Dijs Penatibus; qui sic canunt.

*Mutandæ sedes, non hæc tibi littora suasit*
*Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.*
*Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,*
*Terra antiqua, potens armis, atq. vbere glebae.*
*Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores*
*Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.*

Deinde ab Heleno; qui non de Italia solum, sed de Sicilia vaticinatur.

*Læua tibi tellus, & longo læua petantur*
*Aequora circuitu. dextrum fuge littus, & vndas.*
*Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina*
*(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)*
*Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraq. tellus*
*Vna foret, &c.*

In vtroque igitur oraculo Casteluitrus requirit à Virgilio prudentiam. Nam alienum à ratione putat, nec vaticinio consentaneum, Deos illos Penates, & Helenum diuinum ad famam confugere, quæ vulgauerit, eam Europæ regionem Italiam nūc dici, quæ olim à Græcis Hesperia, ab alijs appellata erat Oenotria; & Italiæ partem quondam fuisse Siciliam, quæ nūc abiuncta prorsus est, ac separata. Quamuis enim Aristoteles in cap. xxiij. veniam poëtis dederit, vt ad famam, vulgatosq. rumores confugiant, eam tamen illis impertijt propterea, quòd aliqua minimè norunt, nec facile possunt fidem à mortalibus impetrare, nisi dicant ea esse iam fama vulgata, & à maioribus tradita. Dij verò, vatesq. quid ignorant? quid necesse habent ad famam referre quæ confirmant, cum ea ipsi non modò intelligant & sciant, sed oculis propemodum intueantur?

Ne multis hic morer, inspiciendum, primò puto quid sibi velint Dij Penates cum canunt:

*——————— Nunc fama, minores*
*Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.*

Non enim tamquam rerum ignari (quod faciendum poëtis est, quoniam res ignorant) à fama testimonium petunt, cum aiunt [fama est] sed exponunt, ac narrant Aeneæ quod & fama vulgauit, & ipsi sciunt: necesse tamen non est eos de sua ipsorum cognitione, ac sciētia quicquam addere.

Helenus item, quam multa profert oracula rerum futurarum Apollinis instinctu, cuius est sacerdos, & vates? profert tamen ea solum, quæ fatidicam illam vim efflagitabant. Sed quod de Sicilia confirmat non est tanti, vt diuinandi facultatem ad illud explicandum accersere debeat. Itaq. satis habet ea de Sicilia referre, quæ potuisset Aeneæ quilibet alius sine vllo instinctu Numinis aperire: atque ad famam confugit; nec Dei vim omnia intelligentis adhibet in sermonem, quia necesse non est.

---

# LOCVS VI.

## *DE SICILIAE AB RELIQVA ITALIAE parte diuulsione.*

### An fingi sine machina, & Deorum interuentu debuerit.

*Haec loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina,*
*(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)*
*Dissiluisse ferunt. cum protinus vtraque tellus*
*Vna foret: venit medio vi pontus, & vndis*
*Hesperium Siculo latus abscidit, aruaq. & vrbes*
*Littore diductas angusto interluit æstu.*

Quia Virgilius absq. machina, & Deorum ope auulsam facit ab Italia Siciliam, videri potest alicui fecisse parum ex instituto poëtico, quo iubentur auctores carminis ad ea Deos aduocare per machinam, quæ fieri naturæ vi, artisq. beneficio non possunt. Vincetur itaque ab alijs fortasse poëtis in hoc genere Virgilius: qui cum viderent

non tantum à natura mari tributum esse impetum, ac vim, vt eam perrumpere queat terræ molem, ac partem, quæ Insulam efficiat amplissimam, cuiusmodi Sicilia est, perfugium habuerunt ad Deos, dixeruntque à Neptuno diuulsam admoto tridente; quemadmodum docet Eustathius interpres Dionysij Afri, canitq. Claudianus in primo de raptu.

*---------- Trinacria quondam*
*Italiæ pars vna fuit: sed pontus & aestus*
*Mutauere situm: rupit confinia Nereus*
*Victor, & abscissos interluit æquore montes.*

Placuit hæc ratio machinæ etiam ijs, qui dixerunt, Oceanum Abilam, & Calpen abscidisse, easque fluctibus operuisse terras, vbi nunc mare mediterraneum est. Deos enim tam magno interesse voluerunt operi: finxeruntq. vt rem credibilem facerent, Neptunum aduersa cuspide patefecisse viam illam Oceano, eaque reserasse claustra, quæ ante ab vtroq. illo monte penitus obstruebantur. Hoc nimirum modo Valerius Flaccus existimauit illud inauditæ rei miraculum esse populo proponendum.

*Sic pelago pulsante reor, Neptunia quondam*
*Cuspis, & aduersi longus labor abscidit aeui,*
*Vt Siculum, Lybicumq. latus, stupuitq. fragore*
*Ianus, & occiduis Regnator montibus Atlas.*

Placuit eadem machina Claudiano in ij. lib. de Raptu, cum persuadere legentibus vellet, Olympum in Thessalia Ossæ quondam fuisse coniunctum, sed ab eodem, immisso Peneo fluuio, distractum repente fuisse, atque disiunctum.

*Sic cum Thessaliam scopulis inclusa teneret*
*Peneo stagnante palus, & mersa negaret*
*Arua coli, trifida Neptunus cuspide montes*
*Impulit aduersos. tum forti saucius ictu*
*Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.*
*Carceribus laxantur aquæ, fractoq. meatu*
*Redduntur fluuijq. mari, tellusq. colonis.*

Sed quamquam hæc sapienter ab alijs ficta poëtis sunt, iure tamen à Virgilio prætermitti potuit machina, & Deorum aduocatio; cum non modo à vulgaribus hominibus fieri posse credatur, vt mare sua vi, accedente præsertim terræmotu, & diuturnitate temporis, aliquam terrarum conuellat partem, & Insulas faciat, verum etiam tradatur à doctis scriptoribus id ita factum esse, tum alijs in locis pluribus, tum verò etiam in Sicilia nominatim. Plinius enim disertissimè docet, hoc modo eam Insulam ab Italia, Cyprum à Syria, Euboeam à Boeotia fuisse diremptas. Quin ait Aristoteles in ij. libro meteororum mare

subin-

subinde commutare locum,& littus suum: sic inquam, vt quà terrà nunc patet, habitatur & colitur, multis sanè partibus occupata fuerit olim ab aqua; quà stagnat nunc, & diffunditur mare, multis sanè locis olim terra patuerit, & populis,oppidisque frequentibus sit habitata.

Quæ profectò causa est, cur Homerus Pharum Alexandriæ Insulam à continenti diuisam fecerit, quam compertum habemus esse coniũctam. Tuetur enim eum à reprehensoribus Strabo,illo nomine, quòd Homeri ætate Pharus seiuncta esset, sed postea continenter, ac semper accedente terra, quam eò conuectat Nilus, marique recedente, coniuncta fuerit: idque confirmat ex Herodoti auctoritate, quem potissimum ibi testem profert ad defendendum Homerum. Ad hæc, Herodotus ipse ait se ab antiquis accepisse, mare olim supra Memphim vsque ad Aethiopiæ montes pertinuisse, & Strabo duos laudat Philosophos longè vetustissimos, Stratonem ac Xanthum: qui dicebant, circa templum Iouis Ammonis tribus stadiorum millibus iacere procul à mari passim, ac vbique marinas cocleas,ac testulas;è quibus conijci posset,ibi quondam mare fuisse. Scribit eadem Pomponius Mela de Numidia in Africa. Interius, inquit, & longè satis à littore (si fidem res capit) spinæ piscium,muricum,ostrearumq. fragmenta, saxa attrita, vti solent fluctibus marinis;infixæ cautibus anchoræ, aliaq. huiusmodi signa, atque vestigia effusi olim vsque ad ea loca pelagi in campis nihil alentibus esse, inueniriq; narrantur, &c. Quæ profectò faciunt, vt credam non omnino poëticè hoc est fictè ab Ouid. cani in lib.metam.xv.

*Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus*
*Esse fretum, vidi factas ex æquore terras,*
*Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ,*
*Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.*

Immo verosimile reddunt quod canitur à Iouiano Pontano in meteoris de Oceano,quem verè putat inuasisse Abilæ, Calpisq. claustra, & terras illas intrasse penitus, quæ mediterraneo mari nunc operiuntur.

*---------------- Mutantur in aeuum*
*Singula,& incœptum alternat natura tenorem.*
*Quodq. dies antiqua tulit, hoc auferet ipsa.*
*Hoc mare,quod nunc ingenti duo littora tractu*
*Europam Lybiamq. secat,non fabula, quondam*
*Tellus vna fuit. medio stetit aequore taurus*
*Insudans sulco,atque attrito vomere fessus:*
*Nunc mersa tellure natat vento acta carina*

Claudamus ergo disputationem,affirmantes,Virgilium necesse non habuis-

habuisse ad machinam ire; cum tam multi doceant Insulas complures impetu maris naturali factas esse, pluresque diuisas terras, quæ fuerant olim tractu perpetuo, aut montium propè iunctura commissae.

---

# LOCVS VII.

## CVR HVMILIS ITALIA dicatur.

*Cum procul obscuros colles, humilemq. videmus*
*Italiam, &c.*

Mirantur aliqui adiunctum hoc, & epitheton insolens, quod à Virgilio tribuitur Italiæ, quæruntq. cur dicatur humilis, ac depressa, cum tam magnis, crebrisque sit distincta montibus, quorum multi etiam in ipsum mare longè procurrunt.

Duas proponit Seruius rationes, quas perpēdere nos oportet, vt videamus an eius rei probabilem afferant causam. Ait igitur primò, humilem dictam Italiam, quia plana est, & mollis, laudatq. testem locupletem Sallustium, qui de Italia hoc affirmarit. Docet deinde physicum id esse, quod perstringit epitheto illo Virgilius. Nam è mari cernentibus humilis apparet terra, contraq. spectantibus è terra videtur altius mare. Neutra sanè ratio causam eius adiuncti tam inauditi, ac noui absolutè, perfectèq. demonstrat. Prima enim facit Italiam planam, & mollem, quæ montibus vbique distinguitur, & iugis altissimis. Secunda non ostendit, cur Italia dici potius humilis debeat, quàm aliæ terræ, quæ cernuntur è mari: omnes enim videntur humiles. Verissimè quippè dicitur à physicis terra depressior natura, & grauior esse, quàm aqua, sed vtriusq. tamen vna esse superficies extima, continua, atq. perpetua, idem vmbilicus, & centrum; sic prorsus, vt vnus ex vtraque orbis, & globus existat. Itaque tam terra, quàm aqua ipsa simul iuncta cum terra, leni, aequabiliq. tumore globosa est, & teres vndique. quo fit, vt ijs, qui sunt in mari, cum præsertim longè absunt à littore, humilis terra videatur ob illum aquæ tumorem, & altiorem superficiei totius globi partem, in qua positi sunt qui procul à terra nauigant. subsidente adeo paulatim altitudine illa, ipsi demum nautæ ad terram accedentes intelligunt se deceptos, nec aquæ superficiem altiorem esse, quàm terram. Verissimè inquam hæc dicuntur, & Physicæ congruenter. Sed inuenienda tamen est ali-
qua

qua causa peculiaris,& propria,cur eorum habita ratione,qui sunt in mari,nulla vnquam alia terra dicta sit humilis præter Italiam.

Mea ergo sic est ratio; dictam à Virgilio humilem Italiam, quia Troiani,qui ex Epiro nauigabant, eam Italiæ partem viderunt primùm,quæ planissima est, & expeditissima,hoc est Apulia illa,quā vulgo,ac populari lingua planam appellāt. Ea itaq. regio videbatur illud epitheton sibi propriè vindicare: quia si cum ceteris conferatur, quæ montibus,iugisq. perpetuis mare circumuallant, humilior,& depressior videbitur esse, quàm aliæ: præsertim è longinquo, vbi maior est aquæ tumor, & globosius mare. Nam quo propius accedas ad littus, hoc magis ille tumor decrescit, ac crescere videtur terra. Itaque dicitur paulo post.

*------------- Attollit se Diua Lacinia contra.*

decrescente nimirum illo maris tumore,terraque ipsa crescente propter montes magis, magisq. cernentium oculis apparentes. Neque enim ab hoc loco alienum est quod sæpe dicere poëtæ solent: id nimirum re ipsa esse, aut fieri, quod nobis esse, aut fieri videtur; vt in tertio canitur Aeneidos.

*Prouehimur portu,terræq. vrbesq. recedunt.*

Et in primo Georgicorum.

*Sæpe etiam stellas vento impendente videbis*
*Præcipites cælo labi, noctisq. per vmbram*
*Flammarum longos à tergo albescere tractus.*

Stellæ quippe non labuntur, sed labi videntur. Itaque satis hæc accommodata potest esse responsio: videri humilem Italiam, quamquam non est, adeoque vsitata loquendi forma id re ipsa esse,à poëta dici,quod tantum apparet, & videtur esse. peculiarem tamen habere causam Italiam, cur humilis appelletur à Virgilio; quia non vniuersam intelligi vult Italiam, sed eam partem,quæ prope mare omnium mollissima est, atque planissima: quod fortasse sibi voluit Seruius, non satis autem rem explicauit: cum toti adscripserit Italiæ quod soli dandum est parti.

## LOCVS VIII.

### QVID IN AETNAE DESCRIPTIONE reprehenderint aliqui.

*Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens*
*Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.*

Inter-

*Interdumq. atram prorumpit ad æthera nubem*
*Turbine fumantem piceo, & candente fauilla;*
*Attollitq. globos flammarum, & sidera lambit:*
*Interdum scopulos, auulsaq. viscera montis*
*Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras*
*Cum gemitu glomerat, fundoq. exæstuat imo.*
*Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus*
*Vrgeri mole hac, ingentemq. insuper Aetnam*
*Impositam ruptis flammam expirare caminis.*
*Et fessum quoties motat latus, intremere omnem*
*Murmure Trinacriam, & caelum subtexere fumo.*

Nihil videtur his versibus elegantius, aut artificiosius fieri posse: inuentus tamen est Phauorinus apud Gell. lib. xvij. cap. x. qui contra sentiret. Aiebat enim in summa; Virgilium in hac descriptione tumidum, & insolentem esse ex praua quadam imitatione Pindari: quem dum conatur exprimere, orationis, inquit, adulterat fuco, non effingit. Cum igitur Pindari descriptionē Ætnæ protulisset, ita de Virgilio aggressus est dicere comparando. Audite nunc Virgilij versus, quos inchoasse eum verius dixerim, quàm fecisse.

*Portus ab accessu, &c.*

Iam principio Pindarus veritati magis obsecutus id dixit, quod res erat, quodq. illi vsu veniebat, quodq. oculis videbatur: interdiu fumare Aetnam, noctu flammigerare. Virgilius autem dum in strepitu, sonituq. verborum conquirendo laborat, vtrumque tempus nulla discretione facta confundit. Atque ille Graecos quidem fontes imitatus, ignes eructare, & fluere amnes; fumi, & flammarum fulua, & tortuosa volumina in plagas maris ferre quasi quosdam igneos amnes luculentè dixit. At hic noster atram nubem turbine piceo, & fauilla fumantem ῥόον καπνοῦ αἴθωνα interpretari volens, crasse, & immodicè congessit. Globos quoque flammarum duriter transtulit. Item, sidera lambit, vacanter hoc etiam, & inaniter. Neque non id, quod inenarrabile esse ait, & propemodum insensibile, quòd nubem atram fumare dixit turbine piceo, & fauilla candente. Non enim fumare solent, neque atra esse quæ sunt candentia. Quòd saxa autem, & scopulos eructari, & erigi, eosdemq. ipsos statim liquefieri, & gemere, atque glomerari sub auras dixit, hoc nec à Pindaro scriptum, nec vmquam fando auditum, & omnium quæ monstra dicũtur, monstrosissimum est. Hæc Phauorinus apud Gellium disserit. Quæ multis cónatus est confutare Iouianus Pontan. in Anton. sed parum feliciter. Ingeniosius autem, & planius, & breuius pro Virgilio dixit Iulius Scaliger in lib. v. poëtices, quem Criticum inscribit cap. iv. Distribuit enim principio in capita omnino quatuor ea, quæ calumniosè dicuntur à Phauorino: deinde

deinde particulatim, vel irridet, vel diluit rationibus singula.

Reprehensionis illa capita quatuor hæc sunt. Primum à Pindaro rem ita, vt est, esse descriptam: Aetnam nimirum fumare interdiu; noctu flammas edere. à Virgilio ea tempora esse confusa.

*Interdumq. atram prorumpit ad æthera nubem*
*Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,*
*Attollitq. globos flammarum.*

Huic autem accusationis capiti sic respondet. rectius à Marone fumum, ac flammam simul in altera parte, in altera verò saxa liquefacta posita esse. Nam re ipsa fumum, ac flammam simul fundit. Noctis autem vitio fit, vt fumus non videatur è longinquo, sed tantum flamma: & diei claritudine impediuntur oculi, quo minus aspicere flammas possint.

Secundum caput est. ῥόον καπνοῦ, & ποταμὸν, riuum, seu fluuium fumi, quod est apud Pindarum, non rectè Virgilium latinè reddidisse, cum dixit globos. Hanc verò tam leuem reprehensionem irridens Scaliger, ait noluisse Virgilium hoc loco interpretem agere, sed auctorem. poterat ille quidem facilè dicere flumen, sed non placuit: quia melius ei vocabulum, ac significantius occurrit. Nam si flammarum ex Aetna prodeuntium volumina intuearis, non fluuio labenti compares, sed globis rerum implicatarum. Cuius sanè rei ratio subest naturalis. Impetus quippe erumpentis flammæ non potest tenore perpetuo oppositum, in quem subit, aërem scindere: conuoluitur itaq. per repressionem.

Tertium caput non iam accusationem, sed calumniam vocat, & impudentiam. Audet enim Phauorinus dicere, piceam nubem non cohærere, aut congruere cum fauilla candente. Ait autem esse hanc impudentiam; quia videt, Phauorinum putasse à Virgilio dictam esse fauillam candentem, quasi synonimon fumi. Quod si dixisset, pugnantia sine dubio locutus esset. Neque enim fumus candens, hoc est, ardens, siue relucens, aut albus est, sed obscurus. Non ita Virgilius insanit, sed vult à nobis intelligi fumum eructari mistum candente, hoc est, ardente fauilla. Duo itaq. sunt quæ simul extruduntur ab Aetna, fumus, & fumo permista candens fauilla.

Restat quartum caput. cuius summa est. Pindarum non dixisse eructari saxa. Hic verò non iam amplius irridens, sed indignabundus ita respondet patronus Virgilij Scaliger. Quid tum postea? quasi verò Græculorum famuli simus, ac non emendatores.



# LIBRI QVARTI AENEIDOS LOCVS PRIMVS.

## DE ATLANTIS DESCRIPTIONE.

## AN EA DIGRESSIO superuacanea sit.

*---- Iamq. volans apicem, & latera ardua cernit*
*Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit;*
*Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris*
*Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri.*
*Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento*
*Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.*
*Hic primum paribus nitens Cyllenius alis*
*Constitit. hinc toto præceps se corpore ad vndas*
*Misit, aui similis, &c.*



ANC Atlantis descriptionem Casteluitrus in earum digressionum numero ponendam putat, quæ damnantur ab Aristotele, dicunturq. fabulam episodicam facere. Aristotelis verba, quæ de his in poëtices octauo capite habet, hæc sunt. Ceterum simplicium fabularum, actionumue episodicae quidem sunt deterrimæ. Episodicam autem eam appello, in qua neq. verosimiliter, neque necessariò episodia mutua connectuntur. Hunc, inquam, locum Aristotelis cum tractat, & illustrat exemplis Casteluitrus, affirmatè pronunciat, eam

eam Atlantis descriptionem ab hac Aristotelis censura vindicari non posse. Non enim vlla, inquit, postulabat necessitas, vt Mercurius è caelo delapsus, & Carthaginem petiturus, in Atlantem prius, quàm Carthaginem ipsam aduolaret: nec verosimile videtur, Deum illum volucrem, alatumq. sic properantem, quemadmodum iussus erat à Ioue, voluisse in Atlante subsistere: cum præsertim volando non defatigaretur. Sed fac esse verosimile: quorsum pertinet illa descriptio tam putida? Loca enim describuntur in eam gratiam, vt facilius, ac plenius quod ibi gestum est intelligamus. At cum nihil in eo monte geratur, quod ad principem fabulam, hoc est ad Æneæ in Italiam aduentum pertineat, illæ niues, flumina, siluæ, quæ tam diligenter exprimuntur nullam afferunt rerum nouam agnitionem, cuius causa descriptiones fieri, & adhiberi ab auctoribus solent.

Differit ille Censor in hunc modum: sed multis hallucinatur ex causis. Principio enim existimat, Aristotelem cum de necessarijs loquitur episodijs, id necessarium dicere, sine quo res consistere tractariue nullo modo queat. Quod si sibi ille voluisset, nullum propemodum esset episodium, quod à poëtarum actionibus diuelli, ac separari citra fraudem, damnumq. non posset. Liceret ex Odyssea demere conuiuium apud Alcinoum, Gigantes in Aetna, Syrenum concentum in mari Tyrrheno, alia. liceret ex Aeneidos primo libro tollere Veneris occursum, narrationem excidij Troiani ex secundo, Polydori prodigium, & Harpyias ex tertio; ex alijs libris infinita, quibus planè diremptis consisteret nihilominus actio, quæ Vlyssis in patriam reditu, Aeneæ in Italiam aduentu tota continetur, & clauditur. Quæ cum ita sint, id mihi videtur Aristoteles, cum episodia quædam necessaria nominauit, significare voluisse: aliquod interdum episodium ita requiri, itaque in rem, qua de agitur, conuenire, vt necessarium non quidem sit, sed esse videatur. Huiusmodi fortassis est in quarto libro illa famæ descriptio: sine cuius officio, quod clam, & sciente nemine gestum à Didone fuerat, vulgari non poterat. Appellat autem huiusmodi episodia necessaria, vt à ceteris differentia faciat, quæ non tam requirit ipsa fabulæ institutio, quam aliqua rerum verisimilitudo ad oblectationem legentium accersitarum. Quo de genere hoc videtur episodium esse, Atlantisq. hæc descriptio, quæ ab isto superuacanea dicitur; cum omnino superuacanea non sit. huiusmodi quippe digressiones similes sunt minimis quibusdam in corpore partibus, quæ vt necessariæ prorsus animanti non sint, alijs tamen adiunctæ magis necessarijs, ipsum absoluunt, atque perficiunt corpus.

Itaque facilè dederim huic homini, nihil fuisse necesse, Mercurium ad Atlantem prius, quam Carthaginem conuolare, quia sine illo diuerticulo stabat fabula, suisq. partibus apta fuisset. sed contendam

tamen,

tamen, id fuiſſe maximè veroſimile; quod probabilius, & laudatis epiſodijs ex Ariſtotele ſatis eſt. Non enim ait coniunctim epiſodia debere neceſſaria eſſe, ac veroſimilia, ſed disiunctim, vel neceſſaria, vel ſaltem veroſimilia. Veriſimilitudo verò maxima huius epiſodij ſpectari poteſt ex eo, quòd ab Atlante auo ſtirpem duceret Mercurius, atque in Africam, vbi Atlas eſt, allegaretur à Ioue. Hinc enim fit, vt maximè ſit veroſimile ad auum illum maternum ex itinere officij cauſa eum diuertere voluiſſe: cum præſertim id ſæpe facere ſolitus eſſet Mercurius è cœlo deſcendens, & Atlante quibuſdam quaſi ſcalis vti conſueuiſſet aſſiduè, vt teſtatur ex fabulis Sidonius Apollinaris.

*Iamq. vt conueniant ſuperi Tegeaticus Arcas*
*Nunc plantis, nunc fronte volat: vix contigit arua,*
*Et toto deſcendit auo.*

Itaque nulla defatigatio fuit, quæ Mercurium reſiſtere cogeret in itinere, ſed officium in auum Atlantem, quemadmodum ipſe videtur hic indicare Virgilius, cum ait in digreſſu Mercurij ex Atlante,

*Materno veniens ab auo Cyllenia proles.*

Quòd ſi quiſpiam id etiam contendere voluerit, Mercurium feſſum de via, in eo monte, qui proximus occurrebat in Africa, inſidere, ac quieſcere debuiſſe, nihil affirmabit, quod antiquorum ſuperſtitionibus aduerſetur. fecerunt enim illi Deos ſuos non defatigatos modo, ſed ſudantes etiam in bello, & vulneratos.

Sapientiſſimè itaque Virgilius ad Atlantem digreditur, quò Mercurius tam ſæpe deflectere ſolitus erat ex itinere, vt non poſſet eò non contendere, cum per Mauritaniam Carthaginem verſus iter haberet, niſi vellet à conſuetudine, atque ab officio in auum antiquo ſine conſilio, ac ratione diſcedere. Quæ ratio tantum ponderis habet, vt hoc epiſodium non veroſimile modo, verum etiam neceſſarium facere poſse videatur.

Sed quoniam ſeuerus hic Cenſor etiam in neceſſarijs, aut veroſimilibus epiſodijs nihil vult poëtas deſcribere, niſi quod earum inſeruiat cognitioni rerum, quæ in deſcriptis gerũtur, & tractantur locis, docere poſtremò debemus, quem vſum habeat illa tam diligens expreſsio rerum, quas in Atlante deſcribit Virgilius. Vt enim maximè veroſimilis illa Mercurij deſcenſio in Atlantem ſit, erat tamen ſatis fortaſſe dicere, eum deſcendiſſe. Quid igitur neceſſe fuit addere tam multa; & ſingula, quæ ſunt in monte, putide deſcribere?

Breuiſſimè ſanè reſponderim & dilucide; Caſteluitrum non quidem ignorare (eſt enim ſcientiſſimus) ſed oblitum eſſe cauſam cur à poëtis excogitata epiſodia ſint: nos verò in mẽtem illi redigemus ex Suida, qui ſic epiſodium definit. τὸ εἰς φερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν. ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν. eſt quod adiungitur dramati, delectationis, & voluptatis gratia

gratia præter institutum, & propositum argumentum. Ex hac enim definitione intelliget, episodia poëtarum esse liberiora, quàm vt intra leges illas includi debeant, quibus teneri vult descriptiones locorum. Historijs quippe non licebit describere, nisi ea loca, in quibus aliquid gestum est eius rei, quæ narratione comprehenditur, & in ijs describendis tantum ob oculos ponere legentium quæ momenti aliquid afferunt ad eas melius, quæ ibi gerũtur, res intelligendas. Sed poëtis eã necessitas, & lex imposita non est: cum amœna diuerticula consultò quærant ad captandam voluptatem, vt episodiorum ipsis definitio veniam dat. Cum enim hæc excogitata sint in eam gratiam, vt poëticæ propositam afferant, & pariant iucunditatem, expressiones admittunt aliquarum rerum, quæ nullam habent cum gestis gerendisue negotijs coniunctionem: qualia plane sunt ea, quæ tam obseruatè in Atlante ipso distinguuntur; niues, aqua, flumina, glacies, arbores, aliaque ex illo genere complura, nihil quidem ad rem pertinentia, sed legentis animum haud mediocri sensu voluptatis afficientia.

## LOCVS II.

## *DE DRACONE PERVIGILI ad Hortos Hesperidum.*

### An ali papauere debuerit.

*Oceani finem iuxta, Solemque cadentem*
*Vltimus Aethiopum locus est, vbi maximus Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*
*Hinc mihi Massyllæ gentis monstrata sacerdos,*
*Hesperidum templi custos, epulasque draconi*
*Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos,*
*Spargens humida mella, soporiferumque papauer.*

Didonis hæc verba sunt, sacrificium magicum, ad fallendam sororẽ, adornare se simulantis, quod à sacerdote Virgine, hortorum Hesperidum custode didicisset. Sed difficultatem, ac negotium facessunt inexplicabile doctis viris, ipsi etiam Seruio, ea, quæ ad extremum de Draconis illis epulis somniferis maximeq; soporiferis adiunguntur.

*Spargens humida mella, soporiferumque papauer.*

Cum enim Draco eorum sit hortorum custos, non debet ali melle, atque papauere, quæ somnum conciliant, faciuntque, vt excubitor ille suo fungi munere non queat.

Sunt qui ad nodum explicandum varia conquirant exempla, & loca poëtarum similia, vbi multa multis tribuuntur rebus, quæ parum

ijs conuenire, ac congruere videntur. Ac primo quidem Euripidem proferunt in Troadibus, vbi ait Chrathim fluuium capillis inducere colorem flauum, ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων Κρᾶθις, Chrathis flauam faciens comam. Id autem falsum esse vincunt ex Theophrasto in Thurijs, affirmante, album ab hoc fluuio colorem dari, non flauum. Sic enim de eo loquitur Plin. in lib. xxx. cap. ii. Theophrastus in Thurijs Chrathim candorem facere tradit. Proferunt secundo loco illum Ouidij versum.

*Nigrior ad Pharij confuge piscis opem.*

vbi nimirum amatoribus fuscis, & colore subnigro præditis id consilij dat, vt ad piscem Aegyptium confugiant, hoc est, ad Crocodilum. Erat enim in more positum apud feminas, vt ad fucandam, medicandamq; coloribus aduentitijs faciem vterentur fimo Crocodili. id quod carpit Horatius ode xii. Epod.

*Iam manet humida creta, colorque*
*Stercore fucatus Crocodili, &c.*

et Clemens Alexandrinus in iij. libro Pædag. cap. 11. Antiphatem Comicum laudans, in illud feminarum eo se fimo fucantium studium sic inuehentem. Quæ Crocodilorum purgamentis vtuntur, & spuma sepiarum inunguntur, & supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt. At compertum habemus ex Galeno in libro x. de facult. simp. illud faciei medicamentum, non quidem ab aquatico Crocodilo, qualis Agyptius, ac Niliacus est, sed à terrestri petitum fuisse. Ita quippe rem testatam tradit nobis eo loco Galenus. Ceterum terrestrium Crocodilorum, inquit, hoc est, exiguorum, & humi serpentium fimum pretiosum fecere mulieres delitiosæ: quibus non satis erant alia medicamenta tam multa, quibus faciei cutis extenditur, & splendescit, nisi etiam Crocodilorum fimum adiunxissent. Ad hunc ipsum terrestrem Crocodilum referunt illud medicamentum Paulus Aegineta in lib. vlt. & Oribasius in secundo de virtute simplicium. Itaq; planè licet intelligere, Ouidium ea tribuisse Niliaco Crocodilo, quæ tantum abest, vt in eum conueniant, vt contrariam omnino vim illi tribuerit Paulus Aegineta; diserte confirmans, eius Crocodili, qui degit in Nilo fimum albedinem, & candorem imminuere. Tertio loco Statium volunt suffragatorem lib. Siluar. v. in protrept. ad Crispinum. quem sic alloquitur, atque ad vestigia sectanda parentis hortatur.

*-------- Tu disce patrem, quantusque natantem*
*Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen*
*Intrarit &c.*

Vbi nimirum Thulen Insulam audet facere natantem, & fluctuantem Cyaneis similem, Symplegadibus, Delo, alijsq; de quibus in superiore li-

re libro disputauimus. Sed Thule stabilis semper est habita, nec inter eas à quoquam numerata, quæ mouentur, & natant.
Ex his inquam poëtarum exemplis petere se aliqui posse certum præsidium putant ad ea purganda, quæ de Draconis cibatu finguntur contra quam fingi, aut dici debuissent. Sed longè falluntur. Nam præterquam quod dicere possit aliquis, poëtas illos omnes haud minus peccasse, quàm peccarit hoc loco Virgilius, exempla ipsa, quæ proferunt; videntur esse parum accommodata, nec rei, qua de agitur, omnino congruere.

Nã primo quidem quod attinet ad Chrathim fluuium, alios ego testes habeo, qui dicant, eius reddi aqua pilos animantium flauos, qualis est Lycophronis interpres in Cassandra. Chrathis, inquit, Italiæ fluuius est, flauos eorum efficiens pilos, qui eius aqua diluuntur. Sic enim docet Hesigonus historicus, Socion, & Agathostenes philosophi. Hæc tradit eo loco Interpres ille bonus ac doctus, hosq; laudat auctores graues, & sapientes. Quorum similia sunt apud Theocriti Scholiastem his verbis expressa. Nymphodorus, & Theophrastus, inquit, affirmant, Chrathidis aquam candorem inducere. Atque hos sequutus Ouid. in xv. metam. ita canit.

*Chrathis, & hinc Sybaris vestris conterminus oris*
*Electro similes faciunt, auroque capillos.*

Non igitur huic flumini ea tribuit Euripides, quæ illi conuenire non possint: cum tantorum auctoritate scriptorum edoctus, facilè possit poëta ijs contraria canere, quæ traduntur ab alijs. At nemo est, qui, non dicam, affirmet, vigilantiam ali papauere, sed qui non doceat somnum eodem papauere vigilantissimis etiam custodibus conciliari. nulli ergo res quæ canitur à Virgilio verosimilis est.

De Ouidio non possum equidẽ idem affirmare: sed illud habeo dicere, secutum eum fuisse celebrem, & communem famam, quæ vulgauerat vniuersè, Crocodili fimo feminas oblinere faciem solitas: vtrum verò Crocodili terrestris, an aquatici fimus is esset, quo medicaretur facies, vulgò ignorabatur. At licere poëtis pro arbitratu pronunciare de rebus, quæ vulgò notæ non sunt, aut in ijs, quæ parum sunt cognitæ aliquid comminisci, & sequi vulgarem famam, diximus alibi ex Aristotele: idq; ausus est aliquando Virgilius in Ecloga sexta vbi Scyllam Nisi pro Scylla Phorci fecit mare Siculum occupantem. Quamquam enim hæ duæ Scyllæ variæ sic sunt, atque inter se distinctæ, vt Scylla Nisi conuersa dicatur in auem, Phorci vero in scopulum illum naufragijs infamem, & canibus succinctum latrantibus: fama tamen vulgauerat, etiam illam Nisi Scyllam fuisse, quæ conuersa esset in scopulum, & canes illos circum allatrantes. Ipsum Virgilium audiamus, dicentem, omnino sequi se famam quæ de Scylla Nisi ea

prodidisset in vulgus, aliquot auctoribus fabularum reclamantibus.

*Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est*
*Candida succinctam latrantibus inguina monstris*
*Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto*
*Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?*

Famam item secutum puto Aristophanem in Auibus, vbi Progne non quidem in hirundinem, sed in lusciniam conuertitur; contra quàm doceant fabulæ: famam eundem Virgilium in Georgicorum libro tertio, vbi Cyllarum Polluci dat.

*Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis*
*Cyllarus &c.*

Qui tamen equus erat Castoris, non Pollucis: cum Pollux pugil tantummodo fuisse dicatur. famam, inquam, secutum esse poëtam puto: quia hoc etiam tradi à nonnullis video; Cyllarum vtriq; seruisse fratri, tam Castori, quàm Polluci. Ita sanè docet me Papin. Statius in libro Siluarum primo Silua prima de Domitiani equo illo canens, quem ita magnificè prædicat.

*Et pauet aspiciens Ledæus ab æde propinqua*
*Cyllarus: hic domini numquam mutabit habenas.*
*Perpetuis frœnis, atque vni seruiet astro.*

Significat enim equum illum Domitiani vni seruiturum sideri, hoc est, Imperatori, non duobus, vt Cyllarum: quo nimirum Castor ac Pollux inuicem vterētur. Docet ita me quoq; Pindarus in od. Olymp. iii. vtrumq; Tindarida equis insignem appellans. Quin Pindari Scholiastes nō est veritus vtrumq; sine vllo discrimine domitorē equorum nominare. Itaq; Virgilius non Pollucem pro Castore posuit, vt existimat Seruius, sed probauit famam, quæ Cyllarum vtrique subseruientem inuicem, atque alternis vtriusque sessoris patientem faciebat. Quapropter, vt reuertar ad Ouidium, de quo disputabam, cōmunem & generalem quodammodo famā eum sectatum esse dixerim, quæ de Crocodili fimo illud medicamenti miraculū dissiparat in vulgus. Cum enim vulgò nesciretur cuiusnam Crocodili fimus esset, qui faciei fucum illum suppeditaret, non aberrauit à poëtico verisimili, cum vnum pro altero nominauit. Diximus quippe aliàs non id semper esse poëticum verisimile, quod falso, veroq; est interiectum, sed id plerumq; quod falsum quidem est doctis, & sapientibus viris, populo tamen, ac multitudini credibile est. At nemo vulgarium hominum ignorat papauere soporem accersiri non euitabilem. nec fama vlla contrarium quicquam vmquam de somnifera illa papaueris facultate vulgauit. Nemini ergo credibile est, Draconem illum peruigilem ali papauere: adeoque testimonium Ouidij non tuetur Virgilium.

Restat vltimo loco Statius: qui omnium minime tueri Virgilium aucto-

auctoritate potest. Potuit quippè Statius eodem planè modo credibilem vulgo facere natatum, & mobilitatem Thules, insulæ tam longe distantis, quo credibilia redduntur ea, quæ vulgò planè cognita non sunt. Nam cum esset iam exploratum, multas in mari moueri Insulas, & fluctuare, facilè poterat vulgus credere, insulam illam penitus ab extremo diuisam orbe natare, & circumferri. Sed numquam credidisset papaueris succo vigilantem reddi belluam, cui hortorum Hesperidũ data custodia esset. Potuit inquam Statius ita vt dixi verisimilẽ facere mobilitatem Thules: sed ea licentia non est abusus. nam plerique mendosam existimant esse scripturam illam, & sic restituendam contendunt.

*------ Tu disce patrem, quantusq. nigrantem*
*Fluctibus occiduis fessoq. Hyperione Thulem*
*Intrarit, &c.*

Atque ita nigrantem inueniemus eam insulam esse Statio, quam ipsi putabant esse natantem. Quam quidem emendationem ipse probabit, opinor, Statius: qui in quarto siluarum libro eandem Insulam appellat nigram.

*Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules.*

Nigram autem, vel nigrantem eam aliqui dictam existimant, quòd maximè distet à sole, & nubibus semper, caliginosoq. cœlo subiecta sit. quemadmodum contra Rhodus dicitur ab Horatio clara, quæ cœlo vtitur, & aëre sereno.

*Laudabunt alij claram Rhodon;*

Et à Lucano item clara.

*------- Gnidon inde fugit, claramq. relinquit*
*Sole Rhodon.*

Ea enim Insula rarò nubibus obducitur, vt testatur Solinus in lib. xxj. Numquam, inquit, cælum ita nubilum est, vt in sole Rhodus non sit. Et Plin. in Lib. ij. cap. lxiv. scribit, Rhodi & Syracusis numquam tanta nubila obduci, vt non aliqua hora sol cernatur, quod est etiam apud Tullium in vj. Verrin.

Referamus verò nunc disputationem in gradum, ponamusq. nullam nobis ab huiusmodi poëtis suppeditari rationem opportunã ad Virgilij causam asserendã. Itaq. alia insistendum erit via, & quidem ea, quã viri doctissimi per summã calliditatem aperuerunt. Petr. Vict. in primis ducẽ sequamur: qui in lib. Var. lect. iv. cap. iij. pulcherrimam earũ epularum, quæ draconi quotidie dabantur, cõmentatus est causam. Putat enim soporiferũ papauer admistum fuisse dulcibus epulis, vt ferox illa bestia non quidem omnino, prorsusq. deuinceretur sopore, sed vt paululum de ferocitate remitteret, ac leniretur. Quippe papauer, quod alijs animantibus induceret veternum, insomni, peruigilique

draconi propter singularem ferociam languorem tantummodo quendam potest afferre, ac demum facere, vt sæuiat minus. Nam quia ea bellua truculenta admodũ erat, & ferox, eius mollire naturam oportebat; vt & ali sine periculo posset, & retineri. Simul ergo custos illa templi, cibaria, quibus eam in vita retineret, præparauit, simul quoq. sibi ipsi consuluit. Atq. vt rem nobis ob oculos poneret melius Petrus Victorius, veram adiungit narrationem huic fabulæ: confirmans, accepisse se à certis hominibus, Imperatorem Turcarum alere Tigrim; quæ catenis etiam vincta impunè, ac tutò tractari non queat: adeoq. curatores, ac eius magistros belluæ, cum eam aliquò conuehere volunt, succum illi mandragoræ præbere solitos, vt mitigetur aliquantum, & ea truculentia temperetur. Itaque mandragora, quæ quoniam non somnifera modo, sed pestifera est ex Plin. lxxv. c. xiij. mortem fortasse alijs afferret animantibus, illi belluæ ferocissimæ spiritus tantum, & feritatem imminuit.

Nihil dissentit à Petro Victorio Turnebus in lib. xxvj. capite xlv. addit tamen aliquid, quo nodi solutio reddi possit expeditior. Sic sentio, inquit, immanem illum draconem, vt locum amaret, iucundo linctu mellis retinendum fuisse: & ne perdius, & pernox insomnis tandem deficeret, medicamento soporifero ad somnum conciliandum, viresq. reficiendas opus fuisse. Ita subscribens Victorio diuinat Adrianus Turnebus. Refert tamen præterea causam eius cibi somniferi in eam perpetuam vigiliam: quæ facere posset, vt defatigaretur, ac deficeret draco, quod à Victorio significatum non est.

---

## LOCVS III.

## DE DIDONE MORITVRA.

### Cur dicatur alterum exuta pedem.

*Ipsa mola, manibusq. pijs altaria iuxta*
*Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta*
*Testatur moritura Deos, &c.*

Nulli sunt hic, quod ego sciam, accusatores: sed quærere tamen est necesse, cur moritura Dido alterum pedem exuerit.

Aliqui omnem referunt eius rei causam ad sacrificium magicum, quod Dido tum adornabat, cum altero nuda pede fuisse dicitur. Eum

quip-

quippè ritum, ac morem illorum fuiſſe, qui magico ſacro Dijs Infernis operarentur, demonſtrant ex Ouidio in lib. vij. metamor.

*Egreditur tectis veſtes induta recentes,*
*Nuda pedem.*

Ex Horat. in lib. primo Satyra viij.

*Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla*
*Canidiam pedibus nudis, paſſoq. capillo.*

Et ex Seneca Tragico in Medea.

*Tibi more gentis vinculo ſoluens comam,*
*Secreta nudo nemora luſtraui pede.*

Sed hæc demonſtrant tantummodo, vtriſq. pedibus nudis, exutiſq. ſandalibus, aut cothurnis ſacrificaſſe, qui Dijs facerent Inferis. Quamquam enim Ouidius, ac Seneca dicunt [nudo pede] ſingularem tamen numerum pro plurali ponunt more poëtarum. Quærendum itaque reſtat, cur Dido vnum tantummodo nominatim exuerit pedem. videtur enim id non modo ritum illum magicæ litationis, verum etiam aliquid præterea ſingulariter, & electè ſignificare.

Vt cauſam repetamus altius, illud pro comperto eſſe debet, non apud ſacros modo ſcriptores, in primiſq. Philonem Hebræum, verum etiam apud ethnicos, & ſuperſtitioſos, pedes ſymbolicè, ac translatè ſignificare animi noſtri appetitiones, affectus, perturbationes, cupiditates. Id ſibi nimirum voluiſſe Suidam puto, cum dixit, extergere, ac purgare pedes nihil aliud eſſe, quàm animum curis, ac moleſtijs liberare. non tam enim id ex ſacrorum vſu ſcriptorum, quàm ex ſapientium ethnicorum conſuetudine dixit. quos idcircò putant aliqui finxiſſe inuiolabile, minimèq. obnoxium telis Achillis corpus, ipſis tantum exceptis pedibus, qui vulneri patebant, quòd ſignificare, ac mortalibus indicare illa fabula vellent, Achillem imperatorem quidem fuiſſe partibus abſolutum militaris, atque imperatoriæ fortitudinis omnibus, ſed tamen eum, qui caperetur appetitionibus, & animi cupiditatibus impotenter abriperetur. Quin huc etiam Euridicem pertinere contendunt; quæ morſu peſtiferæ ſerpentis interijt. Quid enim eſt cauſæ, cur anguis ille pedem momordiſſe nominatim dicatur, non aliam corporis partem perſtrinxiſſe, niſi quia pes ſymbolica ſignificatione demonſtrat, Euridicem ſua, qua tenebatur, animi perturbatione, ac cupiditate compunctam occidiſſe penitus, atque ad Inferos, vbi ſunt vmbræ impotenter amantium, deſcendiſſe?

Porrò cauſam ipſam cur hoc ſymbolum, aut metaphoram excogitarint ſapientes, eam eſſe confirmant, quòd quemadmodum pes infima corporis eſt pars, ſic appetitio pars animi depreſſior eſſe videatur. Cui perſimilis alia cauſa eſt ab alijs tradita: quòd ſicut aqua extergũtur, & purgantur pedes, ita illa pars animi, vbi commotiones ap-

petitionesque sunt, virtutis beneficio possit abstergi.

Atq. hoc demum illud est, quod, vel exprimitur, vel adumbratur nudo illo Didonis pede iam morituræ. Significat enim poëta Platonicus, Didonem morti proximam, & neci addictam voluntariæ, liberam esse non omnibus omnino commotionibus, atq. affectibus appetentis animi, qui vtroque pede significantur; sed vno tantum: qui metus est mortis. Cum enim illa sua sibi manu mortem afferret, eo timore iam absoluerat, & extersetat animum; ceteris autem affectibus haud abstersetat. Itaque alterum pedem, qui pauorem illum mortis significat, nudum habet: alterum, qui reliquas animi perturbationes designat, vinculis retinet, & sandalibus impeditum. Idem sine dubio voluit Apollonius ostendere, cum dixit Iasonem in Anauro Thessaliæ fluuio alterius indumentum pedis amisisse. Nam ad honesta tunc facinora delectus diuinitus Iason aliquam quidem à se depulerat affectionem, & prauam cupiditatem, ab eaque virtutis beneficio veluti fluuio se purgarat, ceteras nondum fregerat, nec totam appetentis animi labem extersetat. Quod vt planius intelligatur, ita rem à principio repetamus. Pelias Thessaliæ Rex acceperat ab oraculo, eum hominem sibi pestem allaturum, quem videret ad se venientem altero nudũ pede. Interea fluuium illum Anaurum imbribus supra modum adauctum traijciens Iason, alterum amisit calceum, nudoq. pede in Peliæ se conspectum commisit, qui epulas ea die parauerat omnibus sacras Dijs, excepta Iunone. Intellexit Pelias hunc esse, quem extimescere deberet. Itaq. per speciem honoris eum in Colchidem misit ad auertendum vellus aureum, eo consilio, vt medijs fluctibus hauriretur. Apollonium ipso planè initio libri primi Argonaut. audire præstat latinè sic redditum.

*Flumina turgentis pedibus transibat Anauri*
*Aesonides; quem tum pluuialis adauxerat vnda.*
*Alter ab obscœnis seruatur calceus vluis,*
*Alter at eripitur limo, & quà flumen Anaurus*
*Aequoreis miscet lymphis, desertus adhæret.*
*Confestim egregiam Regis petit impiger aulam,*
*Et sacras petit ille dapes, quas ritè parenti*
*Fecerat æquoreo, Diuosq. vocauerat omnes*
*Rex; tamen in cunctis doluit Saturnia Iuno*
*Neglectam se Cœlicolis, sacrisq. repulsam.*
*Vixq. procul iuuenem Pelias conspexit euntem,*
*Hunc sibi portendi fatis, hunc dicere Phœbum*
*Accepit. Diuumq. minas prohibere laborans,*
*Aesoniam mittit truculenta per æquora prolem*
*Aeetæ ad terras, & sæuas Colchidis oras,*

*Vt tru-*

*Vt trucis in medio quassatam gurgite ponti*
*Naufragus æquoreis nauem submergeret vndis.*

Sed res contra cecidit, vt dicitur ab eodem Apollonio: quia Iuno accepit in clientelam Iasonem, eumq. & in itinere seruauit semper, & sospitem reduxit in patriam. Suscepit autem vltro Iasonis patrocinium statim, vt eum ex Anauro prodeuntem aspexit. Sic enim ipsa Iuno loquitur post initium libri tertij.


*Ante etiam Aesonidem fido complector amore,*
*Ex quo se nobis rediens venatibus Heros*
*Obtulit ad ripam quondam turgentis Anauri.*

Itaque Iason diuinitus ad tam arduum facinus aggrediendum delectus, debuit ante metu mortis animum liberare, & fluuio illo quasi detergere, ne mare, fluctusq. nemini tentatos primus ipse nauta perhorresceret. Ceteras tamen affectiones animi purgare necesse non habuit, ac propterea calceum alterum retinet, & pedem indutum, quo cæteræ illæ commotiones animi significantur.

Dicamus igitur in summa: locum hunc Apollonij respondere Virgiliano ad libellam. Alter enim hic pes Iasonis nudus imperfectam extersionem appetentis animi significat. Quare implicatus postmodum est amore Medeæ. Occursus verò Iunonis illico, vbi ex Anauro prodijt exuto pede, quid aliud est, nisi promeritum hominis incipientis iam habere propitios Deos, quos inter animi commotiones turbulentas omnes habuerat aduersos? Quæ sapientium arcana rimatus, & secutus Virgilius, rem omnium omnino difficillimam, hoc est mortem voluntariam aggressuram Didonem inducit vno tantummodo nudam pede, hoc est, vno metu mortis solutam ac liberam; sed indutam altero: quia ceteris affectibus, quibus adigebatur ad mortem, adhuc tenebatur obnoxia, & veluti seruitio premebatur.

## *Finis Libri Quarti.*

LI-



# LIBRI QVINTI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

## *DE CHIMAERA TRIREMI.*

### An licuerit eo tempore triremes fingere.



QVAMQVAM Virgilius non vtitur hoc nomine triremis, ita tamen Chimæram describit, vt triremem sine dubio faciat, & triremem dicere videatur ex triplici remorum ordine, quibus impellitur.

*Velocē Mnestheus agit acri remige Pristin,*
*Ingentemq. Gyas ingenti mole Chimæram,*
*Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana versu*
*Impellunt: terno consurgunt ordine remi.*

Aiunt ergo Critici factam hic esse, dictamq. triremem sine verosimili ratione; cum circa belli Troiani tempora nondum esset triremis excogitata. Longam enim nauem principio fecisse dicitur Iason, eaque post Iasonem vsus fuisse primus Sesostris Ægyptiorum Rex. Biremem exædificarunt Erythræi: triremem, vt docet Thucydides, molitus est Amocles Corynthius, quem tamen multò post bellum Troianum floruisse accepimus.

Quæstionem hanc illi similem esse video, quam tractauimus alias de pictura, cuius aspectū animum pascebat Aeneas, cum pictura non dum esset inuenta. Itaque ex ijsdem peti fontibus expediendi nodi ratio potest. Sed placet tamen aliquid addere præterea, multòque copiosius,

piosius, ac pluribus controuersiam hanc cum illa communem explicare.

Pono igitur primum; licentiam illam, quæ dicitur anachronismus, sæpè multumq. à poëtis vsurpatam, non eum tantum vsum asserre, vt tempora permutare liceat, ac fingere aliquid eo tempore gestum, quo gestum re ipsa, & verè non est, sed vt etiam fas sit, antiquis nominibus vti pro nouis. Dat illis hanc veniam Aristoteles disertissimè in cap. illo poëtices xxiij. Defens. xj. vbi cũ proposuisset rationes euadendi ab aduersarijs, id etiam adiunxit; posse poëtas interdum tueri quod dicunt propter consuetudinem, vsumq. dictionis: quale, inquit, illud Homericum est.

*Ocrea, quæ stanno fuerat confecta recenti.*

Sciebat quippe Homerus, Achillis ocreas, de quibus eo loco Iliad. xviij. loquebatur, non stanneas quidem fuisse, sed aereas, & ferreas: quia tamen antiquo iam vsu videbat à multitudine stannum sæpe dici pro aere, ac ferro, illo vocabulo non dubitauit abuti. Aliud ibi proponit exemplum Aristoteles petitum à fabris ferrarijs, quos Græci χαλκέας appellabant: cum tamen ea vox ab aere deducta, aerarios tantum fabros, quos vulgò fusores dicimus, verè significaret. Sequebantur nimirum antiquorum consuetudinem: qui paulatim vtrisque fabris, tam ferrarijs, quàm aerarijs eandem appellationem impertiuerunt. Sunt alij apud Homerum loci persimiles: ij præsertim; vbi capitis tegmen appellat κυνέην. hoc enim vocabulum in illud tantum, ac nominatim cadebat capitis integumentum, quod è fluuiatilis pelle canis factum, & compositum esset. eo quippe caput munire cœperunt antiqui. Quid multa? Ipsi Latini argentarios vocant eos artifices, qui etiam aurea numismata, monetamq. permutant auream; quia sic initio fuisse vident appellatos: & poëtæ sagittã, quæ nullam nunc arũdinem habet, nominant tamen arundinem, quòd ex ea principio fieri sagitta cœperit. Immo verò auspicari pro exordiri dicere non dubitamus interdum, quia verbum illud ab auspicijs olim desumptum, cœpit ad omnia transferri, quæ inchoaremus; & adolere, quod ab ador erat acceptum, ad concremationem thuris, & viscerum postea fuit accommodatum. Huc accedit Tyranni nomen, quo sæpissime ipsi etiam bono, ac iusto Regi damus; quia prisci quoslibet Reges, quantumuis probos, ac moderatos, dixerunt Tyrãnos. Sic profecto in libro septimo Latinus Aeneam illum tam pium, & iustũ Regem Tyrannum appellat.

*Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.*

Quare Virgilium secutus, quem semper sequitur, Silius Italicus, Hieronem Siciliæ Regem omni virtutum genere præstabilem, cunctis Regni suffragijs creatum, amicissimum populi Romani, dicere non dubitauit Tyrannum.

Vos

*Vos etiam tandem Siculi contra arma Tyranni, &c.*
Atq. vt à poëtis aliquantulum diſcedamus, ipſum etiam proferemus teſtem Platonem; qui, vt nos monuit Cardinalis Beſſarion in libro quarto cap. x. aduerſus Trapezuntium, Tyrannum pro Rege, ac iuſto Principe poſuit. Platonis verba ſunt hæc. Detur mihi ciuitas ſub Tyranno: ſitque Tyrannus ipſe iuuenis, ingenioſus, memoria valens, fortis ſuapte natura, magnificus. Contendit ergo illo loco Beſſarion, ab antiquis vnius dominatum, quantumuis iuſtum, ac bonum, appellatum fuiſſe Tyrannidem; & dominum, ac Principem ipſum, qui ſolus dominaretur, dictum quoq. Tyrannum: ideoque inuehitur in Trapezuntium, quòd deceptus eo nomine Tyranni, auſus eſſet dicere, à Platone laudatam eſſe Tyrannorum dominationem. Planius explicat hoc de nomine Suidas his verbis. Poëtæ, qui ante bellum Troianum floruerunt, Reges ipſos vocarunt Tyrannos: deinde ad Græcos eadem appellatio fluxit.

Ex hac poëtarum licentia, quam ipſe comprobat Ariſtoteles, ducere nos etiam aliquam defenſionis poſſumus rationem, & efficere, ne videatur erraſſe Virgilius, cum triremem appellat eam nauem, quæ triremis verè non erat. Quemadmodum enim id datur poëtis, vt antiquo nomine pro nouo interdum vtantur (quod ex locis modo laudatis intelleximus) ſic etiam conceditur iiſdem, vt vſurpent, ac ponant antiquorum nominum loco aliquod nuper inuentum nomen, quodque nouiſſimè fuerit rebus ipſis impoſitum. Eſto igitur; nulla tum triremis fuerit, cum Troiani venerunt in Italiam. fuit tamen aliqua longa nauis illi ſimilis, quæ poſtea dicta triremis eſt. Atq. hanc prorſus ipſam iniјt Seruius viam, vt Virgilium purgaret, quòd lituum in Latini Regis manu Quirinalem collocaſſet eo ſæculo, quo Romulus, aut Quirinus non dum fuerat in lucem exceptus.

*Ipſe Quirinali lituo, paruaq. ſedebat*
*Succinctus trabea.*

Nec aliam ego rationem excogitare poſſim ad Senecæ defenſionem, qui in Thyeſtis choro actus ſecundi audet Quirites dicere viros principes, cum nulli adhuc eſſent nati Quirites.

*Obſcuro poſitus loco*
*Leni perfruar otio.*
*Nullis nota Quiritibus*
*Aetas per tacitum fluat.*

Quos enim Quirites hoc loco vult intelligi, niſi Reges, aut proceres, quibus illi Romani rerum domini pares erant? At Romani longo poſt tempore extiterunt: nec tunc erant vlli, cum ea caneret ille chorus in Græcia. Nimirum anachroniſmi licētia vſus poëta, Quiritium nomen, quod nouum erat, impoſuit viris illis potentibus, & florentibus

tibus Imperio, qui verè Quirites non erant.
Hoc item præsidium præstò esse potest Virgilio in verbo, discumbere. Mirati sunt enim semper Grammatici, ac mirari non desinunt, cur Deos, Heroasq; fecerit epulis accumbentes, aut discumbentes mensis: vt in primo Aeneid.

*---Tu das epulis accumbere Diuum.*

In Secundo.

*Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.*

In tertio.

*--------toris iussi discumbere pictis.*

Mirantur, inquam, quid ita fecerit, cum compertum habeamus, illos sedisse, non accubuisse, cum cibum caperent. Id videlicet docuit multis locis Homerus, ac primò quidem in Iliad. xi. de Dijs epulaturis.

---------------- αὐτὰρ ἔπειτα
Εἰς κλισίην ἐλθόντες ἐπὶ κλισμοῖσι κάθιζον

*Sedibus inde suis venientes rite sedebant.*

Deinde in Odiss. xix. cœnantes apud Alcinoum describens Heroas.

Δαιτύμονες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζονται ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης.

*Conuiua interea dapibus vescuntur opimis,*
*Mulcentes numeris aures, vndq; sedentes.*

Docuit idem Apollonius Rhodius in Argonauticis, cum in nuptijs Pelei, & Thetidis Deos, Heroasq; admouet mensæ sedentes. Quem imitatus in Epithalamio Catullus, viam tenuit in hoc genere, quam antiquorum vestigijs tritam videbat.

*Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus:*
*Largè multiplici constructæ sunt dape mensæ.*

Hæc, inquam, eodem defendi præsidio possunt, hoc est, ex ea licentia, quæ noua nomina substituit antiquis. facit enim hæc venia, vt lituus dici potuerit, ante Romulum, Quirinalis, quia post Romulum sic appellatus est; & Deos, Heroasque discumbentes, aut accumbentes licuerit facere, quia postmodum accumbendi vsus inuentus, discumbendique inter epulas est probata consuetudo. Nec alia se tueatur idem Virgilius ratione, si reprehendatur in eo versu.

*Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ.*

Quamquam enim secundæ mensæ nullæ prorsus erant Heroicis temporibus, & quod inde consequens est, primæ non tollebantur, licuit tamen poëtæ de antiquis Heroum conuiuijs eodem planè loqui modo, quo loquendum fuisset de nouis.
Scio aliquos esse qui censeant, ad hunc patrocinij locum esse vocandum ensem illum ferreum Aeneæ, quem stringit, & eripit è vagina

post initium lib. sexti iussu Sibyllæ.

*Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum.*

Docet enim Pausanias in Laconicis, nullum ferri vsum Heroicis fuisse temporibus, sed tantum æris: idque demonstrare se putat ex Pisandri bipenni, sagittisque Merionis, quas aereas dicit Homerus: & ex Achillis aerea cuspide in templo Mineruæ reposita; gladioque item aereo Memnonis, qui apud Nicomedienses in Aesculapij delubro seruabatur. Itaque videtur istis nouum nomen pro veteri positum à Virgilio, hoc est ferrum pro aere, cum ijs temporibus aere pro ferro vterentur antiqui Heroës. Sed non video propter hunc ensem ferreum, esse necessariò ad hanc arcem confugiendum. Iam enim docuit Aristoteles in illo cap. xxiii. stanneas Achillis ocreas Homero esse ferreas. quod sanè verum non esset, si Heroicis temporibus nullum ferrum fuisset. Quorsum enim contenderet, ab Homero, qui res commemorat, & ætatem Heroum, ocreas dici stanneas pro ferreis, si ferri vsus nondum extitisset? Cum ergo crediderit, & tradiderit Aristoteles, Heroicis quoque temporibus arma iam esse ferrea cœpisse, malim errasse Pausaniam, quàm Aristotelem. Statuamus adeo, vagina ferrum ereptum ab Aenea ferreum ensem potius fuisse, quàm aereum: nec ista vtamur machina, nisi cum dignus vindice nodus inciderit. qualis interdum incidit, cum in quosdam Italici nominis, ac nostratis linguæ poëtas incurrimus, qui antiquorum ballistis, & muralibus machinis illud audent nomen tribuere, quod tormentis aereis à nostris nuper impositum est. Quamquam sunt etiam, qui hoc inuentum antiquissimum esse contendant ab eo natum Salmoneo,

*Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen*
*Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.*

Existimant enim hi, Salmoneum ex aeneo tubo, alioue huiusmodi vase ignis impetu quærentis exitum, ac intus obluctantis, magno cum sonitu, ac fulgore glandes, pilasue proiecisse quasi fulmina; ac propterea dixisse Virgilium.

*Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas;*
*Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.*

Eustathius quidem certè in Odyss. lib. xxi. testatur, Salmoneum vere fuisse ingeniosissimum quendam machinarum opificem, narratque vnum præterea, quod possit istis aliquam fortasse fidem conciliare, hoc est, ostendere, inuentum illud antiquissimum esse. Narrat, inquam, artificem fuisse nescio quem admirabilem, qui sui domum inimici repente diflauerit machinamento tam efficaci, vt terræmotu vehementissimo disturbata videretur. In qua domus deiectione tam subita illud obseruatè confirmat, quosdam auditos veluti toni-

trus

trus fuiſſe, ac quædam quaſi fulgura viſa, à quibus opifex ipſe dictus poſtea fuerit ἐννοσίχθων, καὶ τερπικέραυνος, terræ motor, & fulgurator. Huius artificis, ac molitoris admirandi mentionem quoque facit Agathias in lib. v. additque nomen illi fuiſſe Artemiſio; inimico vero, cuius euerterat domum, Zenoni. Commemorat præterea Suidas Eutropium quendam, à quo perſimile molimentum prodierit. Ait enim eum fuiſſe Imperatori Theodoſio à cubiculis, & quidem eunuchum: ſed qui per vim quodammodo vellet videri vir: cum vſque adeo concuſſerit omnia tonitruis editis, vt fabuloſus ille Salmoneus ei collatus nullus eſſe videretur. Conantur, vt diximus, his exemplis aliqui demonſtrare vetuſtiſſimum inuentum fuiſſe, quod pro nouitio ſuſpicimus: ſed decipiuntur, opinor. Vtcumque res ſit, nomen certe nouum, ac linguæ noſtratis, antiquorum balliſtis, ac machinis imponere velle, nihil aliud eſt, niſi ea licentia poëtarum vti pro arbitratu, de qua hucuſque diſputauimus: quaq; Virgilium diximus iure tunc vſum, cum Chimæram longam illam nauem fecit tribus impelli remorum ordinibus; quod eſt eam appellare Triremem.

## LOCVS II.

### DE COLVMBA COLLINEANTIVM *iaculatorum ictibus ab Aenea propoſita.*

*Protinus Aeneas celeri certare ſagitta*
*Inuitat qui forte velint, & præmia ponit.*
*Ingentique manu malum de naue Sereſti*
*Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,*
*Quò tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.*

Columbam Veneri ſacram, dicatamque fuiſſe, ſellularijs quoque notum, & tonſoribus eſt. Quo magis Critici veteres hæſitarunt hoc loco, dubitaruntque ſanus ne Virgilius eſset, ac ſobrius, cum Aeneam fecit auem illam ſuæ dicatam parenti fune obligantem, ſuſpendentem ex arbore, iaculantium ſagittis exponentem: cum præſertim maternas agnoſcat, ac veneretur aues in libro ſexto; vtque ſibi felices, bonæ, propitiæue ſint, enixè precetur. Quæ tanta nunc ergo in homine ſapiente ſit inconſtantia, vt velit auem illam claſſiariorum petulantiæ tradere, quam paulo poſt erit veneraturus, & velut internuntiam, ducemque ſecuturus allegatam, à Matre? Nimirum inconſiderato quodam impetu, ſtudioque abreptum Virgilium hic putant ad imitationem Homeri. apud quem

Achilles Iliad. xiii. in funere Patrocli ſex iam ludorum, & certaminum generibus exhibitis, ſeptimum proponit eodem planè modo, quo proponitur hìc ab Aenea quartum. Verſus enim Homeri latinè redditi ſic prope ſunt.

*Ille ſagittarijs ſignumque, & præmia ponit.*
*Nempe manu malum nigra de naue refixum*
*Erigit, & timidam ſuſpendit fune columbam.*
*Qui primus volucrem ferro contingat acuto.*
*Is ferat appoſitum munus, bis quinque ſecures;*
*Totque ſecuriculas qui funem ruperit ictu.*

Sed hæc in Achille reprehenſione vacant, qui non Veneris eſset, ſed Thetidis filius, cui columbæ ſacræ non ſunt. digniſſima verò videntur eſse quæ reprehendantur in Aenea: cuius erat officium venerari maternam auem, nec iaculatoribus occidendam per ludum proponere. Scimus enim quanta cum ſuperſtitione pleræq; gentes, & populi alioqui barbari animalia quædam venerati ſint, quæ Dijs ſuis conſecrata putabant. ex quibus Syros proferre potiſſimum teſtes libet; apud quos columba ipſa ſic ſacra erat & ſancta, vt eam ne attingere quidem auderent; quemadmodum indicat diſticho illo nobili Tibul.

*Quid memorem vt volitet crebras intacta per vrbes*
*Alba Palæſtino ſancta columba Syro?*

Scimus etiam quàm graues crediti ſint luiſse pœnas ij, qui animalia quædam, aliaſque res Dijs conſecratas violaſsent. Tales apud Homerum in Odiſs.lib.xii.ſunt Vlyſsis ſocij tempeſtatibus, & turbinibus hauſti, quòd Eurylocho auctore, ac duce, Solis occidiſsent boues, atque ad ſupremam depellendam famem comediſsent. Talis eſt apud Ouidium Cadmus laboribus addictus innumerabilibus, & maximis, quòd Marti ſerpentem ſacrum imprudens, & neſcius interfeciſset. Talis apud eundem Eriſicton fame confectus, atque ad rabiem adactus, quòd ſuccidiſset annoſam quercum Cereri dedicatam. Hanc ergo religionem veterum vulgatam apud omnes, & peruagatam cum non ignoraret Aeneas vir prudens, & pius, cuius eſt iudicij hominem illum inducere maternam auem ſuſpendentem è malo, vt iaculatorum ſagittis eſset opportuna?

Antiquiſſimam hanc fuiſse reprehenſionem accuſationemque demonſtrat ſtudium Seruij, patrocinium Virgilij ſuſcipientis hoc loco; affirmantiſq; inanem eſse vituperationem Aeneæ, quòd ſuſpenderit columbam auem illam maternam. Videamus ergo num poëtæ cauſam ita tueatur hic Grammaticus, vt noſter in eadem defendenda fruſtra futurus ſit labor. Duas ille defenſionis ſuæ producit rationes, quas perpendere oportet ambas. primam: quòd res ſit

translata simpliciter. secundam: quòd cum nulla sit auis, quæ apud antiquos consecratione careret, & alicui Deo ex eorum superstitione dicata non esset, in eandem omninò vituperationem incursurus fuisset Aeneas, quamcumque demum auem suspendisset. Quare adprobat sententiam Vrbani antiquioris Grammatici, contendentis, Aeneam prudenter ex omni auium genere accepisse columbam, quàm è malo suspenderet: quia matrem offensam placare facilius poterat, quàm ceteros Deos, si dicatas ijs aues ea suspensione violasset.

Enimuero nisi meliores inueniantur patroni, facile Virgilius causa cadet: cùm infirmæ rationes hæ sint, nec idoneæ, ad fundum de quo controuersia est, asserendum. Nam primo quidem haud satis intelligo quid sit, rem esse translatam simpliciter, nisi significare velit, simpliciter, hoc est nulla huius habita ratione venerationis, & reuerentiæ, quæ columbæ maternæ debebatur ab Aenea, voluisse Virgilium eum Homeri locum ad se transferre. Id autem nihil aliud est, nisi fateri, in ea imitatione dormitasse, nec vidisse decorum, sed excerpere ab Homero temere voluisse quod obuium erat, & rei suæ conducere per imprudentiam existimasset. Deinde quæ necessitas Aeneam adigebat ad aliquam proponendam auem iaculatoribus suis, hoc est omninò ad aliquem commouendum in se Deum cui sacra esset & dicata? Nonne aliud potuit signum, scopumq, proponere, ac manum ab omni prorsus aue continere, nec Deorum quempiam ex ijs lædere, quibus sacræ sunt aues? Quod si necessitas & ratio, si vsus fortassis, & consuetudo vetus id postulabat, vt aliqua iaculatoribus illis proponeretur auis, quæ nam hæc videri potest excusatio criminis, quòd à matre facilius impetraturus veniam esset, quàm à ceteris Dijs? Num hoc probi, pijque officium filij est, velle matrem potius lædere quàm alios, quia facilius à matre impetraturus veniam sit? Immo verò neminem ego putauerim suæ amantem vere parentis filium esse, qui non malit alium quemuis lædere, quàm parentem, etsi sciat, ab ea se facilius, quàm ab alijs in gratiam recipi posse, ac veniam impetrare.

Patronum adeo meliorem Virgilio demus, ac non alium profectò, quàm Aristotelem: cuius monitum explicatum à nobis in Prolegomenis defens. xv. subsidium, & patrocinium huic loco suppeditabit accommodatum. Præcipit ergo summus hic poëtarum defensor, vt impositas ijs calumnias eo depellamus, & diluamus modo, quò à Dialecticis soluuntur, & diluuntur elenchi, hoc est sophismata, & captiosæ quædam argumentationes. has autem confutamus, & soluimus verbis inspiciendis, ac distinguendis ambiguis. quo de genere nonnulla sunt in hac quæstione, quæ aduersus Virgilium à Criticis est adornata. Cum enim dicunt, animal, quod sacrum Dijs esset, nemini licuisse con-

tingere, aut occidere, & violare, à parte ducunt argumentationem ad totum verbis ambiguis: perinde ac si animalia veterum superstitione consecrata eadem planè essent omnia, & vniusmodi; quæ tamen varia sane fuerunt, & multiplicia. Erant quippe aliqua sic sacra, vt etiam pro Dijs haberentur & colerentur, vt apud Syros pisces, & columbæ, quod docet Xenoph. in Cyro Minore lib. I. Diod. Sicul. lib. iij. cap. ij. M. Tull de Orat. lib. iij. Lucian. in Ioue Tragœdo: apud Troglodytas testudines; quod legimus apud Plin. lib. ix. cap. x. apud Heliopolitanos boues, quod testatur Strabo in libro xvij. & Diodor. lib. ij. cap. iv. apud Momemphitas vaccæ: quod scribit idem Strabo ibid. apud Leontopolitanos leo; quod idem & eodem loco confirmat Strab. apud Mendesios hircus & capra: quod tradit Herodot. in lib. I. apud Thebanos aquila: quod commemorant Strabo loco laudato, & Diod. lib. ij. cap. iv. apud Lycopolitanos lupi: quod perhibet Macrob. in lib. Saturn. I. apud Babylonios Cephus: quod idem affirmat Macrob. ibid. apud eas gentes quæ bustum accolunt Memnonis, cercopithecus: quod irridet in Sat. xv. Iuuenalis. qui quoniam tum aliarum gentium, tum in primis Aegyptiorum huiusmodi numina recenset multa, hoc labore nos liberabit, si eiusdem versus proferamus hic aliquos.

*Quis nescit Volusi Bithynice qualia demens*
*Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat*
*Pars hæc; illa pauet saturam serpentibus Ibim.*
*Effigies sacri nitet aurea cercopitheci*
*Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ,*
*Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.*
*Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic*
*Oppida tota canem venerantur; nemo Dianam.*
*Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.*
*O sanctas gentes: quibus hæc nascuntur in hortis*
*Numina. lanatis animalibus abstinet omnis*
*Mensa: nefas illic fœtum violare capellæ;*
*Carnibus humanis vesci licet.*

Hoc ergo primum apud veteres consecrationis erat genus, ipsa donans animalia diuinitate: quod eiusmodi sine dubio fuit, vt quæ sic essent consecrata, ea nemini ex ijs populis, à quibus pro Dijs habebantur, liceret vel occidere, vel in vsum cibi conuertere, vel alia ratione violare.

Alia verò fuerunt animalia Dijs ita dedicata, vt hostiæ quoque illorum essent, ac victimæ propriæ: quo de genere permulta sane queunt enumerari; cum nullum propè animal esset, quod alicui Deo propriè non immolaretur. Aesculapio, vt hæc tantum exempli causa dicamus, gallina mactabatur & gallus, ex Xenophon. in vita Socratis, alijsque:

Isidi anser ex Herodoto in lib.ij.Lactan. in lib.j.Laribus porcus ex Iuuenal. Sat.xiij.equus Soli ex Xenophon. in Cyri pæd. lib.viij.& Strab. xv. taurus Lunæ ex Lactan. lib. 1. cap. xxj. Iunoni agna vel ouis ex Seruio: Dianæ cerua ex Ouid. in lib.j.Fastorum: Libero caper, aut hircus ex eodem Seruio, & Varrone in lib. 1. de re rust.cap.ij. alia denique animalia his similia alijs, quæ profectò occidere fas erat: & eorundem carnibus vesci vetitum non putabatur. Neque enim Deorum quisquam contemni, lædique se censebat, quòd mortales aliqui bouem comederent, aut agnam; aliudue animal ex ijs quæ sibi vellent immolari.

Tertiam denique consecrationis fuisse video formam certorum quorundam animalium, quæ Dij sibi seponebant ex toto genere, vt è bobus aliquos, aliquos ex equis, ex auibus certas aliquas, ex serpentibus aliquos: cuiusmodi fuit armentum Solis apud Homerum & serpens Martis apud Ouid. de quibus supra commemoraui. Atque hæc demum animalia sic sibi reseruare credebantur Dij, vt ex antiquorum opinione vulgata, grauissima plecterent eos poena, qui ea contingere auderent, aut occidere, aut ad cibos, epulasque transferre quantumuis sacras, & eas, quæ sacrificij obtinebant nomen, & vim. Non enim Vlyssis illi socij prius epulari sunt ausi, quàm boues immolassent Soli, cuius sciebant esse peculiares, ac proprios. & tamen infortunium passi omnes, atq. ab eodem Sole grauissimis affecti supplicijs sunt, cui boues ipsos cum religione sacrificarant.

Ex his ergo iam incipit apparere sophisma, & captiosa eorum ratio, qui sic disputant. Columba erat Veneri sacra. At aues Dijs sacras nefas erat occidere, ac violare. Impius igitur Aeneas est, qui maternam illam auem iaculatorum telis audet obijcere. Videndum enim est quo genere consecrationis columbam Aeneas, Troianique Veneri dedicatam existimarent: vt rectè iudicari possit, an impii sint. Ac primo quidem hoc certum est; Troianos, & Aeneam ipsum non ita columbam coluisse, vt in ea numen esse putarent aliquod: id enim proprium Syrorum fuit, qui pro Dea quamlibet omnino columbam habebant, vt diximus. Deinde id quoque planum esse debet, & exploratum; columbam illam electè, ac nominatim, quam Aeneas malo suspendit ab alto, non eam fuisse, quam ita sibi vindicasset Venus, quemadmodum boues sibi vindicauerat, & consecrauerat Sol, Serpentem Mars, quercum Ceres, alii alias animantes, aut arbores Dii. Restat igitur, vt ea columba idcircò tantum Veneri sacra dici posset, quòd Veneri ex ipso columbarum genere daretur, & immolaretur victima, quod sæpe legimus apud antiquos; vt apud Propertium: qui iugulari solitam, incendiq. Veneri fuisse columbam, sic docet.

*Sed cape torquatæ Venus ò Regina columbæ*

*Ob meritum ante tuos guttura secta focos.*

Et apud Ouid.in lib. I. Fast.

*Ergo sæpe suo coniux abducta marito*

*Vritur in calidis alba columba focis.*

Itaque à Martiale illud præceptum extitit in lib.xiij.epigr.vj.

*Ne violes teneras præduro dente columbas*

*Tradita sed Gnidiæ sint tibi sacra Deæ.*

Hæc inquam vna causa est, cur Veneri sacra censeri, & dici posset ea columba, quæ suspensa iaculatorum exponitur ictibus ab Aenea, quòd Veneris victima soleret esse plerumque columba. At quæ animalia, ideo consecrata censebantur, quòd aliquorum essent Deorum victimæ, ea fas erat attingere, occidere, in vsum vitæ consumere. Neque enim Aeneas ipse tam sæpe dictus à Virgilio pius lædi à se Dianam existimauit, cum septem in Punico littore ceruos occidit, classiq. torrendos tradidit, & in cibaria distribuit sociis. Sed tamen abstinere debuit Aeneas, dicet aliquis, ab eo ludibrio, nec Veneris auem iaculatoribus proponere, sed aliam. Non hic ego confugiam ad defensionem ab Vrbano illo Grammatico excogitatam, qui cum videret singulas propemodum aues singulis fuisse Numinibus consecratas, minus peccasse putauit Aeneam proponenda columba illa aue materna, quàm si alias ceteris consecratas Diis proposuisset. Erat enim, vt diximus, boni, amantisq. filii, matrem aliis omnibus anteferre, & præ ceteris metuere, ac reuereri. Aduocabo igitur etiam in hanc vltimám causæ partem Aristotelem, cuius præceptionem explanatam à nobis in Prolegom. defens. v. eam esse scimus, vt cum poëtas à Criticis reprehensos defendere volumus, circumstantias intueamur. Inter circumstantias autem numerantur potissimum locus, ac tempus: quæ si hoc loco perpendamus, inueniemus ea profectò fuisse, quæ columbam potius quàm aliam auem efflagitarent. Erant enim ludi funebres parentis Anchisæ: adeoque cum illa in iis ludis occidenda columba proponebatur, ipsi quodammodo Veneri videbatur immolari, cui carissimus fuerat, vt in fabulis accepimus, Anchises.

## *Finis Libri Quinti.*



# LIBRI SEXTI AENEIDOS LOCVS PRIMVS.

## DE NAVIVM HABENIS.

## AN EA METAPHORA CONVENIAT in rudentes.

*Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas.*



HAS aliqui non probant habenas naui tributas, quæ funes, & rudentes habet è stupa, non ex corio lora, cuiusmodi sunt habenæ. Itaque Ioan. Baptista Pius cum classis habenas audacius dici pro retinaculis, & funibus existimaret, institit altius repetere principium, affirmans, habenas classis à Virgilio dictas idcirco esse, quòd antiquissimis illis temporibus nauium retinacula, & rudentes, non quidem ex torta cannabe, vel lino, sed ex corio fierent: idque Homerum ipsum docere planissimè; apud quem naues ligantur στρεπτοῖσι βοέοσι, hoc est vinculis intortis, siue vinculis bubulis. Atque ita prorsus Pius explicat hos Valerii Flacci versus in Argonauticorum lib. primo.

*Ecce autem molli Zephyros descendere lapsu*
*Aspiciunt: volat immissis caua pinus habenis.*

Consentit cum Pio Valerianus Pierius in lib. Hieroglyphicorum xlviii. cap. de froeno, docens, funes ex corio primum fuisse factos; testemque profert Virgilium, qui propterea classis dixerit habenas, Homerum secutus, & consuetudinem perantiquam.

Alii etiam longius abiere, in primiſque Gulielmus Modicius; qui cum retinacula claſſis ex corio non probaret, dixit hìc eſſe metaphoram nouam, atque ab vſu abhorrentem communi, hoc eſt, habenas à Virgilio poſitas eſſe pro clauo, & gubernaculo nauis. Cum enim Palinurus à Somno datus in præceps reuulſum clauum ſecum in vndas pertraxiſſet, Aeneas ſenſit nauem amiſſo gubernaculo, & gubernatore fluitare; vt dicitur in fine lib. iii. Itaque regendæ curam nauis ipſe recepit in ſe; idque vt facere poſſet commodius, clauum naui nouum immiſit: & quemadmodum equus frœno regitur, & habenis, ſic ille immiſſo gubernaculo nauem direxit. Ita, inquam, Modicius habenas claſſis interpretatur ex noua metaphora.

Poſſem hic ego dicere, Virgilium illa vſum eſse licentia, quæ antiqua nomina pro nouis vſurpat, vt paulo ante docuimus, hoc eſt, habenas poſuiſſe pro funibus, quia loris, habeniſq. ad moderandas, ac regendas naues vtebantur antiqui. Sed non hoc ij contendunt, qui retinacula illa ex corio iam inde repetunt ab Homero. Putant enim Virgilium proprie loquutum: cum eorum deſcribat nauigationem, qui priſca illa ætate corio, non funibus vtebantur. Ego verò aliter exiſtimo: cum videam, ſæpe nautas apud Virgilium tortos incidere funes, & adducere, aut laxare rudentes. Quod ſi docere illa metaphora voluiſſet, loris eſſe tunc vſos nautas ex corio, numquam opinor dixiſſet funes, ſed ſemper lora, vel habenas. Credo igitur equidem, ac video, metaphoram hic eſſe, ſed non eam, quam comminiſcitur ex ingenio Modicius. Quamquam enim gubernaculum nauis translatè dici fortaſſe poteſt froenum, aut habena; nimis tamen è longinquo Virgilianæ illius metaphoræ cauſam, & etymon petimus, quod duci poteſt ex magis propinquo. vt ſi dicamus, illas claſſi habenas immiſſas, laxataſq. ad nauigandum nihil aliud eſſe, quàm funes, quibus velum regitur, & anchora. Hac enim ratione propter illam, quam habet nauis cum equo ſimilitudinem, metaphora multo videbitur eſſe verecundior, & mollior, quàm cum flammæ licenter, liberèq. vagantes per nauium tabulata, dicuntur habenæ in Aeneid. v.

*-------- Furit immiſſis Vulcanus habenis*
*Tranſtra per & remos, & pictas abiete puppes.*

aut cum ipſi palmites, & flagella eadem appellatione translata in lib. ij. Georg. ſic exprimuntur.

*--------- Et dum ſe lætus ad auras*
*Palmes agit, laxis per purum immiſſus habenis.*

Quæ translatio ſumpta eſt haud dubie à Lucretio; qui arborum ſumma, ſupremoſq. ramuſculos, & frondes habenas dicere non dubitauit.

*Arboribuſq. datum eſt, varijs exinde per auras*

Cre-

*Creſcendi magnum immiſsis certamen habenis.*

Sic igitur ſtatuo : Virgilium hìc nullas habenas ex corio ſignificare, ſed tantum attollere orationem voluiſſe beneficio eius metaphoræ, quæ habenarum nomine funes indicaret ; gnarum præceptionis, quæ tradita eſt ab Ariſtotele, cum dixit, dictionem poëtarum neque humilem eſſe debere, nec nimis elatam, idque illos conſequi interiecta ſubinde metaphora, quæ attollat, ſubleuetq. propriorum verborum humilitatem . Ita enim fiet, vt oratio à propriis verbis puritatem, à translatis magnificentiam habeat, vtriſq. permiſtione illa callidè, artificioseq. temperatis.

---

# LOCVS II.

## DE MONSTRIS INFERORVM.

### An ſupra fingendi leges poetæ præſcriptas efficta ſint.

*Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq. biformes,*
*Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ*
*Horrendum ſtridens, flammiſq. armata Chimæra,*
*Gorgones, Harpyiæq. , & forma tricorporis vmbræ .*

Quoniam hic Harpyiarum eſt mentio, ſuffragabitur hæc diſputatio etiam Harpyis illis, quæ finguntur in tertio libro tam infeſtæ Troianis, cum quærimus, an hæc Inferorum monſtra ſupra fingendi facultatem, ac veniam permiſſam poëtis, à Virgilio fuerint excogitata. Ac iure quidem ea de re dubitare debemus, cum recordamur, illam fingendi licentiam intra certos cancellos ita concludi, vt credibilem eſſe rem oporteat, quam comminiſcimur. Quì verò fiet, vt credibilia, & veroſimilia ſint ea monſtra ex animantium conflata partibus, non modo variis, ſed omnino contrariis, atque pugnantibus? cuiuſmodi ſunt Centauri, Scyllæ, Harpyiæ, Hydræ, Gorgones, Chimeræ, Briarei.

Video me redigere debere in legentium memoriam vnum, quod ſæpe ſignificauimus : apud poëtas non abhorrere à veroſimili quicquid eſt falſum: multitudini enim ſæpenumero ſic probantur falſa, vt hæc illi multo veriſimiliora videantur eſſe, quàm vera. Cum autem aliquid eiuſmodi poëtis occurrit, vt re quidem ipſa falſum ſit, ſed multitudini, ac vulgo maxime credibile, docet Ariſtoteles, id potius, quod fal-

ſum eſt,ſed populo credibile, quàm quod eſt verum, ſed incredibile multitudini, ſequendum eſſe. Hæc eius verba ſunt in cap.xxiij. ſub finem. Quantum vero ad poëſim attinet, credibile potius, licet fieri non queat, eligendum eſt, quàm incredibile, licet fieri queat.

Id videlicet ſibi propoſuit Virgilius, cum ea monſtra commentus eſt, quæ ab omni prudentium fide abhorrentia, & videntur, & ſunt. Intelligebat enim ita populo de mõſtris illis opinionem fuiſſe iam inſitã, vt nõ tam doctrina, quàm naturæ quadam anticipatione credere viderentur omnes, Gorgones apud Inferos eſſe, Cerberum Harpyias, Briareum. Itaque non potuit ea præterire is, qui Ariſtotelis præterire præceptionem noluit. Ariſtoteles autem falſa potius, quæ populo credibilia ſunt, quàm vera, ſed eidem incredibilia populo, deligenda, atque à poëtis fingenda eſſe confirmat.

Quin adiungere poſſumus Ariſtoteli Platonis auctoritatem: quæ multo maxime Virgilium tueatur. Is enim in Sophiſta duas facit poëticæ formas, εἰκαστικὴν καὶ φανταστικὴν, Icaſticam, & Phantaſticam. Et Icaſticam quidem earum ait eſſe rerum imitatricem, quæ veræ vel ſunt, vel eſſe poſſunt, vel aliquando fuerunt: Phantaſticam vero earum, quæ pro arbitratu finguntur; ſed veræ nec ſunt, nec fuerunt, nec eſſe poſſunt. Phantaſticæ figmentum à Suida dici videtur Idolum; Icaſticæ, ſimilitudo: ſic enim de vtraque ſcriptum aliquo loco reliquit. εἴδωλα μὲν γὰρ τὰ τῶν οὐχ ὑφεστώτων μιμήματα. οἷον τρίτωνες, καὶ σφίγγες καὶ κένταυροι. ὁμοιώματα δὲ τὰ τῶν ὑφεστώτων εἰκάσματα. οἷον θηρίων, καὶ ἀνθρώπων. hoc eſt. Idola ſunt rerum numquam exiſtentium effigies, cuiuſmodi ſunt Tritones, Sphinges, Centauri. ſimilitudines autem ſunt rerum exiſtentium ſimulacra: veluti ferarum, hominumue.

Quibus ita poſitis, id dico: Virgilium, quoniam abſolutum, perfectumq. moliebatur omnibus partibus opus, non ſatis habuiſſe Icaſticam illam tractare, quæ res aſpectabiles, vereq. exiſtentes imitatur, ſed addere præterea voluiſſe Phantaſticam; ex qua, propter eam, quam parit, admirabilitatem, amplior ad legentium animos voluptas emanaret; & propter rei nouitatem, auctoris commendatio maior enaſceretur. Nam quemadmodum Apelles, tum potiſſimum cœpit haberi, dicique diuinus, cum, vt ait Plin. auſus eſt imitari coloribus, ac penicillo quæ pingi non poſſe videbantur, tonitrua, fulgetra, fulguraq.: ſic poëtæ tum maxime ſuſpiciuntur, cum illa etiam exprimunt, quæ quoniam non ſunt, nec eſſe queunt, naturam, vt exprimi poëtica imitatione poſſint, non videntur habere. Quin imitatus mihi videtur Virgilius in his exprimendis vulgaribus monſtris Neaclem illum pictorem: qui cum expingere graphicè vellet naualem quandam pugnam inter Aegyptios, Perſaſque initam olim, & perfectam in Nilo, nec poſſet vllis coloribus diſtinguere, ac differentes facere à marinis flucti-

bus eius aquas fluminis,pinxisse fertur in littore Crocodilum bibenti Asino molientem insidias inter vluas: vt qui tabulam aspicerent, ex eo intelligerent signo illam pugnam in Nilo, non in mari commissam fuisse. Hunc, inquam, mihi videtur secutus pictorem Virgilius, cum incredibilia illa monstra apud Inferos etiam ipse collocauit, quæ ibidem ponebantur ab alijs. Cum enim videret populum putare, ac credere, sic ea monstra in latibulis Inferorum esse, quemadmodum in Nilo sunt Crocodili, Inferorum loca, atq. supplicia ex iis monstris, tamquam ex proprijs quibusdam signis intelligi voluit. Nam ignis, tenebræ, antra, cetera, quæ poëta commemorat, alijs quoque conuenire facile possunt locis: sed ea monstra sic in Inferos cadunt, vt magis Inferorum propria esse videantur, quàm Nilo conueniant Crocodili. Quare ipsi etiam rerum sacrarum interpretes, & Christiani scriptores ad eadem monstra confugiunt cum Inferorum supplicia volunt expresse describere, nec dubitant Tartarum, Stygem, Acherontem nominare. Ne absorbeat eas Tartarus, publicè canitur in Iustis Ecclesiæ: diciturq. amplius à Prudentio in Hymno Paschali.

*Sunt & Spiritibus saepe nocentibus*
*Pœnarum celebres sub Styge feriæ*
*Illa nocte, sacer qua rediÿt Deus*
*Stagnis ad superos ex Acherontÿs.*

Sciunt hi nostræ religionis antistites, quàm sint ea nomina mendacia, & vana; sed vident, se vix posse populis exprimere vera Inferorum supplicia, nisi tamquam Nilo Crocodilos, sic illa celebrata scriptis antiquorum nomina Inferis ipsis apponant.

---

## LOCVS III.

## DE PORTV VELINO.

### An Velinum dicere portum fas tunc fuerit, cum nullus esset Velinus.

*Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram*
*Inÿce: namque potes, portusq. require Velinos.*

Palinurus est, qui sic loquitur, & compellat Aeneam. quo magis existimant Critici, Virgilium errasse, cum eum Velinos portus nominantem inducat; qui multo iam ante fuerat, quàm illud Velini nomen inuentum esset. Velia enim oppidum, à quo proximum ei portum

Velinum

Velinum hìc dixit, Seruio Tullio Rege, hoc est post annum amplius sexcentesimum, quàm Aeneas in Italiam venit, conditum est in agro Lucano, vt docet Gell. lib. 10. cap. xvi. Putat ergo Casteluitrus hìc erratum esse supra veniam, nec minus quàm peccatum à Plauto sit in Amphitruone. vbi Amphitruo ipse, & Sosia, nondum nato Hercule, per Herculem iurant. Sic enim Sosia loquitur Act. 1. scen. 1.

*Oppidò interij, obsecro hercle quantus, & quàm validus est.*

Et Amphitruo Act. ij. scen. prima, eundem Herculem ita iureiurando testatur.

*------------ Iam quidem hercle ego tibi istam*
*Scelestam scelus linguam abscindam, &c.*

At Hercules, ea ipsa nocte non quidem nascitur, sed concipitur vtero ab Alcmena ex Ioue, qui partes agit primas in ea Fabula. Simile volunt erratum in Electra Sophoclis esse: vbi Clytemnestræ nunciatur, Orestem in Pythijs ludis occidisse, qui tamen ludi instituti sunt Triptolemi temporibus, hoc est annis prope sexcentis post natũ Orestem.

Hæc difficultas explanari sic posset, quemadmodum explanatæ permultæ sunt per anachronismum, siue per πρόληψιν, hoc est per anticipationem: quæ licentia ita similis est anachronismo, vt ab eo differre tantum nomine videatur. Cum enim vocabulis appellamus nouis aliqua, quibus nondum vllum est nomen impositum, id anticipamus, quod postea factum est, ac propterea eiusmodi licentiam, anticipationem, aut præsumptionem nominamus. Differt tamen ab anachronismo, quòd anachronismus non modo nouum nomen vsurpat pro antiquo; verum etiam antiqua nomina substituit nouis: anticipatio vero noua tantum tribuit rebus nomina, quæ antiquis temporibus ijs data non erant. Quo fit, vt latius pateat anachronismus, quàm anticipatio: cum quælibet anticipatio sit anachronismus, non tamen omnis anachronismus anticipatio sit. Cum enim antiqua nomina, & iam obsoleta ponit pro nouis, nihil anticipat, ac propterea anticipatio dici non potest, vt cum ocreæ stanneæ pro ferreis dicuntur. Itaque liceret hìc respondere, Velinos portus dictos esse κατὰ πρόληψιν, per anticipationem, hoc est eo plane modo, quo dicta sunt littora Lauina, antequam Lauinium oppidum positum esset; & arx Chalcidica prius, quàm Chalcide eò deducta Colonia fuisset, quæ Cumis eam appellationem impertiuit.

*Chalcidicaq. leuis tandem super astitit arce.*

Neque enim quo tempore Dædalus è Creta in Italiam aduolauit, Cumæ conditæ fuerant à Chalcidensibus, & tamen Chalcidenses dici potuerunt per anticipationem Cumani, quia postea à Chalcidensibus vrbem, ac gentem accepere.

Possemus, inquam, sic, vt diximus, obiecta diluere, & Casteluitri censo-

censoriam virgulam declinare, nisi nobis hoc effugium clausisset Iulius Higinus apud Gell. illo lib. x. cap. xvi. his plane verbis. Poëtis concedi solet κατὰ πρόληψιν historiæ dicere ex sua persona, quæ facta ipse postea scire potuit. Sicut Virgilius sciuit de Lauinio oppido, & de Colonia Chalcidensi; sed Palinurus quì potuit scire ea, quæ post annos sexcentos facta sunt? Hæc ille; in eo demum situm esse peccatum inexpiabile ratus, quòd Virgilius non ipse quidem anticipatione vtatur, sed anticipatione vtentem inducat Palinurum. Quod si dicas, Palinurum, qui erat apud Inferos, potuisse diuinare, ac prouidere, locum illum post tam multos annos appellandum esse Velinum, hunc etiam tibi obstruet aditum Higinus ab Aenea, qui non erat diuinus, adeoq. scire non poterat quem ille designaret locum, cum portus Velinos nominabat. nisi quis eum diuinasse apud Inferos putet, inquit, perinde, vt animæ defunctorũ solent. Sed si ita accipias, quamquàm non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non diuinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc nullum vsquam fuit? Ita locum illum vexat Higinus; contenditque Virgilium eundem locum fuisse correcturum, nisi morte occupatus, interceptusq. fuisset. Sed quoniam agitur coniecturis, crediderim ego, Virgilium, si superstes fuisset, locum illum non fuisse castigaturum: nec video tam obsepta difficultatibus esse omnia, vt euadere tandem ductu præsertim doctorum hominum ab hac salebra non possimus.

Nam primo quidem Turnebus in lib. xxij. cap. j. ad vocabuli notationem conuersus, existimat Velinum non proprium aliquod esse nomen, sed nominis aliquod adiunctum; ac significare palustrem. Velinum enim ab ἕλος duci putat: quæ vox apud Græcos palustre significat. Itaque ex Turnebi sententia portum requirere Velinum, nihil aliud est, quàm portum requirere palustrem. sed adhuc hærebit nihilominus incertus Aeneas, vbi nam gentium requirendum sit Palinuri corpus: cum palustres portus plurimi sint, nisi fortasse is, qui Velinus postea portus fuit, ea tempestate proprio diceretur nomine Palustris. verùm hoc a nemine traditum accepimus. Seruius enim docet quidem, Veliam vrbem dictam Eleam à paludibus, quas Græci dicunt ἕλη, sed dictam proprio, vulgarique nomine Palustrem non confirmat.

Iulius Scaliger in lib. iij. cap. xlix. putauit exitum inuenire se posse à præsumptionis, anticipationisq. partitione multiplici. Ait enim triplicem anticipationem esse; grammaticam, poëticam, oratoriam. poëticam rursus esse duplicem; vnam, quæ personæ, aut loco tribuit aliqua, quæ, neque personæ, neque loco, illo ipso tempore, conueniant. vt si dicam, inquit, expugnatum oppidum bombardis Aeneæ tempore, πρόληψις erit, siue præsumptio, propterea quòd, quæ tormenta bellica sic vocant, tunc non erant. Alteram anticipationis formam ait

esse

esse duriusculam: vt cum poëta personæ orationem attribuit, alicuius rei mentionem facientem, quæ nondum est, aut, si est, eo nomine non appellatur. Exempli gratia, inquit, Palinurus Aeneam rogat, vti suum corpus afficiat sepultura, designatque locum.

---------*Portusque require Velinos.*

portus quidem non erat: certè aliud illi nomen fuit. *Est* igitur anticipatio; quia Virgilij tempore sic nominabatur. durior tamen est, quippe loquitur Palinurus, cui orationem è re ipsa, quæ tempestati conueniret, attribui necesse est. Hæc his verbis docet eo loco Scaliger. sed obicem nobis oppositum non exturbat. Cum enim fas esse poëtis anticipatione tunc etiam vti, cum loquuntur mutati, hoc est, cum alios colloquentes inducunt, idcirco putet, quòd Virgilius ita Palinurum loquentem, & anticipatione vtentem fecerit, institutam quæstionem non profligat. Id enim quærimus; an Virgilio licuerit ex Palinuri persona præsumptionis illam licentiam vsurpare: loquitur videlicet Palinurus, qui de portu Velino nihil acceperat, videturq; propterea à ratione maximè alienum ijs congruentem orationem non dare, quos agentes, & loquentes inducas, vt apud Gell. contendit Higinus.

Confidentius igitur difficultati occurrit Iouianus Pontanus in Antonio. Dicat mihi velim Higinus, inquit, cur non etiam accuset Virgilium, quòd Aeneam, qui Troianus esset, latinè loquentem faciat. Facessat ergo diligentia tam accersita, & huiusmodi multa permittantur poëtis, in quæ etiam volentes incidunt, non rerum ignorantia decepti. Ita rem ipsam rectà petit Pontanus: & quidem acutè. Neque enim plus à verosimili distare videtur oratio Troiani Palinuri latina, quàm ea mentio Velini portus, qui nondum esset. Sed tamen longè inter se differunt hæc duo, quæ tam similia vult esse Pontanus. Inducere quippe loquentes latinè, qui barbare sunt re ipsa locuti, nihil est aliud, nisi latine reddere, quæ illi dixerunt barbarè. Neque enim affirmat poëta, Aeneam, & Palinurum locutos esse latinè: sed latinè narrat quæ illi barbarè protulerunt. Cum autem Palinurus inducitur, portus Velinos, qui nusquam essent, appellans, affirmat poëta id dixisse Palinurum, quod dicere, ac loqui non potuit; eamque tradit orationem fuisse Palinuri, quæ, si rationem temporis habeas, esse non debuit.

Vincit igitur omnes Virgilij patronos Iurisconsultus Alciatus in lib. v. Parerg. cap. xxi. qui tametsi præsumptionis beneficio, atque licentia sibi viam aperuit ad euadendum; singulari tamen ratione præsumptionem ipsam explanat, hoc est eo ferme modo, quo apud Iurisconsultos vsu quotidiano tractatur. Regula, inquit, Iuris nostri certissima est, ex præsenti in præteritum præsumi: vt scilicet quod

hodie

hodie est, & olim fuisse credatur. Cui locum esse in ijs tradiderunt, quæ verisimiliter mutationis alicuius periculum non subeunt. Qui ergo fluuij, vel montes nunc sunt, etiam ab orbe creato verisimile est fuisse. qua ratione præstantissimi poëtarum P. Virgilij aduersus quosdam Grammaticos patrocinium ego suscipiam. Scribit Aulus Gellius, reprehensum à Iulio Higino Virgilium, quòd ex persona Palinuri dixerit,

---------- *Portusque require Velinos.*

Atqui, inquit ille, constat Veliam oppidum post multos, quàm Palinurus decesserat annos, conditum fuisse. Eodem argumento Seruius vtitur cum Virgilius, ex persona Aeneæ, inquit.

*Apparet Camarina procul campique Geloi,*
*Immanisque Gela fluuij cognomine dicta*
*Arduus inde Agragas &c.*

Atqui, ait ille, hæc oppida Aeneæ tempore nulla erant, cum constet, multos deinde post annos ædificata fuisse. Respondeo. non de ipsis oppidis loquitur Maro, sed de campis, & fluminibus, quæ proculdubio semper fuerant. Veliam à fluuio eam præterfluente dictam esse auctor est Stephanus in dictione ἐλέα. vt rectè possimus portum intelligere, quē fluuius ille facit. sic & Camerina palus, sic Gela, & Agragas. Etenim plurimæ Siculorum vrbes à fluminibus nomen sumpserunt. vt Syracusæ, Gela, Imera, Selinus, Phenicois, Eryce, Camarina, Agragas.

Placuit non ad verbum modo sed prope syllabatim Alciati responsum, sententiamque proferre: quia nefas est Iurisconsultorum apices, ac puncta mutare. Et quoniam tam bonum, depulsis ab hac aduocatione ceteris, patronum Virgilio dedimus, de nostro nihil addamus: sed quod ab eo dictum est pluribus, breuissime comprehendamus, affirmantes, Velinos portus fuisse ante conditum oppidum Veliam, quia portus loco, planèque pro portu, fluuius erat Velia, à quo tandem oppidum ipsum postea nomen accepit. Cum enim tradat Stephanus, huiusmodi fuisse ibi fluuium, antequam excitaretur oppidum, nihil temerè dicimus, cum affirmamus, eum fluuium fuisse pro portu, ac portum appellatum, ante conditum oppidum.

Quin illud etiam dico, apertam nobis fuisse, traditamque ab Alciato pulcherrimam verosimilis poëtici rationem, ac formam per comparationem illam præsumptionis Iurisconsultorum cum præsumptione, atque anticipatione poëtica. Est enim illorum præsumptio coniectura quædam ex præsentibus in præteritum. qua ex coniectura, & præsumptione vult intelligi, licere etiam poëtis ponere, atque habere pro præteritis, quæ vident præsentia, in ijs præsertim, quæ obnoxia mutationi non sunt; cuiusmodi scimus esse flumina.

Quod

Quod si dicas, licuisse quidem Virgilio, qui præsentem haberet portum Velinum, conijcere de præteritis, & statuere, portum illum antiquissimis etiam fuisse temporibus; aut certè fluuij littus, & alueum fuisse pro portu; sed non licuisse Palinuro, qui portum eiusmodi præsentem nullum videt: si hæc, inquam, opponas, responderim, non præsumere Palinurum quicquam, sed Virgilium ipsum præsumere, atque conijcere de portu. qui cum videret ex præsenti facile se posse coniecturam capere de præterito, ac ponere, portus Velinos antiquitus quoque fuisse, quia semper fuit fluuius Velia, Palinurum, cuius ætate fluuius ille & erat, & portus exhibebat vsum aliquem, portus Velinos iure nominantem facere potuit. Erat enim tunc eiusmodi portus, vel pro portu fluuius Velia, à quo tum etiam dici Velinus potuit. Nulla igitur est præsumptio Palinuri: quippe qui de re præsenti loquitur; sed poëtæ anticipantis, & Iurisconsultorum more coniecturam facientis, in ostio fluminis Veliæ aliquem tunc fuisse sinum, qui diceretur Velinus, & vulgò pro portu ab omnibus haberetur; quia sua ætate videt esse portum Velinum, factum ab ijs Veliæ conditoribus, de quibus commemorat Gellius. non enim hæc præsumptio potest esse nisi de præteritis ex re præsenti. Palinurus verò ex præsenti portu nō præsumit, nec conijcit de præteritis, sed, vt ante dixi, loquitur de præsenti fluuio, sinuque Velino: cum excitatum illud oppidum, & portum factum non viderit, qui postea conditus est. Si quid ergo præsumitur hic, à Palinuro non pręsumitur, qui portum illum postea conditum, præsentem non habet; sed à Virgilio, qui & eum præsentem habet, & ex eo conijcit de præterito; ideoque ita loquentem Palinurum facit, quasi semper ille fuerit portus, & Velia.

## LOCVS IV.

## DE THESEO APVD INFEROS

### An secum ipse pugnet in eo figmento poëta.

------------ *Quid Thesea? magnum*
*Quid memorem Alcidem? &c.*

His Aeneae verbis, alijsque, quae postea protulit Charon, videtur haud dubie Virgilius significare, Theseum ad Inferos quidem cum Pyrithoo descendisse, sed redijsse tamen. ijs enim eum adnumerat, qui reuerterunt ad Superos.

Si

*Si potuit Manes arceſſere coniugis Orpheus,*
*Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
*Itque, reditque viam toties. quid Theſea? &c.*

Contra vero paulo poſt planiſſimè canit, Theſeum apud Inferos eſſe retentum, nec inde in poſterum vnquam euaſurum.

*---------------Sedet, æternumque ſedebit*
*Infelix Theſeus.*

Hac permotus repugnantia ille idem Higinus apud Gell. lib. x. cap. xvi. accuſat amplius Virgilium: & locum hunc item correcturum fuiſſe credit, ſi per vitae ſpatium licuiſſet. Quì autem fieri poteſt, inquit, vt aeternùm ſedeat apud Inferos, quem ſupra cum ijs nominat, qui deſcenderint illuc, atque inde rurſus euaſerint? praeſertim cum ita ſit fabula de Theſeo, atque ſic Hercules eum euellerit è petra, & in lucem ad ſuperos eduxerit.

Vidit ſanè Seruius hunc ſcopulum; quem ita praeternauigat. *Sedet, aeternùmq; ſedebit Infelix Theſeus.* Contra opinionem inquit. nam fertur ab Hercule eſſe liberatus, quo tempore eum ita abſtraxit, vt illic corporis eius relinqueret partem. frequenter enim variant fabulas poëtae. Hippolytum ab Inferis liberatum Virgilius dicit; Horatius contra.

*Neque enim Diana pudicum*
*Liberat Hippolytum.*

Exiſtimauit, inquam, Seruius, ita ſe difficultatem omnem exhauſiſſe; ſed non vidit, Virgilium non tantum immutare fabulam, ſed etiam pugnantia loqui. quippe qui paulo ante numeraſſet Theſeum inter eos, qui reuertiſsent ab Inferis, poſtmodum dixerit:

*------Sedet, æternumque ſedebit*
*Infelix Theſeus.*

Ariſtotelem ergo certiſſimum oraculum conſulamus. qui nos admonet, vt, cum aliqua eſse videntur apud poëtas inter ſe pugnantia, ea ſic exploremus quemadmodum explorare ſoliti ſumus ſophiſmata: videamuſque diligenter, num idem ſit, de quo eſt ſermo, an ad idem referatur, an eodem modo ſe habeat. Ita enim in Defenſ. xv. diximus ex Ariſt. Noſtrum itaque nunc erit exquirere, quoniam idem eſt Theſeus, de quo poëta loquitur vtrobique, an ad idem referatur, & eodem ſe habeat modo. Si Theſeum ad tempora referamus varia, inueniemus vtrumque de eodem dici à poëta potuiſſe: liberatum nimirum fuiſſe ab Inferis, & ſedere in ijſdem, æternùmq; ſeſsurum. Quam tollendæ, vel conciliādæ repugnantiæ rationem, quia ignorant Grammatici, turbas faciunt in Martialem, quòd Saturnales dies quodam loco dixerit ſeptem.

*Septem Saturni venerat ante dies.*

alibi

alibi verò quinque.

*Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,*
*Hos poteris cultus sumere iure tuo.*

Sed si tempora consulant varia, apud Macrobium exposita, intelligent, quibusdam temporibus Saturnales dies fuisse tres, alijs quinque, alijs denique septem.

Igitur in hanc temporum varietatem intuiti, id de Theseo statuamus, quod accepimus ab Apollonij Rhodij Scholiaste, qui sic loquitur. Theseus, & Pyrithous, Iouis hic, ille Neptuni filius, similia quædam aggressi facinora sunt. Nam Theseus cum rapere vellet Helenam, quam deperibat, adiutorem habuit Pirithoum: Pirithous contra, Proserpinam abducturus, socium item sibi voluit, & adiunxit Theseum. Cum igitur hi per Tænarum ad Inferos descendissent, saxoque insedissent obuio ad capiendam quietem, eo damnati supplicio sunt, vt inde se mouere, ac conuellere non potuerint. Sed cum Hercules postea eò deuenisset ad extrahendum Cerberum, Theseum quidem liberauit, ac saxo diripuit; Pirithoum verò, quòd auctor eius temeritatis fuisset, suoq. ad rapiendam Proserpinam iudicio, & voluntate descendisset, liberare supplicio, atque à lapide diuellere non potuit.

Ex hac huius narratione Interpretis intelligimus quidem egressum ab Inferis esse Theseum beneficio Herculis, sed illud tamen addere debemus, ac pro comperto ponere, iterum Theseum ad Inferos iuisse post obitum, ibique dedisse, ac dare pœnas flagitiorum suorum; non temeritatis illius modò, cuius supplicio liberatus ad tempus ab Hercule fuerat, sed aliorum quoque scelerum, in primisq. impietatis, & crudelitatis in filium Hippolytum, quem immerentem interfecerat. Ex hoc ergo tempore, eidem lapidi, à quo diuulsus olim fuerat, iterum illigatus post obitum, sedet, æternumq. sedebit. Atque hoc ipso modo de controuersia, quam habemus in manibus, Alciatus idem à me alibi laudatus decernit in Parerg. lib. x. cap. viij. cuius hic verba non subiungo: ne videar, etiam vbi necesse non est, eum Iurisconsultum velle in rem præsentem aduocare.



LO-

# LOCVS V.

## DE DIDONE APVD INFEROS.

### An collocari debuerit inter eos, qui necem sua sibi voluntate, manuque consciuerant.

Instituitur à nobis hæc quæstio, quia poëta certum designat apud Inferos locum ijs, qui se ipsos interfecerant; quibus enumerandis, Didonem illam præterit nobilem, quæ sibi manus attulit exitiales, suoque iudicio mortem inter flammas oppetijt.

*Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi lethum*
*Insontes peperere manu, lucemq. perosi*
*Proiecere animas. quàm vellent aethere in alto*
*Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.*

Quærimus, inquam, cur Dido hoc ipso præterita sit loco, quem sibi vindicare propriè posse videbatur: sit autem inter amantes potius in lugentium campis collocata.

*Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem*
*Lugentes campi. sic illos nomine dicunt.*
*Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti cælant calles, & myrtea circum*
*Silua tegit: curæ non ipsa in morte relinquunt.*

Et paulò post.

*Inter quas Phoenissa recens à vulnere Dido*
*Errabat silua in magna, &c.*

Haud exiguam id admirationem attulit viris doctis. sed eam illis eripit Iacobus Mazonius ex auctoritate Platonis, quem in toto sequitur opere Virgilius, vt benè longis est à me disputationibus in orationum primo volumine demonstratum. Sic igitur, illo viam præmuniente, hac de tota re ingredior dicere.

Summa quædam inter Platonicos est quæstio, an Plato censuerit, aliquando licere homini sibi mortem afferre. Negant Porphyr. ac Macrobius, hanc veniam vmquã homini dedisse Platonem, vt mortem accersere, ac conuenire suo iudicio cum laude possit. Sed Plotinus lib. ix. Enneade prima, & Olympiodorus omninò volunt, Platonem existimasse, fas homini esse mortem sibi aliquando consciscere. In hanc videlicet sententiam illa verba Platonis in Phædone interpretantur.

Fortasse igitur hac ratione haud præter rationem est se ipsum interficere:non tamē prius,quàm necessitatem aliquam imposuerit Deus. En, inquit Olympiodorus, quemadmodum Plato docet,interdum licere sibi manus afferre, vbi necessitas id ferat. Atque vt ipsum designet temporis articulum, in quo ius hoc homini esse contendat Plato,ait,hominum vitam similem esse conuiuio,quod nobis,ex omnium vsu rerum,diuina parauerit beneuolentia. Quemadmodum ergo conuiuia, vel abrumpuntur, vel absoluuntur quinque potissimum ex causis, sic tempora item quinque incidere credit Olympiodorus, quibus temporibus liceat è vita tamquam è mensa discedere.

Primam interrumpendi conuiuij causam accidere tum ait, cum Princeps, ac dominus interuenit, atque apud nos diuertere hospitio vult.Decet enim,ac prorsus oportet,mensam relinquere,vt Regi sternatur,ac seruiat. Ita planè censet Plato, inquit Olympiodorus,vitam deserere fas esse,cum Reip.,cuius summa tenetur in Principe, id vtile futurum intelligimus. Idcirco nimirum aliqui laudantur à veteribus, quòd pro patria mortem oppetere summa sua sponte voluerint: qualis apud Romanos est Curtius, apud exteros ille Menoeceus Thebanus adolescens Creontis filius: quem pro patriæ salute sanguinem vltrò profundere voluisse canit,& commemorat Statius in Theb.x.

*Sic ait,insignemq. animam mucrone corusco*
*Dedignantem artus pridem,moestamq. teneri,*
*Arripit,atque vno quæsitam vulnere rumpit.*
*Sanguine tunc spargit turres, & mœnia lustrat,*
*Seque super medias acies,non dum ense remisso,*
*Iecit,& in sæuos cadere est conatus Achiuos.*
*Ast illum amplexæ Pietas, Virtusq. ferebant*
*Leniter ad terram corpus. iam spiritus olim*
*Ante Iouem,& summis apicem sibi ponit in astris.*

Secundam interrumpendi conuiuij iustissimam causam è discordia, aut digladiatione rixantium inter se conuiuarum ait interdum existere. Præstat enim tunc, primo quoq. tempore conuiuium soluere:ne altercantibus illis tamquam arenam, & campum suppeditare videamur.Huic similem item causam idoneam ad vitam intercidendam esse confirmat ex Platone; cum videlicet intelligit aliquis,se materiem, ac fomitem esse rixarum,digladiationum,certaminis,belli. Hoc nomine suspicitur ab antiquis Otho ille, qui vt bella ciuilia funditus tolleret,vitam protinus extirpauit à se,quam ciuilis contentionis esse causam intelligebat. Ita quippe Martialis in libro sexto.

*Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo,*
*Forsitan & posset vincere mollis Otho,*
*Damnauit multo saturatum sanguine Martem,*

Et

*Et fodit certa pectora nuda manu.*
*Sit Cato dum viuit ſane, vel Cæſare maior,*
*Dum moritur numquid maior Othone fuit?*

Tertium tollẽdi conuiuij tempus putat eſſe, cum conuiuæ ſunt ebrij. Tunc enim minimè decere videtur, eos amplius eſſe ſuper menſam, qui ex ebrietate à ſenſibus iam alieni, ſui compotes, & rationis non ſunt. His ergo conuiuis ebrijs non Olympiodorus modo, verum etiam Plotinus comparat eos, qui aliqua perturbatione animi, affectuq. ſic tenentur, & concitantur, vt à ſenſibus, & ratione alienati videantur. quo tempore putant ex Platonis ſententia licere vnicuiq. ſibi vitam extinguere.

Quartum tempus excedendi de conuiuio tum eſſe dicunt, cum ipſi conuiuæ in ſuſpicionem iam venerunt veneni, vel epulis admiſti, vel poculo diluti. Nam quia periculum eſt, ne ſinguli ea veneni peſte corripiantur, par eſt, omnes compotationem, epulaſq. deſerere. Hac ſimilitudine demõſtrat Olympiodorus quartam accerſendæ ſibi mortis probabilem cauſam à Platone deſumptam in libris de legibus. quam tum ait accidere, cum aliquis ſcelere quopiam inexpiabili ſe pollutum intelligit, à quo periculum eſt, ne ceteri quoque polluantur, & inceſtentur. Videt enim tunc, ciuitatis ſe membrum eſſe tabidum, ac corruptum, adeoq. rationi conſentaneum putat, à ſocietate tamquam à corpore ſe ipſum excindere; ne ceteri quoque contagio tabeſcant, & corrumpantũr. Huiuſmodi nimirum ſunt Oedipi illi in Antiquorum Tragoedijs, & furentes Alcmæones, aut Oreſtes: qui cum ſe contaminatos inceſtu, aut parricidio vident, ad mortem tamquam ad perfugium ruunt, ſeque ipſos exſecant à reliquis, ne contagione cetera membra ciuitatis inficiant. Putabant enim veteres illi ſuperſtitioſi homines, aliqua eſſe huiuſmodi peccata, quæ alios etiam quãtumuis innocentes inquinarent; quæque nulla extergi poſſent expiatione ſacrorum.

Quintus terminandi conuiuij locus eſt, cum epulæ iam deſunt, aut malè nos habere, & ægrotare ſuper menſam incipimus. Qua ex comparatione vult Olympiodorus intelligi, tum licere nobis vitæ noſtræ finem imponere, cum ipſi vitæ degendæ res neceſſariæ deſunt, cum in poſtrema rerum inopia, & paupertate verſamur, aut morbis, doloribuſq. impatibilibus ita premimur, vt nulla vitæ commoda percipere poſſimus in poſterum, nec ciuibus vllam vtilitatem afferre. Id exiſtimat omnino Platonem docere in iij. lib. de Rep. cum diſputat aduerſus Herodicum, diæticæ medicinæ primum auctorem. Videtur enim ibi Plato id ciuibus conſilij dare, vt cum vident ſe propter inſanabiles morbos inutiles eſſe ciuitati, volentes, prudenteſq. vita ſe priuent: certe vetat medicos ad eos accedere, & quantum poteſt ab ea mor-

borum, morbosorumq. ciuium curatione deterret. Verba Platonis hæc sunt. Homines autem,& natura,& intemperantia morbosos viuere,neq. ipsis,neq. alijs conferre putabant, neque circa illos versari, oportere,neq. esse curãdos,etiamsi Mida ipso locupletiores essent. Ita Plato. Hac nimirum ex causa Philostratus in vita Sophistarum,Dio in Hadriano,Suida,Plinius Iunior, alijque summopere laudant Polemonem Laodicensem, quòd podagra diu iam, multùmq; conflictatus,ad tollendum cum vita dolorem,inedia se confecerit voluntaria: & Euphratem philosophum, quòd eodem genere stultitiæ se ipsum occiderit,vt molestissimam fugeret corporis ægrotationem,qua cruciabatur acerbissimè. Hunc in numerum referre possumus Democritum Abderitam,Pomponium Atticum, alios;inprimisq. Festum illum, quem commendat, atque admirandum proponit hoc epigrammate Martialis in lib. primo.

*Indignas premeret pestis cum tabida fauces,*
*Inque ipsos vultus serperet atra lues:*
*Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,*
*Decreuit Stygios Festus adire lacus.*
*Non tamen obscuro pia polluit ora veneno,*
*Aut torsit lenta tristia fata fame.*
*Sanctam Romana vitam sed morte peregit,*
*Dimisitq. animam nobiliore via.*
*Hanc mortem fatis magni præferre Catonis*
*Fama potest.huius Cæsar amicus erat.*

Atque ad hoc sanè genus reuocarunt veteres illam ipsius Catonis mortem,præter ceteras scriptis,monumentisq. celebratam:quòd magno vir animo,excluso de corpore spiritu,miserrima se liberasset seruitute,quam sub Tyranno seruire necesse erat. Hùc item pertinere videtur ille Virrius apud Silium Italicum in lib.xiij.quem canit,abijcere sua sponte vitam maluisse, quàm in Romanorum potestatem venire. Hùc etiam reuoces sine dubio Stoicos omnes, (non enim Platonicorum tantùm hæc dementia fuit) Stoicos, inquam, hùc reuoces, qui mortem voluntariam pro malorum omnium perfugio proponebant,vt ex Seneca maximè Stoico discere potes in epist.xii. xvii.xxiv. lviii. lix. lxx. lxxi. lxxviii. Quin Epicurus ipse delicatus philosophus voluntariam hanc probauit,& laudauit insaniam;suasitq. mortalibus, vt se vita priuarent, cum doloribus acerbissimis, iisque perpetuis vrerentur, de quo lege Victorium in lib.var.lect.vi.cap.xi.Porro tempus illud, quo quis sine reprehensione ex istorum philosophorum decretis interficere se posset, appellarunt Græci εὔλογον ἐξαγωγὴν, præclarum exitum. Significabant enim hac voce,præclaram, honestam, idoneam, gloriosam denique mortem eos obijsse, qui causam aliquam

eiusmodi probabilem adsciscendæ sibi mortis essent nacti.

Sed quam stultè sint hæc ab istis vel pronunciata, vel laudata, ve perfecta, non est nostrum hic multis exponere. Docent enim sapientissimi Christianæ religionis auctores, nullum esse tempus, quo tempore liceat homini sibi manus afferre, seque ipsum interimere. In eos autem nominatim, qui ad extremas vitandas ærumnas sibi fas esse putabāt adire mortem, declamauit copiose Lactan. lib. iij. cap. xviij. acutèq. disputauit August. in primo lib. de Ciuit. ac demonstrauit, ignauos habendos esse verius, quàm fortes, qui propterea se ipsos interimunt. Immo vero Martialis ipse in Epigram. ad Cheremonem hanc ignauiam damnat, & excipit risu.

*Quod nimium laudas Cheremon Stoice mortem,*
*Vis animum mirer, suspiciamq. tuum.*
*Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus ansa,*
*Et tristis nullo qui tepet igne focus.*
*Et teges, atque cimex, & nudi sponda grabati,*
*Et breuis, atque eadem nocte, dieq. toga.*
*O quàm magnus homo es: qui fæce rubentis aceti,*
*Et stipula, & nigro pane carere potes.*
*Leuconicis age dùm tumeat tibi culcitra lanis,*
*Constringatq. tuos purpura texta toros.*
*O quàm tu cupias tunc viuere Nestoris annos,*
*Et nihil ex vlla perdere luce voles.*
*Rebus in angustis facilè est contemnere vitam.*
*Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

Ignauos igitur eos habendos putat, qui, quoniam perferre fortunam aduersam non queunt, sibi mortem inferunt; illos autem verè fortes, atque constantes, qui casus acerbissimos, inopiam, solitudinem, ignominiam, seruitutem aequanimiter, & cum constantia perpetiuntur in vita: id quod etiam declarauit planius in alio quodam epigrammate ad Dacianum.

*Quod magni Thraseæ, consummatiq. Catonis*
*Dogmata sic sequeris, saluus vt esse velis:*
*Pectore nec nudo strictos incurris in enses;*
*Quod fecisse velim te, Daciane facis.*
*Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam.*
*Hunc volo, laudari qui sine morte potest.*

Ceterùm quid ego Martialem profero testem, cum Aristoteles ipse in lib. Eth. iii. cap. vi. omnium fatuitatem suo iudicio, ac sapientia corrigat? Docet enim disertè, ac dilucidè, habendos esse desides, exiguiq. viros animi, qui se ipsos ob inopiam, aliosue fortunæ casus aduersos interimunt; cum adscita morte fateantur, id se fugere, quod ferre non

possint: nec pares aut idoneos esse ad eum sustinendum impetum, impressionemq. fortunæ, cuius causa de vitæ statione depelli se patiuntur.

Ne Tarquinius quidem ille Superbus videtur id ignorasse: cum hoc voluntariæ mortis, & parricidij genus turpissimo damnauit supplicio, quoniam crudelissimo tantum malum tollere non poterat. Cum enim cloacas populum facere, ac fodere coëgisset, atque ob hanc iniuriam multi suspendio se ipsos occiderent, eorum corpora cruci iussit affigi. quo factum est, vt tum primum habitum turpe sit sibi mortem consciscere. Quare non Christiani modo, sanctiq. viri damnarunt ea Platonicorum, aliorumq. de voluntaria morte decreta, & dogmata; verum etiam poëtæ veteres, primi philosophi, Tyranni ipsi explodenda eadem esse censuerunt.

Quibus aliquando præteritis, de Virgilio pergo dicere; quem ipsius auctoritate Platonis eripere ab omni prorsus errati suspicione contẽdimus. Confirmo, inquam, eum, & Platonem, & Platonicos secutum, existimasse Didonem iustissimam voluntariæ mortis habuisse causam, hoc est eam, quam tertio numerauimus loco, atque ab ebriorum conuiuarum similitudine repetiuimus. Nam quia tradebant Platonici, licere homini vehementissimis animi cupiditatibus tamquam ebrietate perturbato, atque à sensibus ipsis, & ratione deiecto, non minus è vita discedere, quàm è conuiuio, eorum adprobans opinionem nonnullis doctorum hominum ea tempestate probabilem, Didonem fecit ex amoris impatientia furentem, debacchantem, è statu rationis exturbatam; vt ei iustam oppetendæ mortis occasionem, & veniam à Platonicis daret. Quid enim aliud nisi furorem, & amoris ebrietatem ea verba præseferunt?

*Sed misera ante diem, subitoq. accensa furore, &c.*
*Cum sic vnanimem alloquitur male sana sororem.*
*Vritur infelix Dido, totaq. vagatur*
*Vrbe furens, &c.*
*Quid loquor, aut vbi sum? quæ mentem insania mutat?*

Itaque cum iustis hisce de causis defunctam vita, sua voluntate, fecisset Didonem, vt congruentia loqueretur, & sibi constaret, ab eorum illam numero separauit, qui se sine causa probabili peremissent. Nam si rectè poëtæ verba perpendamus, intelligemus eos tantùm apud Inferos in certo illo loco Virgilium disponere, ac collocare, quibus occidendi se nulla iusta causa fuisset.

*Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi lethum*
*Insontes peperere manu, lucemq. perosi*
*Proiecere animas.*

Quos enim insontes, atque immerentes intelligit, nisi qui mortis causam

ſam nullam habuerunt ex ijs, quæ numerantur à Platonicis, adeoque mortem illam voluntariam non meruerunt? Non erat hic igitur Didoni locus, quæ iure, atque ex idonea cauſa, vt Platonici decernunt, ſe ipſam interfecerat, mortemq. merita erat ob eam amoris, non ebrietatem modò, ſed inſaniam, ac furorem. furori quippè nominatim veniam dedit ampliſsimam mortis Plotinus his verbis. At ſi inſaniam perſenſerit quis imminentem, quid nam aget? fortaſſe verò id viro probo non accidet: ſi tamen acciderit, reponendum erit in eorum genere, quæ neceſſaria nuncupantur, atque ob ea, quæ circumſtant, mors eligenda.

Cum ergo Dido careret illa culpa, quæ in eum locum compulerat eos, qui ſe ipſos occiderant, ſapientiſsimè collocata fuit inter amantes feminas, poëtarum fabulis, & ſcriptis antiquorum omnium nobilitatas.

*Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti caelant calles, & myrtea circum*
*Silua tegit; curæ non ipſa in morte relinquunt.*
*His Phædram, Procrinq. locis, moeſtamq. Eriphylem*
*Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,*
*Euadnemq. & Paſiphaën; his Laodomia*
*It comes, & iuuenis quondam, nunc femina Ceneus,*
*Rurſus & in veterem fato reuoluta figuram.*
*Inter quas Phoeniſſa recens à vulnere Dido*
*Errabat ſilua in magna: quam Troius Heros*
*Vt primum iuxta ſtetit, &c.*

Dicat tamen aliquis, omnes, quæ hoc loco detinentur, ob aliquod certum detineri flagitium, quod ex intemperantia turpis amoris admiſerunt, vt conſtabit legenti fabulas ſingularum. Phædra quippe priuignum, à quo repulſa fuerat, circumuenit: aliæ alia ex iſto genere ſcelera perpetrarunt, quorum cauſa plectuntur apud Inferos. Igitur etiam Dido plectetur ob ea peccata, quorum illi fuit auctor impudicus amor. At nullum in Didone videtur erratum eſſe ab amore profectum, niſi mors illa voluntaria, & conflagratio. fuit igitur illa mors culpa digna, non laude. Reſpondeo: non omnes omninò plecti ob ea ſcelera, quæ ſuaſit amor: ſed aliquas ob vnam amoris exuperantiam, intemperantiamq. poenas dare; qualis eſt Laodomia: quæ ex morte Proteſilai coniugis obriguit: aliquas puniri tantùm, quia fidem viris fefellerunt ſuis. quo de genere Procris eſt, vxor Cephali, quæ ſe corrumpi ab inſtitore paſſa eſt pretio. Itaq. Dido plectitur ex amiſſo pudore, atque ex ea fama deperdita, qua nuper ſidera adibat, vt loquitur ipſa: plectitur, quia Sichæo coniugi datam, obligatamq. promiſſis fidem violarat, quod teſtatur ipſa, dolenter expoſtulans ea, quæ geſ-

ſerat intemperanter, & contra quàm Sichaeo pollicita erat.

*Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam*
*Degere more feræ, tales nec tangere curas?*
*Non ſeruata fides cineri promiſſa Sichæo?*

---

# LOCVS VI.

## DE GRAECORVM PAVORE, AC FVGA apud Inferos ex Aeneæ conſpectu.

### Quid cauſæ ſit, cur fugiant ij, quibus officere non poteſt Aeneas.

*At Danaum Proceres, Agamemnoniæq. phalanges*
*Vt videre virum, fulgentiaque arma per vmbras,*
*Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,*
*Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem*
*Exiguam. incœptus clamor fruſtratur hiantes.*

Nemo leget, opinor, hos verſus, cui non veniat in mentem quærere, quorſum fugiant Vmbræ, ac tantopere pertimeſcant, quæ ferro, aliaue iniuria violari non poſsunt; quemadmodum ſupra monuit Sibylla, docta comes, Aeneam.

*Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas*
*Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,*
*Irruat, ac fruſtra ferro diuerberet Vmbras.*

Quin ipſe ſub libri finem Anchiſes diſertè docet, timorem, ceteraſq; perturbationes hominum ab ea corporis, animiq. ſocietate promanare, quæ diſſoluitur interitu. Sic enim de animorum noſtrorum origine philoſophatur Platonicè.

*Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo*
*Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,*
*Terreniq. hebetant artus, moribundaq. membra.*
*Hinc metuunt, cupiuntq. dolent, gaudentque, nec auras*
*Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere caeco.*

Non ergo congruenter, conſtanterq. poëta loquitur, cum Vmbras illas, Aenea viſo, exanimatas dicit, quæ depoſito iam corpore, perturbationum omnium ſeminario, non amplius habebant cur exanimarentur, aut extimeſcerent.

Haud leuem posset huic loco defensionem præbere vulgaris quædam apud priscos opinio, de ferri acie stricta Vmbras Inferorum exterrefaciente. Credebant, inquam, eas strictos gladios, aut lanceas maximoperè formidare. Quam opinionem secutus Homerus in lib. ij. Odys. facit Vlyssem stricto gladio sedentem in sacrificio illo magico, & necromantia percelebri, nec Vmbras ad sacrum cruorem ante permittentem accedere, quàm Tiresiam audiat hoc præcipientem. Et sane vulgarem hanc opinionem fuisse docet Plutarchus in Laconicis. vbi commemorat, Laconem quendam noctu monumentũ prætereuntem vidisse spectrum, statimque accurrisse contra cum lancea, illudq. in fugam vertisse, & hac voce persecutum esse. quò fugis anima bis mortua? Licet ergo conijcere, & suspicari hoc etiam sibi voluisse Virgilium: animas nimirum illas Græcorum reformidare strictum Aeneæ gladium, fulgentiaque arma per vmbras, vt canitur hìc. Non enim sine causa huius itineris initio gladium è vagina produxit ex Sybillæ præcepto sic admonentis;

*Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum*:

& in ipso Inferorum aditu, atq. vestibulo monstris illis tam multis, ac variis strictam aciem venientibus offert. Sed cur Sibylla, dicet aliquis, vetat eum in Vmbras irruere ferro, si ipsa ferrum stringere iusserat ad exterrendas Vmbras, ac monstra? Responderim; eam non id admonere, ne strictam aciem offerat, sed ne diuerberet frustra, & ne vulnerare conetur in cassum Vmbras, quas satis sit stricto gladio deterrere. Non leuis, inquam, hæc videtur esse ratio pauoris ad Græcorum Vmbras accidentis ex Æneæ conspectu armati. Sed tamen quia non magis Græcos, quàm alios perterrefacere debuisset acies illa gladij æque in omnes Vmbras intenta, facilior erit defensio, si memoria repetamus veterem Platonicorum de animarum purgatione sententiam. Putabant enim illi quidem perturbationes, affectus prauos, ipsa scelera, quæ ex perturbationibus oriuntur, existere à corpore, cuius societate, & contagione inquinaretur animus: sed putabant etiam, huiusmodi affectiones, perturbationesque remanere post obitum cum animis ipsis, nisi ante doctrinæ, virtutisque beneficio sic se purgassent, vt pristinæ, natiuæque puritati iam redditi viderentur. Vel ipse nos docet Anchises ita Platonicos existimasse.

*Quin & supremo cum lumine vita reliquit,*
*Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est*
*Multa diu concreta modis inolescere miris.*
*Ergo exercentur pœnis, &c.*

Ait enim, maculas, quibus afflantur, asperguntur que à corporibus animæ, residere quoque post obitum, nisi ante fuerint extersæ: nec

posse

posse beatitudinem consequi, nisi apud Inferos vel flammis, vel aquis, vel aëre ipso purgentur. Quæ nam verò sunt illæ maculæ, pestesque corporeæ, nisi eæ, quas ante percensuerat, cum dixit.

*Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, &c.*

Non enim ipsa modo peccata, & scelera, verum etiam affectus, & perturbationes putabant animum commaculare Platonici.

Quare cum illæ Græcorum vmbræ corporeis infectæ contagionibus migrassent è vita, nec dum expiatæ fuissent, potuerunt ex Platonicorum sententia trepidare, pertimescere, exanimari.

---

# LOCVS VII.

## DE LACERATIONE DEIPHOBI.

### Num habeat aliquid repugnans; & quorsum pertineat.

*Atque hic Priamidem laniatum corpore toto*
*Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,*
*Ora, manusq. ambas, populataq. tempora raptis*
*Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.*

Rem non ita gestam esse, vti narratur hic à Virgilio, vel intelligere, vel suspicari licet ex Q. Calabro: quippe qui in xiij. lib. de rebus ab Homero præteritis Deiphobi mortem exposuerit accurate, nec huiusmodi quidquam tradiderit: sed dixerit tantummodo, à Menelao victore interfectum ideo, quòd Helenam habuisset vxorem secundum obitum Paridis.

Haberem, cur hæc eluderem, optimam sane causam, ac rationem, si dicerem poëtæ licuisse illam confingere lacerationem, atque historiæ superaddere: cum nihil à Q. Calabro dicatur, quod illud figmentum euertat. Neque enim ait, Deiphobum non fuisse sic laceratum, sed occisum vniuerse: quo fit, vt genus ipsum necis fingere poëta possit ex ingenio. Haberem, inquam, cur ita diluere possē quod obiectum est. sed aliam ego rationem inibo, quam aperuit mihi Iacobus Mazonius ipsi consentaneam Aristoteli, docenti & confirmanti, multa poëtas tradere contra quàm gesta esse dicantur ab alijs; quia sic oportuit geri, & melius erat ita fieri. Si reprehenditur poëta, inquit, quòd non vera scripserit, respondeatur, eum ita rem tradidisse fa-

ctam, quemadmodum fieri oportuit. Sophocles quippe dicebat, homines se tales effingere, quales esse oportet. Vide in Prolegom. Defen. vij. Id, inquam, dici ex Aristot. posse video: Deiphobi mortem sic exprimi oportuisse, ac debuisse. Debuisse autem sic effingi, ex eo potissimum demonstratur, quòd à Græcis hominibus, & quidem ab Helena prodente, ipsumq. facinus adiuuante sit interfectus.

Scimus enim multorum litteris id esse memoriæ consignatum: Græcos solitos fuisse suorum cadauera interfectorum sic interdum lacerare, ac dehonestare, quemadmodum laceratus Deiphobus hoc loco fertur. Ita quippe scribit Sophoclis interpres in Electra: vbi dicitur Agamemnon esse laceratus. Fuit, inquit, in more positum, vt qui aliquem affinitatis, aut cognationis vinculo sibi coniunctum occiderent, summa membrorum ei resecarent vndiq., eaq. sic abscissa secum auferrent, vt iis, qui occisi essent, omnem omnino nocendi facultatem adimerent. Et quoniam ea membrorum extrema ferre solebant sub alis posita, quas Græci μασχάλας appellant, factum est, vt μασχαλισθῆναι nihil aliud sit, quàm detruncare cadauer, ac lacerare. Hæc ibi Scholiast. & paulo post. Ad expiandos interfectores, inquit, extremas cæsi hominis è toto corpore abscindebant partes, & sub alis suspendebant; vt qui occisus esset, redderetur imbecillior, neue aliam pro sua reposceret mortem. Quare Apollonius ait: extrema cadaueris abscidit; cum loquitur de Iasone Absyrtum dissecante. Locum hunc Apollonij, quem laudat Sophoclis Scholiast. ex lib. iv. Argonauticorum ita latine non tàm reddidit, quàm circumscripsit Ioannes Baptista Pius.

*Membrorum extremas, & vestis Anaurius Heros*
*Concidens partes, ter hiantibus oscula iungit*
*Vulneribus, cædem ter expuit, impiaque ausa*
*Deuouet, ac sæuæ ter lustrat imagine cædis.*

Qua ex descriptione poëtæ, doctrinaq. interpretis duo discere possumus. primum: huiusmodi laceratione Græcos vsos tantummodò fuisse in cognatos, affinesque, quos interfecissent. Secundum: id quod crudeliter alioqui fiebat, & barbare, referendum in eorum superstitionem amentissimam esse. Nam quia pollutum maxime putabant eum, qui cognatos, affinesque interfecisset; eosque reposcere vindictam, atque illorum sanguinem efflagitare, à quibus essent occisi, crediderunt, ea membrorum desectione expiari se posse, cæsosque cognatos debilitari, reddique impotentes, quo minus nocerent, ac rependerent vicem.

Sed ex his sequitur, dicet aliquis, imprudenter id finxisse in Deiphobi cæde Virgilium: cum Deiphobus nulla prorsus Menelaum cognatione, aut affinitate contingeret.

Duplex

Duplex mihi videtur eſse reſpondendi ratio. prima, ſi dicamus, ea laceratione non quidem Menelaum, ſed Helenam ipſam, quæ Deiphobo affinitate coniuncta erat, expiatam fuiſse. Illa enim Menelaum priorem virum, & ceteros Græcorum Duces in conclaue deduxit; illa fuit cædis auctrix: adeoque neceſse habuit ſolemni Græcorum ritu expiari, eaque labe detergi: niſi tamen ipſe quoque Deiphobo cenſendus ſit affinis Menelaus, qui Helenam habuit coniugem primus, ac propterea etiam ipſe videretur expiandus. Altera eſt ſine dubio melior, & quæ demonſtret, morem illum multo magis patentem fuiſse, quàm vt inter cognatos, atque affines concludendus videatur. Nam Apollonij Rhodij proprius interpres eos explicans de Abſyrti laceratione verſus, quos paulo ante laudauit, ac pro ſe protulit Sophoclis Scholiaſtes, ita morem illum amplificat, vt dicat, adhibitum etiam in eos fuiſse, qui occiſi ex inſidijs, & per proditionem eſsent. Qui aliquem, inquit, circumueniebant inſidijs, & occidebant, cadaueris extrema cædere ſoliti ſunt, eaq. ex eius collo ſuſpendere: tum eiuſdem ſanguinem colligebant, eumque ter in illius expuebant os, vt ita placaretur is, qui per inſidias fuiſset occiſus.

Variant profecto interpretum horum ſententiæ, ac diuerſa produnt: cum ille Sophoclis Scholiaſtes dicat id factũ eſse ad cæſi hominis debilitandas vires, ne noceret; hic ad eiuſdem placandos manes, & expiandum cædis auctorem: ille ſub alis parricidæ ſuſpenſa fuiſse tradat extrema membrorum; hic ex eius collo, qui fuiſset occiſus. quamquam in hoc poſtremo non omnino fortaſse diſsentiunt. Nam ille Sophoclis interpres in primo loco ait ſuſpenſa fuiſse ſub alis eorum, qui cognatum interfeciſsent; in ſecundo ſub alis eius, qui eſſet interfectus. Confirmat enim diſertè, auctores cædis ſolitos fuiſſe ſumma illa membrorum, & extrema cadaueris collocare, ſiue ſuſpendere περὶ τὰς μασχάλας αὐτοῦ hoc eſt, ſub alis eius, qui eſset occiſus.

Sed differant in his, diſcordentq. quantumlibet, modo maneat illud: ex eorum vnius ſententia eam lacerationem non in cognatos tantum vſurpatam antiquo more fuiſse, verum etiam in eos vniuerſe, qui ex inſidijs occiderentur. Id quod alii quoque permulti docuerunt, in primiſque auctor Etymologici Græcorum, qui hæc iis congruentia ſcripta reliquit. Hæ ſectiones extremarum partium è cadauere ab eo fiebant, qui aliquem occidiſset: idque ſupplicii, pœnæque loco imperabatur, ſi occidiſset ex inſidiis; vt expiaretur à ſcelere, ac purgaretur. quin extrema illa membrorum abſciſsa colligebant ordine, & componebant, eaque vel ſub occiſi hominis alis, vel è collo ſuſpendebant. His non admodum diſſimilia tradit Suidas in verbo ἐμμαπίως. Mos, inquit, antiquorum is fuit, vt ſi per inſidias

ac frau-

ac fraudem aliquem interemissent, vellentq. ab eo facinore se purgare, extremas cadaueris cæderent partes, ex ijsque compositum quasi torquem ab eius collo suspenderent, qui esset occisus. Quod si quis velit hos ita discordes, dissentientesq. scriptores conciliare, dicat vtrumq. factum ad expiationem peragendam absolutè, perfectèq. hoc est & ex alis, & è collo suspensa illa cadaueris extrema fuisse. Nam Suidas ipse paulò post ita rem amplius explicare pergit. Eaque diuidebant, inquit, & partiebantur, partesq. ipsas sub alis collocabant. quo factum est, vt sectiones illæ dicerentur proprio nomine μασχαλίσματα. Sed nobis, vt dixi, nihil est necesse istos conciliare, modo compertum sit, eam lacerationem illorum quoq. fuisse, qui occisi per insidias essent. Cum enim Deiphobus proditus ab Helena fuerit, & ex insidijs occupatus in toro à Menelao, iure sane naribus, alijsq. corporis extremis partibus abscissis, à cædis ipsius auctoribus detruncatur. Ita quippè ipse met insidias illas exponit Aeneæ, causam tantæ crudelitatis ab eo percontanti.

*Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ*
*His mersere malis. illa hæc monumenta reliquit.*
*Namq. vt supremam media inter gaudia noctem*
*Egerimus nosti, &c.*
*Egregia interea coniux arma omnia tectis*
*Amouet, & fidum capiti subduxerat ensem:*
*Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.*

---

## LOCVS VIII.

## DE SILVIO AENEAE FILIO.

### Cur dicatur posthuma proles.

*---------------------- primus ad auras*
*Aetherias Italo commistus sanguine surget*
*Siluius Albanum nomen tua posthuma proles,*
*Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux*
*Educet siluis Regem, Regumque parentem.*

Perdiligenter hic locus obseruatus est à duobus viris doctis Cesellio Vindice, & Apollinari Sulpitio apud Gell. lib. ij. cap. xvj. quibus parum hæc in Siluium Aeneæ filium conuenire videbantur: cum vel posthumus non fuerit, vel si fuit, malè dicatur,

Quem

*Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux*
*Educet ſiluis Regem* .

Poſthumi enim poſt obitum naſcuntur patris: verba verò illa ſignificare videntur, Aenea viuente, ac iam ſene, natum Siluium fuiſſe, & educatum.

Igitur Apollinaris Sulpitius ad declarandum anceps argumentum ſic rem explicabat. Quem tibi longaeuo, non quidem ſeni, ſed in longum aeuum, & perpetuùm recepto inter Indigetes, immortalique iam facto. Anchiſes enim, qui hæc dicebat filio, ſciebat, eum, vbi ab hominum vita diſceſſiſſet, immortalem futurum, atque Indigetem; & longo, perpetuoque aeuo potiturum. Hæc tamen interpretatio non placet Aulo Gellio. Itaq. huiuſmodi verba ſubiungit. Hoc ſane Apollinaris argutè. Sed aliud tamen eſt longæuum, aliud perpetuum: neq. Dij longæui appellantur, ſed immortales.

Ianus tamen Parrhaſius probat interpretationem illam Apollinaris, & Gellio ſuccenſet, quòd & Apollinari Sulpitio imponat iniuriam, & Virgilium indefenſum relinquat. Contendit igitur in lõgæuo etiam perpetui notionem interdum eſſe; ſic prorſus, vt Dij ipſi dicantur à nonnullis longæui, in primiſq. ab Aeſchylo his verbis. Δαίμοσιν ἐχθρὸν εἴκασμα βροτοῖσί τε δαροβίοισι θεοῖσιν. Inuiſum Manibus ſignum, mortalibuſq., & longæuis Dijs. Quod ſi dicas Aeſchylum, Græcum poëtam, non poſſe nobis tradere latina vocabula, vel veram Latini vocabuli vim demonſtrare; reſpondet, Virgilium à Græcorum fontibus multa deriuaſſe in latinitatem nomina, & Latina feciſſe, quæ Latina non erant. quod licere, ac fas eſſe poëtis affirmat Horatius. Quis enim melius quàm Virgilius noſſe poterat, illi Græco vocabulo reſpondere longæuum apud Latinos? Hæc ergo prima eſt interpretatio Apollinaris Sulpitij, & eiuſdem à Parrhaſio tradita defenſio. De Ceſellio Vindice videamus.

Is enimuerò longè aliter ipſam poëtæ ſententiam explicat: atque in hunc ferè modum. Poſthuma proles non eum ſignificat, qui patre mortuo, ſed qui poſtremo loco natus eſt. ſicut Siluius; qui Aenea iam ſene, tardo, ſeroque partu eſt editus. Ne hanc quidem explicationem adprobat Gell. non quòd illam damnet poſthumi notionem, eum, qui poſtremo loco natus eſt, ſignificantis: ſed quod ab eo deſideret hiſtoriæ veritatem. putat enim, ponitque, Siluium, patre viuente, ſuſceptum in lucem eſſe; quem multi tradiderint, natum poſt mortem Aeneæ. Sic igitur, atque his verbis hominem reprehendit. Huius hiſtoriæ auctorem nullum idoneum nominat. Siluium autem natum eſſe poſt mortem Aeneæ multi tradiderunt.

Nihilo minus tamen ſequendum eſſe putauerim Ceſellium Vindicem; id quod etiam cenſent eruditiſſimi quidam, grauiſſimiq. ſcri-

ptores.

ptores. Nam Cranterus lib.vii.cap.x. docet posthumum non ita scribendum esse, vt vulgo cum aspiratione scribitur: sed postumum; quia sic planè se scriptum reperisse confirmat in antiquorum monumentis. Itaque illorum euertit firmamentum & robur, qui propterea posthumos ab obitu parentum natos tantummodo volunt, quòd posthumi dicti sint, quasi post humatum patrem in lucem excepti, quæ quidem etymologia, & notatio nominis desumpta est à Varrone in lib.ij. de Analog. Horum, inquam, is amolitur fundamentum, dum demit aspirationem, quæ facere videtur sola, vt posthumus sit, qui post humationem parentis est natus. Contendit autem postumum sine aspiratione deduci ab aduerbio post, quemadmodum ab extra deducitur extimus, à citra citimus: vt nihil aliud esse videatur postumum, nisi quod posterius est, aut vltimum, & postremum. Fatetur ipse quidem, hanc postumi notionem esse minus vsitatam, sed inueniri tamen apud Latinos aliquos eam vocem in illam planè sententiam vsurpatam, è quibus neminem profert, nisi Tertullianum in lib. aduersus Gnosticos, vbi de scorpio cælesti sic scribit. Cauda erit quodcumque de postumo corpore propagatur, & verberat; hoc est de postremo corpore. Alterum ego addiderim auctorem Sidonium Apollinarem: qui in lib.vii. epistolarum postumam ætatem dicit pro posteriore, ac consequente. Addiderim tertium Apuleium, qui postumam dixit spem pro vltima, & suprema.

Probat hanc eandem interpretationem, ac notationem vocabuli Adrianus Turnebus in lib. xviii. cap.j. quo loco docet postumum non eum tantummodo dici, qui post obitum patris, sed etiam qui post conditum testamentum, patre adhuc viuente, atque superstite, natus sit; quique post alios liberos oriatur: atque ita interpretandum, accipiendumq. censet quod hìc à Virgilio dicitur: vt demonstrant versus, qui subiunguntur:

*Quem tibi longaeuo serum Lauinia coniux*
*Educet siluis Regem, Regumq. parentem:*

probat Alciatus Iurisconsult. in lib. viii. parerg. cap. xiii. affirmans in Iure ciuili accipi quidem propriè posthumum pro eo, qui post humationem patris est natus, non tamen esse negandum, eum dici etiam posthumum, qui post conditum testamentum sit genitus, & susceptus in lucem.

Accedat vltimo loco Ausonius poëta, superioribus illis auctoribus testimonio subscribens locupletissimo in epist.xvij. Supremum enim Aeneæ filium, hoc est postremo natum loco appellat hunc Siluium, quem videt à Virgilio posthumum dici.

*Vt quondam in Albæ moenibus*
*Supremus Aeneæ satus.*

Colli-

Colligamus igitur omnia, & statuamus, posthumum non semper esse qui post obitum patris est natus, sed interdum eum esse, qui vltimo gignitur loco. Quod si distinguere velimus vtrumq. primum cum aspiratione, alterum sine aspirationis vlla nota scribendum esse dicamus. Et quia apud Virgilium postuma proles est postrema, tollendam aspirationem esse contendemus.

Sed historia huic interpretationi repugnat: cum Seruius, alijque apud Gellium dicant, Aenea iam mortuo, natum esse Siluium. Itaque illa postumi notio, eum, qui postremo natus est loco, significans, Virgilium non vindicat reum. Vindicabitur omninò tamen si quod alibi diximus, hic repetamus: licere poëtæ, cum præsertim historiæ variant, vel non ita vulgò sunt notæ, quicquid libet comminisci. Huiusmodi verò est hæc de Siluio narratio, tam ignota, tam ab hominum memoria remota, tam varia, & scriptorum discordantium opinione multiplex, vt dicat Liuius, aliquos tradidisse, eum, Ascanij filium, non Aeneæ fuisse.

---

# LOCVS IX.

## DE GEMINIS SOMNI PORTIS.

### Quid vtraq. significet: & cur Aeneas, ac Sibylla dimissi ex eburnea sint.

*Sunt geminae somni portae: quarum altera fertur*
*Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:*
*Altera candenti perfecta nitens elephanto.*
*Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.*
*His vbi tum natum Anchises, vnàque Sibyllam*
*Prosequitur dictis, portaq. emittit eburna.*

Hoc poëtæ figmentum, ex Odyss. ix. desumptum, expressumq. propemodum ad verbum, existimatum est ab antiquis doctrinæ, sapientiæque plenissimum, vt non immeritò dixerit Eustathius, has somniorum portas attritas iam esse doctorum disputationibus hominum, & scriptorum eruditione sapientium. Earum quippe mentionem facit in Charmide Plato. Audi, inquit, somnium meum, siue ex cornea, siue ex eburnea porta prodierit. Commemorat easdem Lucia-

nus

nus his planè verbis. Illud quæſo primum dicito, vt intelligam vtrum iſtud ſomnium ex eburnea, an ex cornea porta ad te peruolarit. Quin Iulianus Cæſar nobilis ille religionis noſtræ deſertor, ac transfuga, cum de ſomnio Callimachi loqueretur, quo admonitus eſt, vt poëma conſcriberet, ait illud corneum fuiſſe ſomnium, non eburneum. Horatij verò illa ad hoc commentum poëtarum alluſio eſt.

*-------------- vigilanſne ploro*
*Turpe commiſſum, an vitijs carentem*
*Ludit imago*
*Vana, quæ porta fugiens eburna*
*Somnium ducit? &c.*

Conſtat ergo, prudentes, ac doctos viros exiſtimaſſe, ſub hoc inuolucro deliteſcere doctrinam, & ſapientiam. ſed quæ tandem, aut qualis illa ſit ab ijſdem diſcere nos oportet Platonicis, qui figmentum huiuſmodi ſcriptis ſuis tam ſæpe laudarunt. Et quoniam Aeneas, ac Sibylla ex eburnea porta regrediuntur ad ſuperos, non ex cornea, id etiam quærere neceſſe fuerit cur factum ſit, ne quicquam in hac diſceptatione, quam abſolutam volumus, vlla ex parte deſideretur. Portarum ergo ſymbolum, & fabulam totam Didymus ſic interpretatur. Aiunt aliqui, inquit, & quidem rectè, ſomnia caeleſtia cornibus comparari; quia cornua in ſublime contendunt; terrena vero ebori: quia elephantorum dentes obuertuntur in terram. quam interpretationem Euſtathius quoque ita confirmat, ac probat. Comparant aliqui cæleſtia ſomnia, hoc eſt vera, quæ à Dijs immittuntur, cum cornibus: quia cornua ſurſum feruntur, caelumq. petere videntur; terrena cum ebore: quia dentes elephanti terram quodammodo deſpiciunt, ac vergunt in imum. Adiungit Euſtathius ex Itali auctoritate, cornu, quod ſurſum euadit, ſignificari animi noſtri intelligentiam ſimplicem, excelſamq;: ebore, quod deorſum inclinatur, eiuſdem animi noſtri vim ſentientem, quæ nobis craſſa, & cum ceteris communis animantibus eſt. Itaque ſomnia, quæ porta exeunt eburnea, proficiſci ait à terra, hoc eſt à terrenis ſenſibus; quæ è cornea egrediuntur, ab hominis intelligentia manare, quæ celeſtis, atque diuina eſt. Illa eſſe falſa: quia inde prodeunt, vbi inconſtantia, & deceptio eſt: hæc eſſe vera; quia profluunt ex eo fonte, qui veritatis eſt capax. ita philoſophatur Euſtathius. Cui reſpondens ex altera parte Pophyrius apud Macrobium in libro primo Somn. Scip. cap. iij. latet omne verum, inquit: hoc tamen anima cum ab officijs corporis ſomno eius paulullum libera eſt, interdum aſpicit, nonnumquam tendit aciem: nec tamen peruenit; & cum aſpicit, tamen non libero, & perfecto lumine videt, ſed interiecto, quod ne-

xus naturæ caligantis obducit. Atque hoc in natura esse idem Virgilius asserit, dicens.

*Aspice. namque omnem, quæ nunc obducta tuenti*
*Mortales hebetat visus tibi, & humida circum*
*Caligat, nubem eripiam.*

Hoc velamen cum in quiete ad verum vsque aciem introspicientis admittit, de cornu creditur: cuius ista natura est, vt tenuatum visui peruium sit. Cum autem à vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur: cuius corpus ita natura densatum est, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis erasum nullo visu ad vlteriora tendente penetretur. Hanc nobis ex eo loco doctrinam, & philosophiam extraxit Porphyrius, si minus veram, Platonicorum certè propriam, & eam, quam Virgilius toto poëmate consectatur.

Subiungi posset explanatio, quam excogitauit auctor siue Rhapsodus Adagiorum. Contendit enim, hoc geminarum portarum figmento id declarari, quod prouerbio dicitur: oculis magis habenda fides, quàm auribus: quodque canitur ab Horatio.

*Segnius irritant animos demissa per aures,*
*Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*

Eburna quippe, qua significari possunt ea, quæ per os exeunt ob dentium eburneum prope candorem, demonstrari putat id, quod audimus, esse sæpenumerò falsum: cornea, quæ videtur adumbrare id, quod cernimus oculis, ostendi credit, ea demum esse vera, quæ nos ipsi perspicimus.

Sed hæc istius interpretatio somnium esse mihi videtur ex ebore. Illi placent magis Platonici Philosophi, Porphyrius, & Eustathius: qui somniant sapientius; cum dicunt, cornu corpus esse nostrum, animæ velum; sed ita purgatum, atque detersum, vt obtutum, aciemque ad verum admittat: ebur idem animæ velum esse, corpus, sed minimè purgatum, & crassum adeo, vt illud traijcere mens, vltraque peruadere non queat. somnia vera ab intelligente anima pestibus extersa corporeis, apprimèque purgata, tamquam ex porta cornea clara, atque pellucida fluere: falsa à sensibus corporeis, atque ab anima pestibus infecta terrenis, tamquam ex eburnea porta densa, & corporata proficisci. somnia vera, quia cælestia sunt, & immissa diuinitus, similia cornibus esse, quæ sursum aguntur in cælum: falsa, quia terrena sunt, & à sensibus profecta corporeis, cum elephantorum dentibus comparari: qui sunt curui, atque in terram deuexi.

Hæc

Hæc Platonicorum placita digniora esse video, quæ probentur. quia Platonicus Virgilius est, vt copiosius docui in primo orationum volumine orat. viij. de Virgilij Allegoria.

Sequitur vt videamus, quid causæ fuerit, cur Aeneam, ac Sibyllam ex eburnea porta dimiserit Anchises. Marcus Antonius Muretus in libr. variar. lection. cap. vij. suspicatus est, voluisse Virgilium significare, talem esse totam illam de Inferis narrationem, qualia essent somnia, quæ ex eburnea illa porta exire dixisset, hoc est falsam, & commentitiam: idque fecisse studio ductum imitationis Homericæ.

Antiquissimus poëtarum Homerus, inquit, vt tecta quadam vrbanitate significaret, quæcumque de Inferis ipse cecinisset, talia esse, qualia interdum mulierculis, ac puerulis ad focum sedentibus, aut fallendi, aut conciliandi somni gratia narrari solent; facit Vlyssem moneri à matre, vt quam primum superos repetat, quæque apud Inferos vidit mente condita retineat, vt habeat quod vxori narrare possit: vt tantum non apertè dicere videatur, ea esse, quæ propè ignem debeant commemorari per iocum. Summus autem Homericarum virtutum aemulator Virgilius aliam rationem commentus est, qua idem obscurè, ac symbolicè indicaret. Nam cum duas hic quoque ex Homero portas fecisset, corneam vnam, qua vera; eburneam aliam, qua falsa somnia mitterentur; Aeneam, spectatis illis Inferorum portentis, porta eburnea egredientem fecit, vt sagacibus lectoribus suspicandum relinqueret, totam illam τερατολογίαν talem esse, qualia somnia ex Inferis eadem porta exire dixisset. In hunc modum diuinat, & coniecturam facit de Sibylla, Aeneaque ex eburnea porta digressis Muretus. sed argutè magis, quàm rectè sic disputat. Aliena quippe sunt hæc ab officio poëtarum: qui quamquam falsa sæpe proponunt, non tamen vt falsa, sed tamquam credibilia proferunt.

Non igitur in sua ipsius causa sic præuaricari Virgilium credendum est, vt dedita opera velit ostendere, falsa esse, quæ pro verisimilibus afferre debuit.

Prouocemus igitur iterum ad Platonicos: germanamque causam ab Homero repetamus. qui Nympharum illud antrum patefactum Vlyssi duabus peruium portis fecit: vna, quæ ad Austrum, altera, quæ ad Boream conuersa esset. priore illa patere aditum tantummodo Dijs affirmauit: posteriore mortalibus. Aiunt ergo Platonici Latinorum, hoc est Virgilij tutores boni, patronique prudentes, & Platonicæ disciplinæ periti, Homericis hisce geminas illas apud Virgilium somni portas esse similes, ac prorsus cum ijs geminas; corneam, qua veris datur exitus vmbris, Deorum

esse, ac Manium, qui verè sunt vmbræ; eburneam esse mortalium, qui crasso, concretoque corpore adhuc impediuntur, quo minus egredi queant è cornu tenui, atque pellucido. Quare cum Aeneas, ac Sibylla nondum liberi corporibus, sed è numero mortalium, ac viuentium essent, non cornea, sed eburnea porta ex Inferis demum dimitti debuerunt.

*Finis Libri Sexti.*





# LIBRI SEPTIMI AENEIDOS LOCVS PRIMVS.

## DE CERVO VVLNERATO.

### An tanti belli causa hæc videatur idonea.

*Ceruus erat forma praestanti, & cornibus ingens:*
*Tyrrhidæ pueri quem matris ab vbere raptum*
*Nutribant.*



LAVDAT, & cum admiratione suspicit hoc inuentum prudentissimi poëtæ Casteluitrus, existimatq. nihil accommodatius fieri, aut fingi potuisse: adeoq. reponi iubet inter ea episodia, quæ probantur, & decora dicuntur ab Aristot. in poët. cap. xv. iisque prorsus opponi, quæ ab eodem Arist. illo loco reprehenduntur. Sed non animaduertit, quàm acrem hic, iratumque Virgilio aduersarium habeamus. Nam Macrob. in lib. v. cap. xvii. (nisi fortasse Gellius sit; à quo ille pleraq. mutuatus, exposuit, venditauitq. pro suis) Macrobius, inquam, vulnus, & mortem cerui minus accommodatam inchoandi belli causam ratus, appellat hoc figmentum puerile: ingenijq. factum inopia dicit, vt vbi Virgilius Homeri ductum non habuit, defecerit, nec cursum tenuerit institutum. Ipsum audiamus. Quid Virgilio contulerit

tulerit Homerus, hinc maximè liquet; quòd vbi rerum necessitas exegit à Marone dispositionem inchoandi belli, quam non habuit Homerus, laborauit ad nouum rei partum, ac ceruum fortuitò saucium fecit causam tumultus. Sed vbi vidit hoc leue, nimisq. puerile, dolorem auxit agrestium; vt eorum impetus sufficeret ad bellum. Sed nec seruos Latini, maximè stabulum Regium curantes, atq. ideo quid fœderis cum Troianis Latinus icerit ex muneribus equorum, & currus iugalis non ignorantes, bellum generi Deorum oportebat inferre. Quid igitur? Dearum maxima educitur è caelo, & maxima Furiarum adsciscitur è Tartaris. sparguntur angues velut in scena, parturientes furorem. Regina, non solum de penetralibus reuerentiæ matronalis educitur, sed per vrbem mediam cogitur facere discursus. Nec hoc contenta, siluas petit, accitis reliquis matribus in societatem furoris. bacchatur chorus quondam pudicus, & Orgia insana celebrantur. Quid plura? maluissem Maronem, & in hac parte apud auctorem suum, vel apud quemlibet Græcorum alium, quod se quereretur habuisse.

Ita Macrobius in Virgilium debacchatur, ipsa rerum genera perturbans, & occasionem inchoandi belli fortuitam, ac leuem cum eiusdem inferendi belli principe causa confundens. Rectè quippe Modicius ait, duo in hoc esse potissimum attendenda, & distinguenda; meditandi, parandique belli causam, quam habuit Turnus haud leuem, & occasionem eiusdem inchoandi; quæ quidem occasio, vt in plerisq. bellis accidit, leuissima hic fuit, sed pro re nata maximè idonea. Si causam quæramus meditandi, adornandiq. belli principem, inueniemus esse grauissimam; & eam, quæ cum excidij Troiani causa conferri queat; vt indicare Virgilius ipse videtur eo versu.

*Causa mali tanti coniux iterum hospita Teucris.*

Quid enim grauius, quàm pactas à sponsis abducere, & regnum eripere dotale, quod iam in manibus esse videbatur? Hæc ergo fuit Turno comparandi, inferendiq. belli causa grauissima: riualis Rex, peregrinus prædo, Regni dotalis ereptio. Nam antequam vulneraretur ceruus, de Turno furente dicitur.

*Ergo iter ad Regem, polluta pace Latinum*
*Indicit primis iuuenum; & iubet arma parari:*
*Tutari Italiam; detrudere finibus hostem.*
*Se satis ambobus, Teucrisq. venire, Latinisq.*
*Hæc vbi dicta dedit, Diuosq. in vota vocauit,*
*Certatim se se Rutuli exhortantur in arma.*

Quæ dum ita feruent, ecce tibi agitatus ab Ascanij canibus ille ceruus, vulneratur, occiditur. Itaq. non de ceruo, sed de Regno, de Italia, de sponsa contenditur. Atque ob hanc causam, non propter interitum

ritum cerui, illæ excitantur Tragoediæ, Furiæq. inducuntur, ac Dij, velut in ſcenam.

Sed quærenda tamen erat huiuſce belli tam grauibus ex cauſis iam meditati occaſio aliqua inchoandi prudens, & circumſpecta, ne Latinus inconſtans, iniquus, aut foedifragus videretur. Nulla profectò fingi potuit opportunior, veroſimilior, & decoro magis ſeruiens, quàm quæ à Virgilio in ea venatione fortuita fuit excogitata. Si enim dixiſſet, quod ab aliquibus eſt traditum hiſtoricis, belli principium ex eo natum, quòd Troiani in eas expoſiti terras, illico prædas ex agris agere cœpiſſent, occaſio quidem fuiſſet amplior, ſed quæ minus iuſtum Aeneam faceret, minimèq. pios Troianos; contra, quàm alibi dictum ſit.

*Quæ ne monſtra pij paterentur talia Troes.*
*Rex fuit Aeneas nobis, quo iuſtior alter*
*Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.*

Multo igitur eſt id veroſimilius, magiſq. decoro conſentaneum, & moribus Troianorum, quos tam pios, & iuſtos facit; ſi dum Aeneas oppidi noui ponendis moenibus occupatur, Aſcanius ad grauiora negotia nondum idoneus, honeſta, Regijſq. digna pueris venatione in agris, ac ſiluis exerceatur; ſi dum ſic exercetur, cerui veſtigijs, & Furiæ ſtimulis excitati canes occaſionem illam pariant, quæ meditato iam, & adornato bello principium faciat.

Neque vero eſt, cur aliquis dicat, Virgilium ipſum cauſam tanti belli veram, atque præcipuam proponere cerui plagam illam, & vulnus, Aſcanij ſagittis inflictum. diſertè quippe pronunciat, incitatos fuiſſe odore cerui, ac furiali rabie inſtinctos canes:

*Vt Ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum*
*Cauſa fuit, &c.*

Non, inquam, eſt cur aliquis putet ita Virgilium imprudentem eſſe, vt eam idoneam, ac principem totius belli cauſam exiſtimarit. Cum enim primam dicit, non potiſſimam, ſummam, aut præcipuam intelligit cauſam, quæ Turnum impulerit ad arma, & Latinum in partes traxerit inuitum; ſed occaſionem primam, quæ Turnum iam impulſum, & excitatum, ad bellum maturius aggrediendum prouocarit.



# LOCVS II.

## DE CATALOGO MILITVM ITALORVM.

### An aliquid in eo frustrà ponatur.

*Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris*
*Contemptor Diuum Mezentius, &c.*

Quæstionem hanc nobis proponit Macrobius in lib. v. cap. xv. vbi contendit multa esse in hoc Catalogo superuacanea, adeoq. locum hunc arguit inanitatis. Vitium enim inanitatis tum deprehendi, ac esse dicitur in poëtis, cum aliqua ponũtur in poëmate ad nullam partem, ac rationem vtilia. Hoc erratum autem idcirco affirmat in eo Ducum Italorum Catalogo se reperire, quòd numerentur oppidò multi, qui exinde nihil agunt, nec in reliquo totius operis decursu amplius commemorantur, qualis est Equicolus, Vmbro, Virbius, alij. Cum enim in huiusmodi Catalogis nobilissimi quique recenseantur, & principes, aliquid eos agere oportet; ne reliquo tempore otiosi fuisse videantur. Quæ si iusta est, & prudens accusatio, reprehendendus etiam erit Apollonius Rhodius inter Græcos, inter Latinos Valerius Flaccus: in quorum Catalogis longè plurimi numerantur Heroës, & quidem principes, quorum nullæ præterea res gestæ commemorantur. Sed, vt diximus alibi, hæc poëtarum exempla Virgilium vindicare non possunt, atque ideo quærenda nobis est alia ratio; quæ ostendat, nihil eum frustrà, inaniterq. dixisse. Igitur huic inanitati medicinam faciet Galenus idoneã; modò liber ille Galeni sit, quo iuuenes ad bene capessendas artes excitantur. Is, inquam, auctor, quicumque sit, Homeri studiosissimus, permolestè fert nonnullorum audaciam, Homerum eo nomine accusantium, quòd in suo Catalogo Nirea verbosissimè describat, eiusq. pulcritudinem multis sanè versibus ob oculos legentium ponat, Græcorumq. omnium formæ, dignitatique anteponat; quem tamen exinde non modò non inducit amplius, sed ne commemorat, aut nominat quidem. Hanc, inquam, ille reprehensionem iniquo tulit animo: excogitauitq. propterea defensionem longè pulcherrimam, quàm profectò aliqua ratione trahere possimus ad nos. Ait enim, illa commemoratione, & descriptione tã acura-

cūrata hominis pulcherrimi, qui postea desierit in prælio apparere, voluisse poëtam sapientissimum demonstrare, bello, rebusq. difficillimis transigendis formosos homines, delicatos, & molles inutiles esse. Præstabit opinor ipsum audire Galenum. Non nisi semel, inquit, huius hominis mentionem facit Homerus hoc est in nauibus recensendis: quia declarare volebat, quàm sint inutiles viri forma præstantissimi, quoties illis præter formam nihil adest, quod ad vsum vitæ conducat. Indicat hanc eandem Homeri tuendi rationem Demetrius Phalereus: & quod de pulcritudine futili, ac rebus agendis inutili dicunt, tractatur à Platone copiosè in Dialogo, qui inscribitur Protagoras. vbi de Alcibiade pulcherrimo adolescente multus est sermo. perstringitur item à Persio in satyra iv.

*Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus*
*Ante diem blando caudam iactare popello*
*Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?*

Nos ergo Galeni ductum secuti, sic Macrobio respondeamus, Virgilium cum eos obliuione inuoluit, ac silentio, quorum in Catalogo recensuerat nomina, voluisse fortasse significare, homines illos inutiles fuisse; nec vllam belli partem pro dignitate tractasse. Ex hoc enim consequens est; non fuisse amplius commemorandos: cum ipsi met, rectè, fortiterq. gerendis in prælio rebus suæ memoriæ, ac famæ non consuluissent. Neque enim de re tam obscura possumus alia ratione decernere, quàm diuinando.

*Finis Libri Septimi.*





# LIBRI OCTAVI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

### *DE AENEA SVOS IN DISCRIMINE deserente.*

### An hoc illi fas fuerit.

*Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,*
*Remigioque aptat: socios simul instruit armis, &c.*



BONI officium Imperatoris ab Aenea requirunt hic aliqui, cum vident, aggeribus, & vallo nuper excitato conclusos ab eo deseri socios, hoc est opportunos eorum iniuriæ relinqui, qui maximum exercitum, & ingentes è toto Latio contrahunt copias. Quid enim sine duce tam pauci faciant, contra quos, vt dicitur initio libri,

*---------------------- omne tumultu*
*Coniurat trepido Latium: sæuitq. iuuentus*
*Effera: ductores primi Messapus, & Vfens,*
*Contemptorque Deum Mezentius vndique cogunt*
*Auxilia?*

Quid, si repente adsit interea Turnus, &, quod postea factum est, valida muros obsidione circumsistere, vallum reuellere, naues immisso corrumpere tentet incendio? quo se præsidio tuebuntur obsessi? Ipse quidem discedens Aeneas neminem præficit: sed satis habet intra munimenta illa compellere suos eo cum imperio, ac lege, ne portis egredi,

egredi, neu cum hoste comminus, ac prope confligere audeant.

*Namque ita discedens præceperat optimus armis*
*Aeneas; si qua interea fortuna fuisset,*
*Neu struere auderent aciem, neu credere campo.*
*Castra modo, & tutos seruarent aggere muros.*

Quid si aliquid grauius ipsi accidat Aeneæ finitimarum adeunti gentium terras, atque ab ignotis populis auxilia flagitanti? Quanto sane prudentius eo tempore sibi, suisque cauet Turnus, apud exercitum ipse subsistens in Regno, Venulum autem allegans ad Diomedem, ceterosque dimittens aliò nuncios, ad auxiliares copias colligendas.

Hanc profectò quæstionem haud facile profligabo, nisi huic similem ante proponam, & decidam aliam. Quærunt quippe qui de re militari sedulò disputant; an Imperatori, & copiarum Duci primario fas aliquando sit, ipso propemodum imperio, & gubernatione deserta, manus cum hoste conserere, hoc est mortis adire non dubiam aleam, & exercitum in discrimen, periculumque proijcere. corpus enim spiritu vacans, & anima, exercitus est, Imperatore destitutus, vt apud Curtium legimus in lib. x. & quod egregie docet Seneca in lib. i. de Clementia, Imperator spiritus vitalis est, quem tot millia trahunt, vinculum est, per quod ipsa cohæret multitudo, nihil omnino futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur. Certe nomen ipsum Imperatoris satis significat, vt docet Quintilianus, non exigere manum ipsius: imperare quippe debet, & præcipere; nec se mortis exponere periculo, hoc est, exitio totius exercitus, & Reipublicæ; quemadmodum permulta multorum exempla declararunt. Abbreuiator Trogi Iustinus de Epaminonda hæc scripta reliquit. Post paucos deinde dies Epaminonda decessit, cum quo vires quoque Reipub. ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illo velut mucrone teli ablato Duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt: vt non tam illum amisisse, quàm cum illo interijsse omnes viderentur.

De Scipione verò Liuius ita commemorat. Pugnanti, hortantiq. Imperatori, & offerenti se vbi plurimus labor erat, latus dextrum lancea traijcitur: cuneusque is hostium, qui in confertos circa Ducem impetum fecerat, vt exanimem, labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt, Imperatorem Romanum cecidisse. Hæc peruagata statim vox, vt & hostes haud dubie pro victoribus, & Romani pro victis essent fecit. fuga confestim ex acie, Duce cæso, fieri cœpta est. De Hannibale prudentissimo alioquin Imperatore scribit idem Liuius in hunc modum. Et verò Hannibal ipse dum murum incautus subit, aduersum femur tragula grauiter ictus, cecidit. tanta circa eum

fugæ,

fuga, & trepidatio fuit, vt non multum abesset, quin opera, ac vineæ desererentur. Sed audiatur Polybius in lib.x.vir rei militaris,& artis Imperatoriæ scientissimus. Etenim Duce illæso, ac sospite, inquit, etiam si aliquando reliqua cuncta cadant, multas tamen occasiones fortuna suppeditat, quibus detrimenta ex calamitosis euentibus accepta sarciri possint. Sin autem ille, perinde ac in naui gubernator, ceciderit,etiam si reliquæ multitudini victoriam aduersus hostes largiatur, nihil tamen inde commodi prouenit; propterea quòd omnis omnium spes à Ducibus pendet. His omnino similia præcipit Onosiander, Græcus auctor,in Strategico cap. xxxiij.& ijsdem prope verbis. Nimirum quilibet è populo miles corporis robore strenue facere potest, inquit: mentis autem prudentia bene consulere haud alius facile queat. Nam quomodo si gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis se se immisceat, nauem in periculo esse contingit, ita si Imperator consilia suis dare negligens,ad militaria munera se transferat, rem vniuersam in maximum discrimen adducit.

Hæ causæ, rationesque videntur vincere, numquam omnino fas Imperatori esse manu pugnare,aut periculo vitam suam committere, & vincunt quidem, nisi necessitas aliud postulet. Incidunt enim interdum ea tempora, quibus nec retineri possit exercitus, nec parari victoria, nec Respublica conseruari nisi Dux in periculum se, discrimenque conijciat. Itaque vt probanda sint omnia, quæ supra dicta iam sunt, nec Imperatori danda venia sit, vt militares suscipiat labores, & gregalium adeat pericula, est tamen hæc exceptio subiungenda; nisi exercitum plane periclitari,& rempublicam in extremum venisse discrimen animaduerterit. Tunc enim adesse periclitantibus, ac laborantibus debet, & nullũ,non modo constantis Ducis,sed etiam fortissimi militis officium omittere. Ita nimirum Cæsar, nutante iam exercitu, atque in fugam conuerso, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, restituit illicò prælium, quod est apud Florum in lib. iij. cap.x. & pulcherrimè canitur à Lucano in lib.vij.

*Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat:*
*Promouet ipse acies, impellit terga suorum,*
*Verbere conuersæ cessantes excitat hastæ.*

Quapropter haud semper accusandus est temeritatis Alexander, quòd periculosissima quæque, vt loquitur Iustinus in lib. xij. aggrederetur, & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspiceret, eò se immergeret, suaque non militum pericula esse vellet. Postulabat enim hoc interdum tempus, & necessitas, vt ab imperio ad militarem operam,laboremque transiret, qui vitæ periculo vix vnquam vacat.

Ex hac ergo quæstione sic profligata decerni quoque de nostra facile potest. Idcirco enim reprehendi posse videtur Aeneas; quòd cum deserit suos, & aliò proficiscitur, se, suosque tradat in discrimen. Itaque cum quærimus, an Aeneæ fas fuerit, relictis castris, ad auxilia ab ignotis petenda gentibus, in iter se periculosissimum dare, quærimus illud; an Imperatori, ac Duci liceat vmquam adire periculum vitæ, atque à suorum gubernatione discedere: adeoque sic possumus omnino respondere, quemadmodum supra de Duce, suo iudicio inter gregarios periclitante, & cum hoste manus conserente respondimus. Nam si deplorata quædam tempora sint, & ea, quibus alia ratione succurrere, ac prospicere non posit Imperator suis, nisi tantisper ab exercitu diuellatur, atque ad auxilia conquirenda ipso etiam cum vitæ periculo discedat, neminem ego futurum puto tam iniquum iudicem, qui non hanc illi non modo veniam det, sed abeundi quoque necessitatem imponat. Quæ profecto tempora quoniam Aeneas Imperator callidus animaduertit, non dubitauit aliquantisper à suis abesse, periculosum iter arripere, auxilium ab ignotissimis populis exposcere. Quem enim ipse ad tam difficile negotium allegaret? quis præter vnum Aeneam is erat, cui fidem haberent Principes, à quibus auxilium & copiae petebantur? His autem rerum difficultatibus quia non adigebatur ad abeundum Turnus, cum notissimus esset finitimis ciuitatibus, & Italiæ Regibus, satis habuit dimittere Venulum, aliosque legatos ad auxilia contrahenda. Huc accedit, quòd Aeneas admonitu Tyberini fluminis ad abeundum excitatur: quo minus dubitare debet de rerum euentu, magisque sperare, futuram sibi certam reuersionem in castra, suisque interea secundorum præsentiam Numinum adfuturam. Sic enim initio lib. viij. Tyberis eum alloquitur.

*Haud incerta cano. nunc qua ratione quod instat*
*Expedias victor, paucis aduerte, docebo.*
*Arcades his oris, genus à Pallante profectum,*
*Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti*
*Delegere locum, & posuere in montibus vrbem*
*Pallantis proaui de nomine Pallanteum:*
*Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.*
*Hos castris adhibe socios, & foedera iunge.*
*Ipse ego te ripis, & recto flumine ducam.*

Quod vero de illa dicitur Aeneæ temeritate abeuntis è vestigio, nec vllum exercitui, castelloque præficientis, falsum esse declarant ij versus in lib. ix. quibus Mnestheo, Serestoque in eam gratiam demandata præfectura planissimè significatur.

*Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis*

*Alta tenent: nec non trepidi formidine portas*
*Explorant, pontesque, & propugnacula iungunt.*
*Tela gerunt, instant Mnestheus, acerque Serestus.*
*Quos pater Aeneas, si quando aduersa vocarent,*
*Rectores iuuenum, & rerum dedit esse magistros.*

Cum igitur Aeneas eo temporum deprehendatur articulo, vt nisi discedat è castris, atque ipsemet auxilia conquirat, suorum saluti consulere non possit, cum de discessu moneatur diuinitus, cum itineris sui ducem habeat Tyberim fluuium, cui numen inesse credebat; cum denique bonis illis ducibus administrandæ Reipublicæ curam demandarit, nullum prætermittit officium periti, probiq. Principis: nec plus reprehendendus videtur, quàm reprehendi soleant Imperatores exercitus, qui se in rebus accisis, deploratisque relicto propemodum imperio, ad militaria conferunt officia, vitamque in discrimen obijciunt. Et quoniam singula iudicio permittimus Aristotelis, consulendus est in Prolegomenis nostris Defens. v. quæ huic loco præsidiũ suppeditabit ex circumstantijs, quas ille poëtarũ assertor intueri nos iubet, cum eorum patrocinium suscipimus. quod enim alioqui videtur imprudenter, & temere factum, ipsa vel loci, vel personæ, vel temporis ratio ab omni sæpe temeritate, atque imprudentia vindicat. Tempus autem ac locus, vt supra diximus, ita postulabat abitionem, & periculum Aeneæ, vt imprudentissimus habendus fuisset Imperator, nisi confestim excessisset è castris, seque itineri quantumuis ignoto, periculosoque commisisset.

---

## LOCVS II.

## DE TYBERI SILVISQVE MIRANTIBUS.

### An liceat huiusmodi sensum rebus inanimis dare.

*Labitur vncta vadis abies, mirantur & vndæ:*
*Miratur nemus insuetum, fulgentia longe*
*Scuta virùm fluuio, pictasque innare carinas.*

Videtur poëta cum eum tribuit sensum rebus inanimis, vt dicere audeat eas lætari, gestire, mirari; videtur, inquam, ea proponere, quæ nemo credat, aut pro verisimilibus habeat. Quis enim credere possit,

possit, vndas, & nemora ex hospitum, armorum, nauium ipsarum nouitate in admirationem rapi, cum ea vis animi non cadat nisi in participes rationis animantes?

Sed meminisse nos oportet, poëtas rerum omnium, de quibus ipsi cogitant, quædam efficere simulacra, vt ampliorem legentibus, audientibus, & spectantibus afferant admirationem. Itaque si quem inuidia tabescentem descripturi sunt, Inuidiam potius ipsam inducunt corporatam, & aspectabilem, quæ hominem vexet, quàm dicant eundem inuidia laborare: non quòd existiment eo modo melius se posse rem illam incredibilem persuadere legentibus, sed quòd videant, ijs simulacris expingi commodius, ac magis ad viuum exprimi animi sententiam, opinionemque de re, quam tractant, singularem. Id videlicet etiam sequuntur, cum dicunt, lætari arbores, mirari campos, &c. Dicunt, inquam, id factum, quod fieri nequit, ad exprimendam magis, atque ob oculos ponendam illam opinionem, & imaginem rei, quam animo consignarunt. Hanc imaginem à poëtis informatam animo nominant aliqui Grammatici poëticam phantasiam, in primisque Seruius, hunc explicans, quem habemus in manibus, locum. Miratus enim ipse, cur Virgilius siluas, fluuiosque mirantes fecerit, hæc ad demendam nobis admirationem adiungit. Laus Troianorum per phantasiam quandam ex vndarum, ac nemorum admiratione veniens. Placuit hoc idem phantasiæ nomen alteri Grammatico Lactantio, siue Lutatio, qui Statium commentarijs illustrauit. Sic enim interpretatur eum versum Thebaidos.

*Et noua clamosæ stupuere silentia valles.*


Baccharum vocibus, inquit, clamosæ valles destitutæ, immolatarum pecudum mugitibus stupuere. Dicit poëtica phantasia, omnem gregem in illo loco immolatum. Hæc ibi Lactantius: perinde quasi dicat, stuporem vallibus tributum à Statio fuisse propter expressionem illam, quæ poëtis est familiaris, dicique potest poëtica phantasia.

Declararunt nimirum nobis hi Grammatici vnico phantasiæ nomine id, quod multis sæpe soliti sumus explicare, cum dicimus, poëtas idola quædam rerum, & simulacra confingere animo: quæ vel inducunt instructa corporibus, vt cum loquentes Deos, aut homines faciunt, vel hyperbolicis quibusdam figuris, licenter exprimunt; vt cum aliquid describunt, aut narrant, nulla prorsus inducta persona; contra plane, quàm faciant Oratores: qui ad molliendas audaciores quasdam dicendi formas, verbi cautionem addunt aliquam: nec parietes ipsos gestire dicunt, sed videri gestire, aut quodammodo gestire. Huius ratio discriminis petenda est à fine, quem proposuit poëtis imitatio, quæ à delectatione, quemadmodum in cap. ij. ait Arist. nata est. Fit enim hinc, vt delectationem poëta sequatur, ex qua, &

cum

cum qua ipsa nata poësis est. delectationem autem nihil est, quod pariat magis, quàm admiratio. quod enim est admirabile, iucundum est, inquit idem Arist. in cap. xxij. Et quoniam ampliorem habet admirationem ea phantasia, & simulacrum rei gestientis, superiectionibus, alijsq. verborum figuris expressum, quàm animi sententia eadem de re exposita simpliciter, & cum vocabuli cautione prolata, poëtæ non dubitant dicere ea lætari, ac gestire, quæ verè lætari, ac gestire non possunt. Ne ipsi quidem ex antiquissima memoria diuini Hebræorum vates, ac Lyrici poëtæ ab hoc dicendi genere abhorruerunt. Quid enim aliud est illud; Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?

Hoc vnum extremo loco subiungendum, atque ad claudendam disputationem ponendum est; licere poëtis, ea, quæ fieri non possunt, facta esse dicere, vt admirationem, delectationemque maiorem aucupentur. quod decretum est, expositumque dilucide ab Aristot. in cap. xxiij. his verbis. Si quæ fieri nequeunt confingamus, rectè tum id factum habebit, si propterea artis finem assecuti simus. est autem eius finis, si hoc pacto magis admirabile est. Hanc ita dat poëtis Aristoteles veniam: quam nos in prima Defens. declarauimus initio. Quapropter omnis obstruetur aditus accusatoribus, si dicamus, Virgilium assequi multo maxime poëticæ finē, cum ait stupuisse siluas, & fluuium nouorum aduentum hospitum esse miratum. quia sensus ille tributus siluis, & fluuio maxime admirabilis est. admiratio vero delectationem parit; delectatio finis ipsi poëticæ propositus est. Dices tamen, quicquid ad delectationem poëta fingit, debere esse verosimile, ac credibile saltem vulgo. At hoc figmentum nemini est verosimile: cum omnes sciant, siluas, & fluuios admiratione affici non posse. Quid hic responderi debeat, indicaui iam suprà, cum dixi, ea quæ his hyperbolis finguntur, non fingi à poëtis tanquàm verosimilia, & credibilia, quemadmodum finguntur ea, quæ narrantur, aut aguntur in fabula, & poëmatum synthesi; sed proponi tanquam ea, quæ magis rem exprimunt, & enargiam habent. Non enim, cum dicunt fluuium admiratum esse, volunt id vulgo credi, sed intelligi, rem, de qua loquuntur, ita mirabilem fuisse, vt potuerit admirationem etiam afferre fluuio, si ea vi, & sensu fuisset præditus. Contrà vero cum dicebant, Harpyias esse locutas, volebant id vulgo credi: quia cernebant populum insana tunc imbutum superstitione, figmentis illis facile fidem habere.



# LIBRI NONI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

## *DE NAVIVM TROIANARVM metamorphosi.*

### An supra fidem ficta videatur; & quibus exposita calumnijs sit.

*------------------------- vos ite solutæ,*
*Ite Deæ pelagi: genitrix iubet. & sua quæque*
*Continuo puppes abrumpunt vincula ripis:*
*Delphinumq. modo submersis æquore rostris*
*Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monstrum)*
*Reddunt se totidem facies, pontoq. feruntur,*
*Quot prius aeratæ steterant ad littora proræ.*



ANTIQVISSIMA est huius loci reprehensio, iam inde ab ijs inchoata temporibus, quibus Grammatici Virgilium terere manibus, & commentarijs illustrare primò cœperunt. Sic enim scriptum reliquit Seruius, hos versus interpretans. Figmentum hoc, licet poëticum sit, tamen quia caret exemplo, notatur à Criticis.

Sed noui subinde Censores ita locum eundem exagitarunt, vt difficillimum nobis hoc patrocinium fecerint. Satis ego tamen habebo respondere Casteluitro; qui omnium opinor Criticorum nomine

Virgilium in ius vocat, & eam de integro antiquorum excitat accusationem, quam commemorat Seruius: sed tractat fortasse pluribus, ac magnificentius,quod ab ijs ieiune perstrictum,& quàm paucissimis indicatum erat. Non enim illi satis est dicere, non licuisse Virgilio eam fingere metamorphosim, cuius exemplum non extaret aliquod apud antiquos,sed profert præterea iustissimam accusationis causam ex Aristotele: rationesque colligit omnes, quæ ad hoc episodium expungendum videantur idoneæ.

Pugnat ergo primum Aristotelis auctoritate: qui cap. vij. poëtices affirmat, illud hominibus esse credibile, ac verosimile, quod sciunt aliquando factum fuisse, id incredibile,quod sciunt non esse factum. In Tragœdia, inquit Aristoteles, vera nomina retinentur. cuius rei ratio est, quia credibile illud est, quod fieri potest: quæ verò nondum facta fuisse scimus, fieri profectò posse,parum credimus. Quibus ex verbis demonstrare se putat Casteluitrus, hìc errasse Virgilium: cum diuinitus id factum comminiscatur, quod factum fuisse numquam legitur in fabulis. Quis enim audiuit vmquam, arida ligna in Deas esse conuersas? Saxa Deucalionis in homines, ebur in Pelopis humerum esse mutata, dicere quidem ausi sunt fabularum auctores: huiusmodi vero res inanimas diuinitate donatas esse, & in Deos conuersas, dicere non sunt ausi. Huic Aristotelis auctoritati aliquot præterea rationes adiungit ductas ab imprudentia poëtæ, res inter se pugnantes illo figmento coagmentantis. Nam primo quidem Iuppiter ipse Berecynthiæ respondens, petenti,ne naues illæ

*---------- cursu quassatæ vllo, neu turbine venti*
*Vincantur*,

planissimè,disertissimeque confirmat,eas se non posse sartas, tectasque in perpetuum præstare, aut impedire, quò minus mortali manu compositæ carinæ tempestatibus hauriantur, ac finem habeant.

*O genitrix quò fata vocas? aut quid petis istis?*
*Mortaline manu factæ immortale carinæ*
*Fas habeant? certusq. incerta pericula lustret*
*Aeneas? cui tanta Deo commissa potestas?*

Et tamen ille idem Iuppiter, qui hæc se præstare non posse profitetur, multo promittit ampliora, & ipsam lignis aridis, ac prope iam corruptis pollicetur diuinitatem.

*Immo vbi defunctæ,finem, portusq. tenebunt*
*Ausonios olim, quæcumque euaserit vndis,*
*Dardaniumque Ducem Laurentia vexerit arua,*
*Mortalem eripiam formam, magnique iubebo*
*Aequoris esse Deas.*

Quàm ergo pugnant hæc inter se! non posse naues, incolumes præstare,

ſtare, aut vindicare ab interitu, poſſe tamen eaſdem Deas facere.

Secunda ratio contendit, figmentum hoc, & epiſodium eſſe fruſtra excogitatum, nec quicquam poëmatis conſtitutioni conferre: cum neque coagmentet, neque ſoluat ſyntheſim, ac fabulam ipſam, nec aliud addat ijs momentum rebus, quæ tractantur in opere.

Tertia, dictorum, verborumque non ferendam repugnantiam demonſtrat, hoc modo. Pollicetur Iuppiter, Deas marinas ſe facturum ſingulas omnino naues, quæ tempeſtatibus ereptæ peruenerint in Italiam, eòque Troianos importauerint, vt paulo ante vidimus. At aliquæ naues, certè vna, qua vectus eſt Aeneas ad Euandrum, quæque abeſt, dum à Turno incenduntur reliquæ, & diuinitus conuertuntur in Nymphas, non ea donatur diuinitate, quæ ſingulis omnino promittitur à Ioue.

Quarta ratio reprehendit nominatim translatum audax, & loquendi formam inſolentem, quæ Parcas facit nentes, & ſuccidentes nauium fila; perinde ac ſi naues illæ quædam eſſent animantes. Nemo quippe legit vnquam in antiquorum monumentis, Parcas aridorum lignorum, lapidumue nere, aut ſuccidere vitam: & tamen dicere non dubitat Virgilius.

*Ergo aderat promiſſa dies, & tempora Parcæ*
*Debita complerant; cum Turni iniuria Matrem*
*Admonuit ſacris ratibus depellere tædas.*

Alia præterea ſunt, quæ diſſerit aduerſus Virgilium Caſteluitrus: ſed prætermittere libet; quia non tantum videntur habere robur, ac vim, vt euerti facili negotio non queant. Iis autem, quæ propoſita ſunt, ſic ego reſpondeo per partes, ac ſingillatim.

Ariſtoteles ait quidem eo loco, illa nobis incredibilia videri, quorum ſimile nihil factum accepimus: ſed tradit etiam illud in cap. xxiij. eſſe confugiendum ad famam, cum aliquid effingere volumus ſupra modum, rationemque communem; vt qui legunt, audiuntque figmentum incredibile, fidem ſaltem habeant famæ, quæ ſic vulgauerit. Hoc ergo cum probe noſſet Virgilius, intelligeretque, metamorphoſim illam nauium abhorrere à communi ratione, ac modo fingendi, aduocatis Muſis, à quibus illud inauditæ rei miraculum fama vulgatum apud antiquos accipere ipſe potuiſſet, reddit veroſimile, quod alioqui fuiſſet incredibile.

*Quis Deus, ò Muſæ, tam ſæua incendia Teucris*
*Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?*
*Dicite. priſca fides facto, ſed fama perennis.*

Id quod etiam aliàs facit in catalogis, multos enumeraturus, quorum nomina illi cognita eſſe non poterant, niſi ea accepiſſet à Muſis, quarum, & inſtinctu canere, & familiaritate vti poëtæ credebantur.

Hinc enim fiebat; vt crederent facilè legentes; poëtam aliquid ab antiqua fama traditum scire beneficio Musarum, quod ceteri prorsus ignorarent.

Sed tamen fingi non debuit, dicet aliquis, id fama tradi, atque à Musis dici, quod nè à Dijs quidem ipsis aliquando factum diceretur fuisse, aut fieri posse putaretur. quasi vero necesse sit, idem omnino factum esse, vt fieri posse credatur. Satis erat antiquis, id ex fabulis esse compertum, homines à Dijs fuisse sępe conuersos in arbores, arbores ipsas in homines; vt credibile putarent, ijsdem Dijs eam tributam esse facultatem, quæ Deas facere posset ex nauibus.

Atque hoc prorsus voluisse sibi crediderim Aristotelem in cap. illo vij. cum ait, ea esse incredibilia, quæ numquam facta fuisse scimus. puto, inquam, voluisse, id nos existimare fieri non posse, cuius aliquid genere saltem simile factum non sit. At multa huic nauium metamorphosi genere similia facta diuinitus existimasse veteres illos, & superstitiosos homines, docent fabulæ; quæ admirabiles, atque incredibiles quasdam celebrant mutationes lapidum, aliarumque rerum inanimarum in homines. Neque enim illi de Dijs suis opinionem ita restrictè parcèque consignarant animo, vt crederent eos non posse ex rebus inanimis Nymphas, ac Deas marinas facere, qui ex ijsdem nullo negotio facerent homines. nec tam excellentem Deorum, Dearumque suarum naturam esse intelligebant; vt plus putarent esse, Nymphas è lignis procreare, quàm è lapidibus homines extrudere. facere quippe ex lapidibus hominem, & ex ijsdem facere Nympham, ac Deam, nobis quidem genere similia non sunt, qui rectè de diuinitate iudicamus, sed antiquis erant genere similia, qui opiniones de Dijs informauerant animo crassas, & adipales.

Dicebat deinde hic Censor in prima illa sua, quam exposuimus, ratione, non constare sibi poëtam: cum canat, Iouem non posse naues seruare, quas possit facere Deas. sed redigere sibi debet in mentem, hoc etiam antiquos existimasse: fata supra Iouem esse; neque illum posse fata peruertere, aut immutare. Sunt Regibus serui, aiebat Philemon, Rex seruus est Deo, Deus necessitati. & Herodotus, præstitutam sortem ne Deo quidem fas esse, dixit, effugere. Quin Seneca ipse tam sapiens, in libello de prouiden. cap. v. huic antiquorum opinioni ita subscribit. Eadem necessitas, et Deos alligat: irreuocabilis diuina pariter, atque humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. semper paret, semel iussit. Concinit Lucanus in libro secundo.

*Finxit in æternum causas: qua cuncta coërcet,*
*Se quoque lege tenens.*

Cum ergo necesse haberet Iuppiter fatis parere; à quibus decretum iam

iam erat, vt naues illæ tandem aliquando perirent, non poterat eas ab interitu vindicare; quod vetabant fata; poterat tamen facere Deas, quod eadem fata patiebantur. Sed pugnant hæc inter se; Iouem condere fata, & eundem Iouem subesse fatis. pugnent, vt cetera superstitionis antiquæ dogmata: non tamen hinc sequitur, à Virgilio pugnantia fingi, qui suæ superstitioni congruentia, & consentanea dicit: sed tantum consequens est, antiquos locutos esse pugnantia de Dijs, quod & dandum, & clara voce profitendum est.

In secunda ratione contendebat, commentum illud esse superuacaneum: cum eius vi neque soluatur fabula, neque colligetur. Cui quidem criminationi (quoniam obijcitur idem) satis credo, responderi posset, repetendis ijs, quæ de Atlantis illa descriptione diximus in lib. Aeneid. iv. cum præsertim hoc episodium non à verosimili modo, quod esset satis, verùm etiam ex necessario nasci videatur. Nam quia diuinitus illæ naues tam sæpè fuerant in itinere ex tempestatibus ereptæ, quia erant ex sacris illis Berecynthiæ trabibus cõtextæ, quia Aeneam iam, Troianosq. in littus exposuerant ab oraculis designatum, emeritis quasi stipendijs, præmium reposcere videbantur. Consentaneum ergo rationi erat, non sic eas perire, atque putrescere, quemadmodum intereunt, & corrumpuntur ceteræ; sed laboris sui fructum aliquem capere diuinum, atque immortalem, illi similem, quem cepit Argo nauis: quam itinere à Dijs designato perfunctam fabulæ iam collocarant in cœlo. In quo sanè Virgilius antiquorum illa figmenta longè vincere videtur; cum non inter sidera referat, aut in sidera commutatas velit naues suas, quod iam vsitatum erat, sed euentu admirabiliore faciat Deas, quod à nemine fuerat excogitatum. Esse quippè fingendum quod admirabilius est, diximus ex Aristotele supra. Confirmo itaque hoc episodium esse necessarium, & cum alijs apposite fabulam, ac constitutionem poëmatis illigare. Illud enim Aristoteli est episodium necessarium, quod maximè congruens, & consentaneum est, vt disputauimus in lib. iv. de Atlantis descriptione.

In tertia ratione requirit idem Censor numerum nauium, quæ conuertuntur in Nymphas. Non enim hic numerus videtur constare; cum absit Aeneas aliqua naui sine dubio vectus ad Euandrum. Sed liberabo illum ista suspicione diuinando quod aliter scire, ac cognoscere non possum. Sic enim animum induco meum; eam nauem, quæ vexit Aeneam, redijsse in portum, atque vnà cum ceteris incendio corruptam fuisse. Aeneas enim ab Euandro digressus, in Etruriam terrestri perrexit itinere: reuertitq. demùm ad suos cum ea classe, quam ei Tyrrheni comparauerant. Ad hæc: ea nauis, quæ vexit Aeneam, non ex Idæ trabibus Berecynthiæ sacris contexta fortasse fuerat, sed in Si-

ciliæ littore tunc fabricata, cum multæ sunt incensæ à Troianis illis feminis in furorem actis.

In quarta ratione audacem, insolentemq. loquendi formam irridet, vtque magis irridendam proponat, poëtæ calumniam imponit, fingitque eum fecisse Parcas nentes nauium vitam, & ita locutum.

---------------- *& debita Parcæ*

*Fila legunt:*

cum ille multo sapientius dixerit.

*Ergo aderat promissa dies, & debita Parcæ*

*Tempora complerant.*

Parcam enim hoc loco appellauit eam necessitatem intereundi certo quodam tempore, quam omnibus rebus credebant impositam. Existimarunt enim veteres illi, omnia, quæ orirentur, siue animalia essent, siue plantæ, aut etiam ædificia, & vrbes, non modò suum habere Genium, à quo regerentur, verum etiam sub fati, Parcarumque esse potestate: quas idcirco multi dixerunt esse filias necessitatis. Voluerunt adeo esse tres per tria tempora diuisas, vt hanc fabulam interpretatur Aristoteles, siue auctor libri de Mundo: quarum vna res præteritas, altera venturas, tertia præsentes significaret; earumq. omnium euentum, ac finem certo tempore necessarium Parcam appellarunt. Id ergo sibi voluit Virgilius, cum dixit Parcas cõplesse tempora debita nauibus; aduenisse nimirum præstitutam à fato diem, quæ illis aliquando tandem imponeret necessariò finem. Quare nulla sunt fila, quæ ducant nauibus apud Virgilium Parcæ, sed complent tempus vnicuique rei etiam inanimæ circumscriptum. Quamquàm enim idem re ipsa videtur esse succidere tempus, ac succidere filum, ratio tamen vna, & forma loquendi conuenit in animantes solum, altera cadit in omnia propter opinionem illam antiquorum.

## LOCVS II.

## DE MELIORI PARTE DIEI.

### Quænam sit: & quàm in ea designanda Scriptorum sententiæ varient.

*Nunc adeo quoniam melior pars acta diei,*

*Quod superest, læti, bene gestis corpora rebus,*

*Procurate viri: & pugnam ſperate parati.*
Quia Turni verba ſunt hæc, nauibus incenſis, exultantis, ac de vallo, muriſque Troianorum aggrediendis, reſcindendiſque, cogitantis, dubitarunt Grammatici quid ſibi vellet cum diceret, præteritam iam eſſe meliorem partem diei.

Antequam de re quicquam ſtatuamus, illud ex antiquorum vſu repetimus quod maximè poſsit hunc locum illuſtrare: duplicem apud eos fuiſſe diem, vt eſt apud Gell. lib. iij. cap. ij. vnum in horas, hoc eſt in partes diuiſum æquales viginti quatuor; qui dies artificialis eſt: alterum, qui ortu, occaſuq. ſolis continebatur, in horas & partes diſtributum duodecim, & quidem inæquales; qui dicitur naturalis. Neceſſe enim erat has partes duodecim nunc augeri, nunc minui ſingulas, pro lucis ipſa, intra quam continebantur, varietate. Harum ergo duodecim horarũ diei naturalis, quæ hiberno tempore breuiores, æſtiuo longiores erant, ſex omnino toto anno negotijs tranſigendis dabantur, & labori; aliæ ſex quieti, balneo, conuiuijs, procurationi corporis tribuebantur: id quod Martialis expreſsit in lib. iv. epigrammate illo nobili, & ab omnibus iam in hanc ſententiam producto, ſemperq. producendo; quia rem digito deſignat in hunc modum.

*Prima ſalutantes, atque altera continet hora;*
*Exercet raucos tertia cauſidicos.*
*In quintam varios extendit Roma labores:*
*Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.*
*Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris.*
*Imperat extructos frangere nona toros.*
*Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum,*
*Temperat ambroſias cum tua cura dapes.*
*Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,*
*Ingentique tenet pocula parca manu.*
*Tunc admitte iocos. greſſu timet ire licenti*
*Ad matutinum noſtra Thalia Iouem.*

Significatum eſt idem breuiter ab incerto poëta in epigrammatis Græcorum, pulcherrimo ſane diſticho.

Ἕξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται. αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Quos verſus Volaterranus haud omnino bene ita Latinos facere conatus eſt.

*Sex horæ tantum rebus tribuuntur agendis:*
*Viueque poſt illas: littera Zetha monet.*

Exiſtimauit nimirum, nihil aliud auctorem ſibi velle, niſi nos à ſexta Græcorum littera ζῆτα, quæ ſeptimum ſignificat numerum, dictaq. videtur à ζῆν, quod eſt viuere, admoneri, vt poſt horas ſex negotijs,

curiſq. tributas, viuamus, hoc eſt procuremus corpus, & otium, requietemq. capiamus. Id ſanè verum aliqua ex parte eſt. Sed nec fideliter Græca vertit, nec ſatis aſſequitur poëtæ conſilium, qui hoc monitum non vult nobis tradi tantum à littera ζῆτα, ſed à ſequentibus etiam litteris, quibus aliæ demonſtrantur horæ. αἱ δὲ μετ' αὐτὰς γράμμασι δεικνύμεναι, Itaque videtur auctor ſcripſiſſe diſtichon illud in horologium aliquod, vbi primæ ſex horæ ſcriptæ ſex Græcorum notis arithmeticis eſsent, α β γ δ ε ϛ', aliæ ſex cõſequentibus ordine numeris; quorum primi quatuor ſunt ζ η θ ι, quas litteras ſi componas, efficies ζῆθι, & viue ſignificabis. Non ergo dicendum fuit, ζῆτα tantum nos admonere, vt viuamus, ſed litteras etiam proximè conſequentes. Rem adeo vidit melius, expreſſitq. fidelius ſententiam Alciatus hoc modo.

*In ſextam labor vſque horam. nam quæ inde notantur*
*Litterulis, vitæ commoda habere iubent.*

Expreſſit inquam ſententiam melius, ſed tamen in verbis ſolutior eſſe voluit, ac licentior. Quare viris doctiſſimis, & Græcæ linguæ ſcientiſſimis, cum ſententiam, tum ſingula etiam verba placuit Latinè ſic reddere.

*Sex horae ſat ſunt operis, quæ deinde ſequuntur*
*Ordine, litterulis viue notant homini.*

Quibus in hunc modum expoſitis, profero Adriani Turnebi primam interpretationem in Aduerſ. lib. iij. cap. xiv. qui meliorem diei partem cenſet nihil aliud eſſe, niſi maiorem. Maior, inquit, pars è duodecim horis, ſeptem primarum eſt: quæ cum exactæ ſunt, maior, & melior pars acta eſt: ſed multo magis cum exactæ ſunt octo, vel nouem, vel decem horæ, vt cum aduesperaſcit, quod tempus Turnus ſignificauit: tamen exacta ſeptima hora maior pars acta eſt, vel teſte locupletiſſimo Iuriſconſulto Paulo, qui ita ſcribit. Cuiuſque diei maior pars eſt horarum ſeptem primarum diei, non ſupremarum. Ita Turnebus hunc locum interpretatur, ratus, quod eſt, hic eſſe ſermonem de die illo, quem Romani diuiſerant in partes duodecim. Itaque totam cauſam, cur ab hora ſeptima, diei pars reliqua ſit deterior, confert in veſperam, quæ appropinquat, appetitq. paulatim: perinde ac ſi dicat, illam eſſe meliorem diei partem, quæ eſt maior; illam deteriorem, quæ reliqua eſt, & minor.

Altera interpretatio eſt Alciati Iuriſconſulti. Qui explicat rem amplius, cauſamq. nobis locupletiorem demonſtrat, cur reliqua diei pars deterior ſit, præterita melior, ſiue diem illum horis conſtantem inæqualibus, ſiue compoſitum ex paribus intelligere velis. Sic enim ipſe Pauli Iuriſconſulti locum eundem ex tit. de verbis ſignific. paulo ante productũ explanat, vt ſignificet, eum velle, partem diei reliquam eſſe deteriorem, quia minus accommodata rebus agendis eſt, ſiue il-

la maior sit, siue minor. fieri quippe potest, vt si ex eo die, qui constat horis viginti quatuor, totum illud secernamus temporis spatium, quo sol terras illustrat, inueniamus esse diuisum in horas quindecim æquales è quatuor illis, & viginti. Tum verò contendit primas sex, aut septem horas esse maiorem partem, hoc est meliorem; quia reliqua pars diei, quamquam maior est, est tamen deterior, nec rebus agendis tam opportuna. idque sibi voluisse ait Paulum Iurisconsultum, cum dixit. cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum, non supremarum. Cum enim hunc Pauli locum protulisset, hæc adiunxit verba, quæ dilucide id, quod diximus, explicant. vt meritò sequens pars, inquit, licet longior, tamen minor à Iurisconsulto existimata sit: quòd vespere non ita vegeti, promptique, sicut mane sumus. & hanc poëta noster Virgilius meliorem vocat. Hesiodus quoque, qui maturius manè operetur, tertiam operis partem conficere ait. Qui ergo à meridie ad occasum opus faciet, dimidiam operam prestitisse non dicitur, nec diurnæ mercedis dimidium meritò consequetur. Hactenus Alciat. meliorem diei partem non tam maiorem intelligens, quam matutinam; quæ melior esse videatur.

Tertiam interpretationem apud Nonium Marcellum inueni: quæ, quoniam & videtur acutior, & scriptoris est antiquissimi, erit procul dubio ceteris anteferenda. Censet ergo Marcellus in cap. i. de compendiosa doctrina, primam diei partem à Virgilio dictam esse meliorem, ex viuentium ætate animalium desumpta metaphora. Aetatis enim melior ea pars est, quæ posteriores antecedit, quæque nacta nomen est iuuentutis. In ea quippe vires non modo vigent, sed augentur, & crescunt: adeoque cum ceteris comparata partibus, quæ deteriores sunt, & melior, & optima dicitur ab eodem Virgilio.

*Optima quæque dies miseris mortalibus ægris*
*Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,*
*Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.*

Meritò itaque posteriorem ætatem, quæ iuuentutem sequitur, idem Marcellus appellat malam. malam enim docet ab antiquis dictam esse senectutem, in primisque à Plauto in Amphitr. *An mala ætate vis male mulctari exemplis omnibus?* & à Turpilio Comico. *Miserum puto, si etiam istuc ad malam ætatem accessit mali:*

Cum ergo senectus ætas mala dicatur, iure iuuentus ipsa bona, siue melior dicetur ætas: & prior diei pars, quæ videtur quædam esse iuuentus lucis, melior dici debet, quàm partes eiusdem lucis posteriores. Operæ pretium est, ipsa Nonij Marcelli verba proferre. Bonam ætatem quoque dicimus adolescentiam, vel iuuentutem. inquit M. Tull. de senect. Quod si ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius, primum paruulis fruitur rebus. Nam prudentissimè noster

Maro

Maro diei partes primas quasi eius ætatem puberem meliorem dixit in lib. ix.

*Nunc adeo melior quoniam pars acta diei.*

Hæc eo loco Marcellus tradidit, quæ id maxime confirmare queunt, quod ab Alciato dicitur de matutinis horis multò magis accommodatis, opportunisque ad res agendas, quàm pomeridianis, & vespertinis. Nam qui primas illas horas meliorem diei partem, & quasi diei iuuentutem appellat, demonstrat haud dubiè eam partem esse, quæ negotia quasi iuuentus quædam acerrimè transigat, reliquas consequẽtes esse eas, quæ à curis alienæ grauioribus sint, & tamquàm otio quodam, ac senectute tabescant. Quod si miretur quispiam, nec facilè credat, à Virgilio, qui tam verecundis vtitur metaphoris, diem dici iuuenem, aut senem; meminerit necesse est, ab eodem Virgilio diem tumulo etiam condi, componique sepultura cum occidit,

*Ante diem clauso componet vesper Olympo.*

Saepe quippe apud Latinos componere est humare, ac sepelire. atq. hanc sequutum opinor metaphoram Statium cum dixit in Theb. x.

*Condiderant iam vota diem.*

---

## LOCVS III.

## AN VERA SINT QVAE DE PVERIS GELV *duratis in Italia, commemorantur.*

*Non hic Atridæ, nec fandi fictor Vlysses.*
*Durum à stirpe genus. natos ad flumina primum*
*Deferimus, sæuoque gelu duramus, & vndis.*

Ita Numanus ille; cui Remulo cognomen erat, in Troianos vallo circumseptos inuehitur: & quia falsa gloria videtur insolenter efferri, facit vt multorum pateat reprehensioni Virgilius. Dicunt enim, illum morem Germanis, siue Celtis, Spartanis, ac Liguribus fuisse proprium; qui filios primum natos, fluminibus, ac frigidis aquis durabant; non Italis, & ijs, qui degebant in Latio. De Liguribus commemorat hoc Possidonius, & Aristoteles, vt docet Petrus Victor. lib. xxxiv. var. cap. ij. De Spartanis Seneca in lib. Suasoriarum primo. Omnibus, inquit, sua decora sunt. Athenæ eloquentia inclytæ habebantur: Thebæ sacris, Sparta armis. Eurotas amnis hanc circumfluit; qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.

Confirmat

Confirmat eadem de Spartanis Plutar. in Lycur. De Germanis ſcripſit hoc Galenus in lib. primo de valetudine tuenda, eum morem conſtantiſſimè reprehendens. Quis noſtrum, inquit, pateretur puerum tum primùm natum, & calidum adhuc ad fluuium deferri, ibique, quemadmodum fieri dicitur à Germanis, tamquam ferrum candens ſic aquis demergi ad naturæ vim explorandam, corpuſque reddendum robuſtius? Ita Galenus. Verum alij non hanc Germanis fuiſſe cauſam dicunt, cur demergerent infantes: ſed quod explorare vellent coniugum fidem, & ex ea demerſione diſcere, incorruptine, ac puri partus eſſent, an adulterini, & ſpurij. Scuto enim, ſtatim vt nati eſſent, exceptos pueros imponebant in Rheno. quod ſi ſcutum cum infantulo fluitaret, nec mergeretur, illum pro vera, & germana ſobole habebant, ac educabant. ſin autem abſorberetur profundo, ſpurium exiſtimabant fœtum, ac propterea, non tollebant, ſed abripi fluctibus, ac mori ſinebant in fluuio. id quod breuiſſimè perſtrinxit Claudian. in Rufin. lib. ij.

*Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.*

Amplius quippe de tota re ignotus auctor in lib. primo Græcorum Epigrammatum luculentis explicauit verſibus, quos fecerunt Latinos Ioannes Baptiſta Pius, & Ianus Parrhaſius. Placet vtriuſque interpretationem hic ponere, ac primo quidem Ioannis Baptiſtæ Pij.

*Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno*
*Explorant. non hos genitrix prius vbere largo*
*Alma fouet, vitreas fluuij quàm venit ad vndas.*
*Lympha nouum capit alma genus: quod remigis inſtar*
*Vmbo regit, fluidique effulcit corpus alumni:*
*Et fœtum ſic vnda probat, lectumque iugalem*
*Damnat adulterij, fœdo ſi decolor igne.*
*Poſt dubios genitrix caſus memor Ilithiæ*
*Ancipitis, fulcit gelidis in fluctibus ortum*
*Anxia deſpiciens cui mobilis annuat vnda.*

Ianus vero Parrhaſius paulo aliter eoſdem verſus Latinè vertit, videturq. totam epigrammatis ſententiam magis contrahere.

*Audaces rapido dubios in gurgite partus*
*Explorant Celtæ, donec dijudicet vnda.*
*Hæ numquam capiunt gentes noua pignora matrum,*
*Quàm prius imponant clypeo. tum flumina monſtrant*
*An genus obliquum fuerit. poſt mater ad vndas*
*Egelidas tendit, natos viſura recentes,*
*Et ſuſpenſa timet Cenſoris flumina Rheni.*

Idem plane Celtarum inſtitutum Iulianus Cæſar Apoſtata in epiſt. ad Maximum indicat, explicatque ad hunc modum. Non eſt Rhenus

iniquus

iniquus aduersus Celtas, demergens adulterinos partus, legitimos subleuans. ita enim repetit poenas violati tori. Meritò itaque Nonnus in Dionysiacis Rhenum dixit ἐλεγχεγάμον iudicem, vindicemque coniugij. Hæc, inquam, omnia demonstrant, illam Celtarum consuetudinem, & perantiquum morem eò spectasse, vt exploraretur coniugum fides, non vt pueri durarentur frigidis aquis. Fieri tamen potuit, vt ea demersione sequerentur, & agerent vtrumq; hoc est, vt explorarent genuinos partus, & eosdem frigidis aquis durarent, redderentq. ad vsum militiæ robustiores. Vtcumq. res fuerit de Germanis, aliarum profectò gentium istum morem fuisse contendunt proprium, non eorum de quibus loquitur tam gloriosè Numanus. ex quo sequi volunt, imprudenter, & supra quàm poëtis liceat, mentitum esse in ea concione Virgilium. Respondent nonnulli, fas esse poëtis, aliquos certarum gentium mores ad eas nationes transferre, quæ illis moribus non vtantur. idque factum dicunt à Statio: cum in lib. Silu. iv. Silu. vj. non dubitauerit Hannibalem appellare Regem, qui Carthagine in libera ciuitate natus esset: vbi nullus creandorum Regum erat mos, sed Magistratuum, & Præfectorum.

*Mox Nasamoniaco decus admirabile Regi.*

Sed quia Statius Regem dixit eum, qui regeret exercitum, more Latinorum, apud quos singuli Præfecti, Rectoresq., immo etiam magistri, institutores, præceptoresq. dicuntur reges, vt est apud Horatium,

*Actæ non alio rege puertiæ,*

quia, inquam, in hanc sententiam Statius Hannibalem appellauit Regem, nec alium afferunt auctorem idoneum, qui doceat, ad alias gentes transferri posse nationum aliquos mores, & instituta propria, dixerim ego potius, Virgilium nihil esse commentum ex ingenio, sed tradidisse pro comperto quod obscurè, dubièque circumferebatur. Strabo quippè confirmat in lib. v. Romulum, ac Remum in Tyberim fuisse proiectos ex quadam eius regionis consuetudine perantiqua. Id ergo cum diceretur, & obscura fama vulgatum esset, satis Virgilio fuit, vt faceret ita gloriantem Numanum, & caneret versibus, ijs temporibus tam antiquis solitos fuisse illos Italiæ populos demergere pueros, qui postea Romulum, & Remum expositos ex ea consuetudine in Tyberim proiecissent.

Itaque vt respondeam ijs, quæ principio posuerunt isti pro rebus exploratis, ac certis, nego gentium illarum ita fuisse proprium eum morem, vt à nullis præterea vsurparetur. Nam de Thracibus docet eadem Valer. Flacc.

*-------------- vbi tam sæuo durauimus amne*
*Progeniem, natosq. rudes.*

De Cantabris Strabo. Ait enim Cantabricas foeminas, cum primum pepe-

pepercerũt, ſuo loco viros decumbere iubere, ipſaſquemet infantes abluere, atque inuoluere, ad alueum alicuius fluuij eos acclinantes.

Ac erat profectò idonea cauſa, & ratio, cur Virgilius, famam illam quantumuis leuem, ac coniecturam ſecutus, quam paulo ante indicauimus, diceret, Italos ita duriter educari. debuit enim effingere ferociſſimos eos populos antequam molliori diſciplina manſuefacti fuiſſent; & demonſtrare, ab idonea profectos inſtitutione eſſe, qui poſtea bellicoſiſſimi, & habiti ſunt, & fuerunt. Admonet quippe Ariſtoteles in vij. lib. Politicorum cap. 17. parentes, vt teneros adhuc filios perferendis frigoribus aſſuefaciant; ne frigora ipſa corpus lædant, aut aegrotationes, ac morbos afferant, cum inciderint: afferrent autem, ſi acciderent pueris noua. Quin ita vult etiam Theodoſius Imperator informari, & educari Regios pueros, vt iubeat apud Claudianum,

*Frigora ſæua pati, grauibus non cedere nimbis,*
*Aeſtiuum tolerare iubar, tranſnare ſonoras*
*Torrentum furias, aſcenſu vincere montes,*
*Planitiem curſu, valles, & concaua ſaltu.*
*Necnon in clypeo vigiles perducere noctes,*
*In galea potare niues, nunc ſpicula cornu*
*Tendere, nunc glandes Baleari ſpargere funda.*

At aliqui ſcriptores, Germanorum fuiſſe proprium dicunt eum morem. Dicant vt libet. ignorarunt videlicet, aliarum etiam fuiſſe gentium communem, de quibus ipſi nihil acceperant, ſed acceperunt tandem aliquando alij, qui nobis ſua monumenta reliquerunt.

---

# LOCVS IV.

## DE AQVILA ET CYGNO.

### Vter eorum in certamine vincatur.

*Quem Turnus pariter curſu, teloq. ſecutus*
*Increpat his victor. Noſtraſne euadere demens*
*Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum*
*Pendentem, & magna muri cum parte reuellit.*
*Qualis vbi, aut leporem, aut candenti corpore cygnum*
*Suſtulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis.*

Compa-

Comparationem hanc improbarunt aliqui, Virgilium accuſantes inſcitiæ: quòd nimirum ignorauerit, aquilam à cygno in certamine vinci, non vincere: quemadmodum Ariſtoteles in lib.ix.hiſtor.anim. docet. Cuius verba latinè ſic reddidit Theodorus Gaza. Olores etiam planipedes ſunt, & apud lacus, paludeſque viuunt. aquilam, ſi pugnam ceperit, repugnantes vincunt. Et quoniam hæc reprehendi comparatio non poteſt, quin alia quoque reprehendatur in primo Aeneidos, damnant vtramque;immo vero multo magis accuſant illam, quæ eſt in primo: cum in ea non vnum faciat cygnum ab aquila victum, ſed profligatos multos, gregatim, confertimque agmine facto volantes.

*Aſpice biſſenos lætantes agmine cygnos,*
*Aetheria quos lapſa plaga Iouis ales aperto*
*Turbabat cælo, &c.*

Hæc enim comparatio omnem omnino defenſioni aditum obſtruit, quem patefacere videbatur ille multitudinis numerus, aquilæ repugnans,vt dicit Ariſtoteles.Potuiſſet enim aliquis reſpōdere,Ariſtotelem non cygnum dicere,ſed cygnos,hoc eſt multos,& gregatim collectos aquilam vincere, Virgilium autem cygnum vnum ab aquila ſuperatum fingere. Potuiſſet, inquam, aliquis ita rem eludere. ſed hoc cygnorum agmen ab aquila victum intercludit effugium.

Duo tamen ſupereſſe mihi videntur ad defenſionem accommodata præſidia. Primum eſt: ſi dicas, hoc in aliena eſſe peccatum arte, non in ipſa poëtica. erratur enim ex ignoratione naturalis hiſtoriæ, earumque rerum, quæ traduntur in phyſicis. Itaque peccatum eſt aduentitium, & accedens extrinſecus,quod poëtis ab Ariſtotele condonatur,vt alibi diximus,hoc eſt in Prolegom.Defenſ.i. Secundum: ſi confirmes, quod etiam ſupra docuimus, ex Ariſt. poëtas eligere debere potius quod falſum eſt, modò vulgo credibile ſit, quàm verum, quod eidem vulgo ſit incredibile. At vulgo multo magis eſt veriſimile, cygnum ab aquila vinci, quàm aquilam à cygno. Omnes enim ſic putant, & ita vulgo perſuaſum eſt: aquilam omnium eſſe Reginam auium, & dominatum in omnes accepiſſe, vt canit Horat.

*Qualem miniſtrum fulminis alitem,*
*Cui Rex Deorum regnum in aues vagas*
*Permiſit, &c.*

Quam vulgi opinionem, & veriſimilitudinem popularem, atque vendibilem eo magis anteponendam veritati putauit fortaſſe Virgilius, quòd vidiſſet ab Euripide in Helena illud ipſum de aquila traditum: cygnos nimirum in fugam verti ab aquila ac ſuperari. Ibi enim Iuppiter cygni ſpeciem ementitus ad occupandam, & comprimendam Ledam, iubet Venerem aquilæ formam ſumere, ac ſe ipſum,

cygnum iam factum insectari, vt per simulationem timoris in eius feminæ sinum conuolare possit.

---

# LOCVS V.

## *DE INARIME.*

### An aliquid erratum sit in huius conformatione vocabuli.

*Tum sonitu Prochyte alta tremit, durumque cubile*
*Inarime Iouis imperijs imposita Typhoeo.*

Grammaticorum huc etiam impetus omnium est, eo nomine Virgilium oppugnantium, quòd Græcæ linguæ vim vel non probè tenuerit, vel hoc loco non considerarit. Putant enim hanc eum vocem[Inarimen]ab Homeri catalago mutuatum, vbi dicitur Typhoeus esse sepultus in Arimis, hoc est, apud populos Arimos. versus eius sic legitur.

Εἰν ἀρίμοις ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Et quoniam alij quoque poëtæ Virgilium fortasse secuti, Inarimem scribere, ac dicere non dubitarunt, inuoluuntur in hac reprehensione cum principe. Reprehendunt itaque Valerium Flaccum, quòd dixerit.

*Vt magis Inarime, magis vt mugitor anhelat:*

Silium Italicum, quòd canere sit ausus in lib. viij.

*Non Prochyte, non ardentem sortita Typhoea*
*Inarime, &c.*

Accusationis caput, ac summa illa est; quòd non viderit eam vocem apud Homerum non esse compositam, sed Arimos illos populos Ionum præpositioni fuisse appositos, qui loco ἐν dicunt εἰν; adeoque ibi significari, Typhœum sepultum fuisse ἐν Ἀρίμοις, in Arimis, hoc est in ea regione, vbi populi sunt ἄριμοι: qui dicti videntur esse à Strabone in lib. xvi. etiam Arimæi. Eos inquit, appellat poëta Arimos, quos Possidonius ait esse accipiendos non in loco vllo Syriæ, vel Ciliciæ, vel alterius terræ, sed Syriam ipsã. Nam Arimaei sunt qui eã habitant. Et fortasse Græci eos Arimæos, vel Arimos appellabant. nominum enim mutationes permultæ sunt. Ita rem explicat Strabo, & Homerum ipsum interpretatur. Quod si verum est, frustrà Plin. in lib. xxvij.

cap. x.

cap.x. ait Inarimen ab ipsomet nominatam Homero : cum præsertim in omnibus omnino codicibus, & apud Eustathium etiam, ac Stephanum scriptum sit εἰν ἀρίμοις. Tria sunt ergo, vt colligamus omnia, quæ Virgilius, vt isti contendunt, minimè vidit : populos illos Arimos fuisse, non Inarimos ; eosdem populos in Syria, vel Cilicia positos, non prope Prochytam, quæ in mari Tyrrheno est : Typhoeum denique non prope eandem Prochytam, sed in Syria sepultum fuisse.

Sed omnia eum vidisse, ac nihil in eo peccasse facile intelligemus, si teneamus Aristotelis defensionem vj.in cap.xxiij.ab eo propositam, expositamque à nobis in proœmio. Ibi enim diligenter animaduertere nos iubet Aristot. an vocabulum, quod reprehenditur, simile sit vocabulo alicuius alterius linguæ.fit enim sæpe,vt apud varias gentes eiusdem omnino vocis varia notio sit. Atque ideo monet, vt videamus, ne fallatur animus similitudine vocabuli. Id, inquam, si hoc attendamus loco, vacare Virgilium omni culpa comperiemus. Non enim ille populos Syriæ Arimos, aut regionem, ac terram, quam incolunt Arimi Græca lingua designat,cum Inarimen dicit, sed Latina, & sua commemorat Insulam Pythecusam, siue Aenariam, quæ dicitur etiam Ischia, sitam è regione sinus Puteolani. Inarime vero hæc insula appellata latinè est ab Arimis, siue hominibus siue belluis. Arimi enim Etruscorum lingua dicebantur olim simiæ, quas Græci Pythecos nominant. Accepimus verò Pythecusæ nomen huic Insulæ postea factum esse, propter simias, vel propter homines simijs similes,à quibus ea Insula teneri credebatur. Causam ex fabulosa narratione tradunt Harpocration, Xenagoras, & Suidas : affirmantes, à Ioue propter immania scelera quosdam homines, qui Cercopes dicebantur à Græcis, hoc est impostores, fuisse commutatos in simias: Insulasque, quas habitarent,dictas esse Pythecusas. Quin Ouidius in lib. metam. xiv. nominatim id accidisse canit prope Prochytam in Insula Aenaria, quam item Inarimen dicit, vel in aliquo eius Insulæ colle ; vbi scopuli essent, qui dicerentur Pythecusæ.

*Inarimen, Prochytamque legit, viridique locatas*
*Colle* Pythecusas,*habitantum nomine dictas.*
*Quippe Deûm genitor fraudem, & periuria quondam*
*Cercopum exosus, gentisque admißa dolosæ,*
*In deforme viros animal mutauit, vt ijdem,*
*Dissimiles homini possent, similesque videri.*

Non igitur vlla poëtæ fuit inconsiderantia, vel ignoratio Græcæ linguæ, quæ iunctis vocibus Inarimem conflauerit : sed summa prudentia, atque cognitio latinæ, qua sciebat, antiquos eam Insulam appellasse Inarimen ; non quidem à populis illis Syriæ, sed à simijs. Ini-

quissimum

quissimum verò est illo accusari nomine, quòd quæ latinè tantummodo dicas, ea è Græcis fontibus male, ac perperam corriuaueris.

Vnum superest, quod de sepulcro Typhoei obijciebatur. Sed hoc etiam accusationis caput amputabit Aristoteles. qui, quemadmodum diximus in procem. Defens. vlt. dat poëtis veniam, vt à vulgari discedant interdum opinione, & alicuius prudentis hominis, paucorumque sententiam eligant, ac sequantur. Scimus verò, non omnes omnino scriptores in Syria vel Cilicia sepultum velle Typhoeum: sed esse aliquos, qui in hac Pythecusa, de qua loquimur, humatum dicant. qualis est Apollonij interpres in lib. ij. Argonaut. laudatque testem, & auctorem Pherecidem, quem disertè ait tradidisse, Pythecusam insulam iniectam fuisse, impositamque Typhoeo.

# LOCVS VI.

## DE TYBERI FLAVO

### An hoc adiunctum, in fluuium illum nobilem rectè conueniat.

*Tum demum præceps saltu se se omnibus armis*
*In fluuium dedit. ille suo cum gurgite flauo*
*Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis.*

Turnus est, qui molli Tyberis alueo sic exceptus, quærendi nobis imponit curam, an rectè Tyberis dicatur à Virgilio flauus. Dubitandi causæ sunt duæ. Prima, quia cæruleus alibi dicitur ab eodem Virg. in lib. viij.

---------- *Ego sum pleno quem flumine cernis*
*Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,*
*Cæruleus Tybris, cælo gratissimus amnis.*

Altera, quia Tyberis aquæ albæ verius sunt, quàm flauæ, aut ceruleæ. Idcirco enim antequam hic fluuius Tyberis nomen accepisset à Tybri Albanorum Rege ibi demerso, appellabatur ab antiquis Albula. id quod apud Virgilium ipsum in lib. item viij. ita testatur Euander.

*Tum Reges, asperque immani corpore Tybris,*
*A quo post Itali fluuium cognomine Tybrim*
*Diximus; amisit verum vetus Albula nomen,*

Hanc ego controuersiam breuissime componam Hesychio præeunte:

quem video docere; ξανθὸν apud Græcos esse quidem id quod flauum latinè dicimus, sed tamen interdum epitheton esse pulcritudinis: ita prorsus, vt quem pulcrum, ac formosum dicere volunt, eum nominent sæpe ξανθὸν Id vero vsu venit ex vi synecdoches. cui ea facultas, ac venia est, vt speciem sæpenumero substituat generi. Hinc enim fit, vt quia color ille flauus species quædam est pulcritudinis, possimus eos, quos pulcros vniuersè dicere volumus, appellare flauos. Hac ergo licentia, figuraque vsus Virgilius, cum pulcrum hic dicere vellet Tyberim, quem in lib viij. pulcherrimum dixerat, his verbis,

*--------quocumque solo pulcherrimus exis,*

flauum appellauit: & quidem haud minus bene, atque appositè, quàm Horatius, ode illa celeberrima cecinerit.

*Vidimus flauum Tyberim.*

Nec aliud profectò spectasse Catullum, aut sibi voluisse suspicor, cum Mellam Galliæ Cisalpinæ fluuium colore minime flauo præditum flauum tamen nominauit in epigrammate ad Ianuam, nisi vt intelligeremus pulcrum vniuersè pro flauo.

*Flauus quam molli percurrit flumine Mella*
*Brixia Veronæ mater amata meæ.*

Nullus enim est è scriptoribus antiquis, aut ex ijs, qui Mellam viderint, qui dicat eum fluuium esse flauum.

Eiusdem vsu figuræ video præterea nonnumquam à poëtis res eximiè, insigniteque pulcras dici purpureas. purpureum enim, quia species alia quædam est rerum pulcrarum, poni pro genere potest, quod factum à Virgilio videmus in primo Aeneid. vbi dicitur.

*----------------- Lumenque iuuentæ*
*Purpureum.*

Et alibi.

*------------------ & lumine vestit*
*Purpureo.*
*----- Pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.*
*In mare purpureum violentior influit amnis.*

Quæ omnia epitheta pulcrum vbique significare docet Seruius & Nicol. Erythræus in Indice. Quin apud Gell. lib. xviij. cap. xj. Furij veteris poëtæ versus sunt, in quibus euri dicuntur purpurare mare, hoc est facere, vt nitescat, & pulcrum sit, vel facere nitescere; quemadmodum ipse confirmat Gell. Furiana hæc sunt, inquit: quod terram in lutum versam lutescere dixerit, & tenebras in noctis modum factas, noctescere; & pristinas recuperare vires, virescere: & quod ventus mare cæruleum crispicans nitescere facit, purpurat dixerit; & opulentum fieri opulescere. Versus autem ipsos ex poëmatis Furianis, in quibus hæc verba sunt, subdidi.

Sanguine

*Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit.*
*Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ,*
*Increscunt animi, virescit vulnere virtus.*
*Sicut fulica leuis volitat super æquora classis,*
*Spiritus eurorum virides cum purpurat vndas;*
*Quo magis in patrijs possint opulescere campis.*

Ipse etiam Columella, vt opinor, pulcritudinem commendat in viola, cum eius colorem describit purpureum. quam enim pallentem dicit, eandem purpuream nominat,

*Tum quæ pallet humi, quæ frondes purpurat auro*
*Ponetur viola.*

Eadem eidem verbo sententia est, sed alia, hoc est, vsitata grammaticæ lex apud Tull. in Acad. Quid mare, inquit, non ne cæruleum, aut eius vnda, cum est pulsa remis, purpurascit?

Quod si hæc testimonia non omnino probantur omnibus, vnum est apud Horat. cui refragari nemo possit in od. j. lib. car. iv. Appellat enim olores, ac cygnos purpureos, hoc est pulcros, ita Venerem alloquens, quæ cygnis vehitur, & oloribus albis ad currum adiunctis.

*Tempestiuius in domo*
*Pauli purpureis ales oloribus*
*Comessabere Maximi.*

Neque enim alia potest esse idonea causa, cur aues ita candidæ dicantur purpureæ, nisi quia pulcræ sunt. Dictos quidem ibi olores purpureos ob rostra, vel crura purpurea, alijsue de causis, putarunt aliqui: sed quod diximus placet multo magis viris doctis. Maneat ergo, Tyberim flauum esse Tyberim pulcrum.

Superest vt videamus cur cæruleus etiam dictus sit, quando de hoc etiam adiuncto incidit non modo mentio, sed etiam quæstio. Seruius eo loco, caeruleum, altum, ac profundum interpretatur. Causam eius interpretationis ipse non aperit, nec ego possim facile diuinare. An quia quemadmodum cælum, à quo cæruleum dicitur, est altum a nobis, excelsumque, sic Tyberis altus est, atque profundus? Mirum hoc mihi videtur: nec in animum inducere possum, tam altè, longeque repetere illud adiunctum voluisse Virgilium. An quia cæruleum nigro videtur esse finitimum, significabitque propterea poëta, esse Tyberim altum, quemadmodum apud Homerum fluctus niger, altus est fluctus, ac mare profundum? Hoc verò multo magis mirum esset in Tyberi, qui numquam, vt mare, tempestatibus nigrescit, aut fluctibus concitatur.

Existimo itaque cæruleum Tyberim eo loco dici ab accersito, aduentitioque colore, qui fluuijs accidit ex aëris luce varia, & ex impendentibus, atque inumbrantibus circa frondibus arborum. Duo

quippe singulis fluminibus colores sunt: alter insitus, ac natiuus: alter extrinsecus accidens ab aëris luce, ab arundinibus, ac virgultis imminentibus. Prior ille varius est pro locorum, alueorumque varietate. posterior est semper cæruleus. Ducit me in hanc coniecturam Cornelius Fronto Grammaticus, qui cærulum, ac cæruleum hoc inter se differre docet, quod cærulus naturæ color sit, hoc est insitus, & rebus naturalis, cæruleus naturam fingens, hoc est accersitus, atque aduentitius aliunde; qualis omnino hic est Tyberinus apud Virgilium, de quo disputamus. Itaque tametsi natura, & insito colore albus est, dici tamen ab accersito, atq; aduentitio, cæruleus potest.

*Finis Libri Noni.*





# LIBRI DECIMI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

## *DE ALTERO CATALOGO*

### An Etruriæ, Italiæque loca ordine perturbato recensere Virgilio licuerit.

*------------------- Aeneia puppis*
*Prima tenet rostro Phrygios subiuncta leones:*
*Imminet Ida super, &c.*
*Massicus ærata princeps secat æquora Tigri, &c.*



NQVIRIT amplius in hunc catalogum idem ille Macrobius, qui alterum exagitauit in septimo. Ait ergo longe à magistro suo discessisse Virgilium in hac nauium, & ducum serie contexenda. Homerus enim cum seriem texit, inquit, prætermissis Athenis, à Lacedæmonijs, atque à Mycenis ipsis, vnde rector exercitus originem ducebat, initium fecit. inde progrediens, modò mediterranea, modò maritima iuncta describit. hinc rursus ad vtrumque situm cohærentium locorum describendum accedit: nec vllo saltu cohærentiam regionum in libro suo hiare permittit. Contra Virgilius, nullum in commemorandis regionibus ordinem seruat, sed locorum seriem saltibus lacerat. Adducit primum Clusio, & Cosis Massicum: Abbas hunc sequitur manu Populoniæ, Iluæque comitatus. post hos Asylam misere Pisæ: quæ in quàm longinqua sint Etruriæ parte notius est, quàm vt adnotandum sit.

dum sit. Inde mox redit Cerete, & Pyrgos, & Grauiscas. Hinc rapit illum Cygnus ad Liguriam, Ocnus Mantuam. Sed nec in catalogo auxiliorum Turni, si velis situm locorum mente percurrere, inuenies illum continentiam locorum secutum. Hactenus Macrobius. Reprehendit in summa poëtam ideo, & in eo peccasse contendit, quod regiones non percensuerit ordine, sed perturbatè, atque confusè.

Verùm hoc nullum omnino peccatum est: quia locorum ordinem, ac seriem in enumerationibus sequi poëtam non est necesse; cum is ordo ab ipsis etiam historicis negligatur. Nam Thucydides historicorum optimus in lib. iij. aggressus scribere de Mitylenæis, antequam narrationem illam absolueret, ad Lacedæmonios diuertitur: quorum rebus gestis non dum ad finem narrando perductis, Plateensium obsidionem commemorat; eamque mox inchoatam relinquens, Mitylenensis iterum belli mentionem inculcat: deinde Corcyræ seditionem arripit: quam ne perficit quidem, sed statim de Atheniensium priore in Siciliam expeditione paucissima narrat. Tum eorundem Atheniensium in Peloponnesum nauigationem, & Lacedæmoniorum aduersus Dorienses bellum complexus, in ea transitum repente facit, quæ ad Leucadem à Demosthene duce gesta sunt. Indè in Aetoliam, ac post Naupactum abit: quarum gentium prælijs non dum prorsus absolutis, Siciliam rursus attingit. Ad extremum quemadmodum Delus expietur exponit, Argiuosque, & Amphilochicos ab Ambraciotis oppugnatos relinquit. Sed dices, hanc Thucydidis narrationem in tam multas concisam partes reprehendi à Dionysio Halicarnassensi in Iudicio de Thucydide. Respondeo, à Dionysio non reprehendi locorum ordinem peruersum, confusumque, sed ordinem temporis, quem sequi maluerit Thucydides, quàm ipsam seriem, ordinemque rerum gestarum. quo factum sit, vt necesse fuerit loca confundere, & peruerso numerare ordine, dum singula exponenda bella sunt, quæ eodem anno vel anni parte eadem varijs locis exoriuntur. Sic enim eam reprehensionem exorditur Halicarnasseus. Cumque nouam quandam, neque ab alijs tritam inire voluisset viam, in æstatem, & hyemes historiam partitus est. Contendit postea, melius eum consulturum fuisse narrationi suæ, si rerum secutus seriem fuisset: sed de locorum perturbatione loquitur nihil. Quin loca ipsa perturbato enumerare ordine necesse fuisset, etiamsi rerum seriem secutus esset. nascitur enim sæpissimè aliud ex alio bellum diuersis in locis, quae necesse est ab historico commemorari, non commemoratis intermedijs, dum ipse sequitur rerum seriem inter se connexarum, & reliqua repudiat, quae seriem illam continuare non possunt.

# LOCVS II.

## AN VIRGILIVS PLVRES, pugnantesq. secutus opiniones sit de mortalium obitu fatali: & an ei sequi licuerit.

*Stat sua cuique dies: breue, & irreparabile tempus*
*Omnibus est vitæ.*

Huius loci sententia videtur pugnare cum ea, quam exposuit in libro quarto moritura Dido, in Aeneam accensa.

*Sed cadat ante diem, mediaq. inhumatus arena.*

& cum ea, quam ipsemet exprimit poëta in fine libri eiusdem iv. cum de Didone loquitur vulnerata iam, & cum morte luctante.

*Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,*
*Non dum illi flauum Proserpina vertice crinem*
*Abstulerat.*

Nam quæ magis esse inter se pugnantia possunt, quàm hæc: vnicuiq. mortis diem à fato esse præstitutam, & tamen aliquem posse mori ante præstitutam à fato diem?

Exploratissimum est, fuisse varias ea de re sectarum opiniones, cum alij fatalem moriendi necessitatem ita crederent nobis ad certam diem, atque horam impositam, vt viuendi spatia nullo modo contrahi posse putarent, dicerentq. neminem omninò mori ante diem illum, quem fata designassent, & vitæ terminum esse voluissent: alij contra existimarent, illud vitæ tempus, quod vnicuiq. dedissent fata, posse contrahi, & succidi ferro, aut alio genere interitus fortuiti: vt disputat Gell. in lib. xiij. cap. j. illa Mar. Tullij verba perpendens ex Philippicis. Sed & si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterq. fatum) huius diei vocem testem Reip. relinquerem. Quo loco demonstrat præterea Gell. hanc opinionem aliorum quoque fuisse, Homeri præsertim, atque Demosthenis. Hoc, inquam, exploratum est; varias in hoc genere fuisse opiniones antiquorum, quæ sectas diuiderent sapientium in partes duas.

Sed compertum illud etiam esse debet; Virgilium secutum esse, ac probasse opiniones hasce varias duas in varijs sanè locis operis sui. Hic enim moriendi diem vult esse certum, & eum, qui mutari vllo ca-

ſu, vllaue ratione non poſſit: in lib. iv. eundem diem anticipari poſſe confirmat, & genere aliquo interitus violenti contrahi ſpatium illud viuendi, quod fata decreuerunt. Sic enim eum Virgilij locum interpretatur Aulus Gell. qui cum verba illa Ciceronis explicaſſet, de Virgilio hæc adiunxit. Illud tamen non prætermittendum eſt, quòd Virgilius quoque id ipſum, quod Cicero, de fato opinatus eſt: cum hoc in quarto libro dixit de Eliſa; quæ mortem per vim potita eſt.

*Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.*

tamquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta ſunt non videantur è fato venire. Ita, inquam, Virgilij ſententiam nobis explicat Aulus Gellius: quam planius fortaſſe demõſtrat Seruius ex illo eiuſdem lib. iv. verſu.

*Sed miſera ante diem, &c.*

Haec enim interpretatus verba: non eſt contrarium, inquit, quod dixit in decimo.

*Stat ſua cuique dies.*

nam, vt ſæpè diximus, ſecundum ſectas loquitur: & hoc ſecundum alios dictum eſt.

Cum igitur hæc explorata, & certa ſint, videndum eſt an liceat poëtis in eodẽ opere varias, eaſdemq. inter ſe pugnantes opiniones ſequi. Si Seruium audimus, ſine dubio licet. ſed præſtat huic Grammatico grauiſſimos etiam philoſophos, ipſumq. Homerum ſubſcribentes adiungere. Galenus enim in lib. iij. de placitis, vbi Platonis, atque Hippocratis perpendit, comparatq. ſententias, ad rem noſtram accommodatiſſimè ſanè ſic loquitur. In hoc vero Chryſippi magnanimitatem admiror: quippe qui nobiſcum nimis liberaliter agat. Perinde, inquam, vt cauſa poſtulat, ſatis mirari non poſſum. hominis enim erat, qui tot poëtas perlegiſſet, noſceretque ab ijs omnia decreta, alia alijs verſibus introduci (id quod etiam Plutarchus in Homeri meditationibus oſtendit) ea tantum ex ipſis colligere carmina, quæ decreto illi, quod ipſe ſectatur, facerent fidem: alia omnia quæ vel repugnarent, vel contrarium prorſus ſtatuerent, omittere. Docet igitur his verbis Galenus potiſſimum duo. primum: poëtas vniuerſe omnes nullam ſequi certam de rebus opinionem, ſed varias probare quantumuis inter ſe diſtractas, ac repugnantes. alterum: Homerum nominatim ſecutum eſſe opiniones omnium varias, & diſcrepantes, nunc has, nunc illas adprobans pro arbitratu, idque Plutarchum tradere doctum virum, in commentarijs, quos pro eodem Homero, atq. ad defendendum Homerum promulgauit. Conſtat ergo non ex Galeni modò doctrina, quæ grauiſſima eſt, verùm etiam ex libello Plutarchi, quem ille laudat, quique etiam nunc omnium teritur manibus, fas eſſe poëtis, varias, diuerſaſque, & quidem inter ſe pugnantes, contrariaſq. ſententias ſequi. Sed accedere præterea poſ-

ſit etiam Zeno Stoicorum princeps. qui præclaris quibuſdam commentationibus in Homeri tutelam, ac patrocinium editis, multa, quæ videbantur apud eum poëtam pugnantia, eo purgauit nomine, quòd alia ex veritate dicantur, alia ex opinione varia philoſophorum. Ita quippe teſtatur Dio Chryſoſtomus in oratione lj. his planè verbis. Zeno quidem de Homero nihil omnino pronunciat: ſed id tantummodo docet; alia eum ſcripſiſse ex opinione, alia ex veritate: ne videatur contraria locutus eſse, ac repugnantia. Quin Plato ipſe hanc permittit poëtis licentiam ob eum furorem, quo corripi putantur inter canendum. Sic enim loquitur in libro iv. de legibus. Vetus fabula paſsim à nobis fertur, atque à ceteris omnibus confirmatur: poëtam, cum in Muſæ tripode ſedet, non eſse mentis compotem, ſed quaſi fontem fluere, & quæcumq. influunt prorſus effundere. cumque eius ars imitatio quædam ſit, & contrarios affectus hominum exprimat, ſæpè cogi poëtam ſibi ipſi contraria dicere, neque ſcire vtrum hæc, an illa vera ſint.

Fas ergo Virgilio fuit, diſcordes illas opiniones probare, ac ſequi, vt tantorum, & tàm multorum hominum declarat, ac decernit auctoritas. Et quoniam ſic illi fas fuit, ac ius; demonſtremus, non modò in terminis vitæ fatalibus ſenſiſse, ac locutum eſse repugnantia, verum etiam in alijs, quæ tractantur à phyſicis.

In primo lib. Aeneid. eam cæli partem, quæ vergit in meridiem, verticem appellauit, & cæli caput; aliquorum videlicet opinionem ſecutus, quos commemorat Caelius Rhodiginus in lib. j. cap. xj. vel xij. vbi copioſiſsimè diſputat de caeli capite, pedibus, dextra, ſiniſtra, totaq. mundi figura, & conformatione ex varia diſcrepantium doctrina Philoſophorum. Virgilij verò verſus, qui meridiem faciunt mundi caput, hi ſunt.

*Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere ſummo*
*Deſpiciens mare veliuolum, terraſque iacentes,*
*Littoraq., & latos populos; ſic vertice cæli*
*Conſtitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.*

Lybia quippe ad meridiem poſita non poteſt à Ioue deſpici ex vertice, ſiue ex capite caeli, niſi cæli vertex, & caput in ipſo meridie conſtituatur. At in primo Georgicorum alia omnia dicere videtur. Ipſum enim caeli verticem, ac mundi caput in ſeptemtrionibus collocat, atque in Arctico polo: de quo verſus profert huiuſmodi.

*Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum*
*Sub pedibus Styx atra videt, Maneſq. profundi.*

Quippe ſequitur hic opinionem Varronis: qui mundi caput polum Arcticum eſse volebat, eiuſdem mundi infima, & quaſi pedes Antarcticum, ſiue meridiem, dextram occaſum, ſiniſtram orientem. Immo

verò in eodem primo Georgicorum, & quidem paulò post, neutram probat opinionem, vbi meridiem, ac septemtriones, hoc est mundi partes extremas sub geminis collocatas polis dextram nominat, ac sinistram.

*Quinq. tenent caelum zonæ: quarum vna corusco*
*Semper sole rubens, & torrida semper ab igni.*
*Quam circum extremae dextra, laeuaq. trahuntur*
*Cærulea glacie concretae, atque imbribus atris.*

Neutram, inquam, opinionem probat. quia cum in primo Aeneid. cæli caput, ac verticem facit meridiem, facit etiam sine dubio dextram, sinistramq. occasum, & orientem; polum Arcticum pedes. cum verò in primo Georg. constituit mundi verticem Arcticum polum, statuit etiam necessariò pedes in meridie, dextram, ac sinistram in occasu, & oriente. At hic, quia dextram, sinistramq. ponit in polis, necessariò caput in oriente constituere debet; in occasu pedes. Quæ opinio de caeli constitutione, ac figura mundi, videtur fuisse Augurum apud Liuium in primo libro, & omnium propè vulgaris, atque communis: vt intelligere licet ex loco laudato Caelij Rhodigini.

---

## LOCVS III.

## DE LVCAGI MORTE.

### An verosimile sit, Aeneam nomine illum suo appellasse.

*Lucage: nulla tuos currus fuga segnis equorum*
*Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus vmbrae.*

Ita pius Aeneas Rutulum illum, quem etiam interficit, dictis affatur amaris. Quem ego locum perpendendum existimo, quia Casteluitrus in Virgilium vehementer inuehitur, quòd Troianos, Rutulosq. inducat inuicem se nomine compellantes suo. Non enim est hoc verosimile, inquit; cum ibi tum primùm versari cœpissent Troiani illi hospites, aduenaeque, nec nosse possent eorum nomina, quibus cum nulla eis erat alia consuetudo, nisi digladiationis, & pugnæ. At Aeneas Lucagum hìc nominat, perinde ac si Troianus aliquis esset, aut notus ex longo conuictu. Neque verò est, cur ad Homerum confugiatur;

tur; qui Troianorum duces, Græcorumq. eodem modo se inuicem appellantes induxit. Nam illi diu, multumq. iam consueuerant simul,& ex longa tam multorum annorum obsidione alij alijs erant notissimi. Quin etiam duces sunt, qui suo se nomine nuncupant apud Homerum,non gregarij milites: qualis est apud Virgilium hic Lucagus, qui à Troianorum Imperatore appellatur ex nomine.

Ego verò non video primum quid causæ sit, cur vniuersè Virgilius idcirco sit reprehendẽdus,quòd Troianos,Rutulosq. sic,vt dicitur,inducat inuicem se compellantes, cum præter Aeneam inductum inueniam omnino neminem, qui Rutulum aliquem appellet. Deinde negauerim,omnia nomina Rutulorum Troianis ignota fuisse, Aeneæ præsertim exercitus Imperatori. Fieri enim potuit;immò verò etiam debuit, vt aliquis ei nomenclator nomina significaret; non primorum modo ducum, sed minorum etiam hominum, aut gregarij alicuius nobilioris;qualem hunc fuisse Lucagum,conijcere licet ex curru, qui ducum, aut nobiliorum militum fuit. Huic verò cognitioni adeo longum tempus necessarium non est: sed erat illud satis, superq. ex quo Aeneas cum suis in Italiam venerat, & versabatur in Latio.

---

## LOCVS IV.

### *DE DIVINATIONE MORIENTIVM.*

### An Virgilius Orodem moribundum Mezentio vaticinantem exitium rectè fecerit.

*Ille autem expirans. Non me quicumque es inulto*
*Victor, nec longùm lætabere. Te quoq. fata*
*Prospectant paria, atque eadem mox arua tenebis.*

Ita plane res accidit, vt Orodes vaticinatus est: sed quærere tamen hìc oportet: an liceat ita vaticinantes inducere vulgares milites: cum diuinandi ratio,& vaticinium apud omnes gentes tributum sit sacerdotibus, Sibyllis, alijsque spiritu diuino instinctis, & numine correptis hominibus.

Qui tenent (quod saepe diximus) Virgilium esse planè Platonicum,intelligent facilè,quàm apposite fecerit eum hominem iam morti proximum prospicientem futura, & diuinantem.Platonici enim di-

xerunt

xerunt, duo eſſe animæ noſtræ vehicula: primum appellarunt oſtracium, hoc eſt fictile, ſiue teſtaceum, fragile, terrenum; quod corporeum eſt, nec ab ipſo videtur corpore diſtingui; alterum nominarunt aethereum, hoc eſt igneum, ſiue caeleſte. Animam enim illi putarunt delibari, decerpiq; de caelo, quaſi particulam aliquam, ac ſcintillam: caelum verò ipſum igneum, ſeu potius ignem eſſe crediderunt. Ergo cum inſtat, atq. appetit tẽpus mortis, paulatim incipit animus, inquiunt ipſi, ab oſtracio vehiculo recipere ſe in aethereum: & quò magis appropinquat morti, hoc magis attenuatur, atque ad ſuam illam regionem redit cæleſtem, à qua decerptus eſt, & delibatus. Itaq. multa tunc intelligit, ac prouidet, quæ in oſtracio vehiculo intelligere, ac prouidere non poterat. Quin ſæpè fit, vt diuinet, ac futura præſentiat, quemadmodum præſentiebat antequàm è cælo diuelleretur, atque in corpus impurum deflueret. Nata eſt hæc opinio, & doctrina à Zoroaſtre, manauitq. poſtmodum ad Platonicos: qui etiam verſus ipſius Zoroaſtris laudant huiuſmodi.

Ὅττι ψυχὴ πῦρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸν
Ἠγείρω ψυχῆς βάθος ἄμβροτον ὄμματα δ᾽ ἄρδην
Πάντ᾽ ἐκπέτασον ἄνω
Μὴ δὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον κρημνῷ καταλήψῃ.

Quorum verſuum hæc in ſumma ſententia eſt, ſi verba latinè reddenda ſint ſingula. Nam anima noſtra Patris poteſtate ignis euadit ſplendidus: teque ducit immortalis animæ profunditas, facitque vt in ſublime oculos tollas: non tamen ſinens corpus concretum, craſſumque deorſum in præceps ferri. Secuti ſunt hanc Zoroaſtris opinionem antiqui illi Perſarum Magi; ſecutus & Plato; ſecuti Platonici ad vnum omnes, vt docet Euſtathius, Homeri verſus illos explanans, quibus Patroclus vulneratus, & moriens Hectori proximè futurum denunciat interitum ab Achille.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω. σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Οὔ θην οὐδ᾽ αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ
Χερσὶ δαμέντ᾽ Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο

*Vnum hoc nunc dictum tibi habe, quod pectore in imo*
*Condere te iubeo, nec enim tibi vita ſuperſtes*
*Iſta diu, nec virtutis flos iſte manebit.*
*Iam te fata vocant; tibi iam lux vltima vitæ*
*Imminet, inuicto quam mox ſub Achille ſubibis.*


Hoc, inquam, explanans vaticinium Euſtathius ita diſputat. Doctrina eſt antiquorum; animam à corpore ſolutam, ac liberam diuinæ naturæ propinquam fieri, & diuinandi nanciſci facultatem. Nominatim autem ferunt, Artemonem Mileſium ſcripſiſſe in libello de Somnijs:

somnijs: animam in se ipsam quodammodò coactam, atque à corpore diuulsam euadere diuinam, & futuri prouidam in iudicando. Immo verò Plato ipse in Apologia Socratis hac de re loquitur in hunc modum. Ventum eò tandem est, vbi mortales diuinare solent. solent autem cum morti proximi sunt. Hæc Eustathius eo loco protulit, & ex aliena sententia, & de sua: eademq. prorsus de integro repetiuit in lib. xxij. Iliad. vbi moriens Hector Achilli propinquum è vita exitum, cædemq. sic vaticinatur, interprete Valla.

*------------ moriens tum sic Priameius Heros.*
*Ferreus es: nec te vlla mouent, nec flectere possunt*
*Verba, precesq. meæ: nimis ah, nimis asper Achilles.*
*His saltem annueres. dabis ò, dabis improbe poenas,*
*Improbe. te Paris, & lunato Delius arcu*
*Prosternet medio Scææ sub limine portæ.*
*Hæc ne audis? hoc omen habe, tecumq. reporta.*

Neque vero Tullius hoc vaticinandi genus silentio præterijt, cum de diuinatione accuratè ac sedulò disputaret. Diuinare, inquit, morientes illo exemplo confirmat Possidonius, quo affert, Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Omnium verò maximè probat hoc dogma Porphyrius in lib. de abstinentia ab esu animaliū. Contendit enim posse homines etiam dum viuunt vti illo vehiculo caelesti tamquam abstractos à corpore, ac diuinare, si cibo se, potuque contineant, nec plus alimenti capiant, quàm quantum tolerandæ, retinendæq. vitæ sit satis. Simplicius verò etiam libentius doctrinam hanc amplectitur, & explicat planius in commen. xxxvij. lib. ij. de cælo. Ceterum, inquit, si quis terrenum corpus segregatum, & caeleste vehiculum, quiq. in eo sunt sensus purificatos habeat, is aut propter bonam fortunam, aut propter vitæ probitatem, aut propter sacerdotalem perfectionem videbit quæ ab aliis videri non possunt, & audiet quæ ab aliis non audiuntur. Loquitur hic Simplicius de Pythagora, quem eius discipuli dicebant audiuisse illam cælestium orbium harmoniam, quæ à nemine vnquam audita fuisset; eiq. similes fore confirmat, qui se recipiunt in cæleste vehiculum.

Hæc à Platonicis traduntur, atque ab ipso Platone. Quæ tametsi falsa sunt, sunt tamen ea, quæ Virgilio diuinationem illam in moribundo milite comminiscenti, præstare potuerint olim apud legentes idoneam fidem. Id enim, quod à tam magnis dicebatur philosophis, erat ea tempestate credibile; non multitudini modò, quod satis poëtæ fuisset, verùm etiam doctis, & eruditis hominibus, qui philosophiam, ac rerum scientiam profiterentur.



# LIBRI VNDECIMI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

## DE CYGNIS LOQVACIBVS.

### An hoc epitheton in cygnos rectè, appositèque conueniat.

*Haud secus, atque alto in luco cum fortè cateruæ*
*Consedere auium, piscosoue amne Padusæ,*
*Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.*



IRVM hoc aliquibus videtur; quòd Virgilius obstrepentes, raucos, loquaces, appellet cygnos, quos plerique omnes faciunt suauissimè, dulcissimèq. canentes. Plato enim, vt hinc exordiar, in Phaedone; deterior, inquit, cygnis ad diuinandum vobis esse videor. illi quidem, cum se breui præsentiunt morituros, tunc dulcius admodum canunt, quàm antea consueuerint. Idem tradit Aristoteles, idem Gregor. Nazianz. qui cygni cantum musicorum omnium concentui, ac suauitati anteferre non dubitat. Eius hæc verba sunt. Quis vnà cum cygno canit, cum ille aëri alas expandit, sonumq. reddit melodiæ plenissimum? Nihil de poëtis dicatur: qui de hac dulcitudine, ac suauitate cantus vbique commemorant. Vnus Ouidius omnium nomine præcinere potest.

*Vtq. senex ripa cantare Caistrius ales*
*Dicitur ore suam deficiente necem.*

Respon-

Responderi posset: non id à Virgilio dici; cygnos canentes insuaues esse, sed sonitum fundere clamore rauco: id verò non ingratæ esse asperitatis indicium: cum sæpe apud poëtas raucam lyram, aut citharæ strepitum legamus, tametsi lyra, & cithara cum sonum fundunt, suauiter accidunt ad aures. Posset, inquam, hoc modo responderi; sed non soluitur nodus. quia, si rationem, & causam videamus, cur Virgilius raucos, loquacesq. dixerit cygnos, inueniemus, non metaphoricè, vt fieri solet in fidibus, quarum ipsa quoque placet asperitas, sed propriè, vereq. illos appellasse raucos, & insuauiter obstrepentes. Comparat enim eorum strepitum, ac loquacitatem cum confuso illo clamore concilij, ac multitudinis apud Latinum dissentientis: qui clamor nullam profectò potuit habere suauitatem.

*Flent moesti, mussantq. patres: hinc vndique clamor*
*Dissensu magnus vario se tollit in auras.*
*Haud secus, atque alto in luco cum fortè caterua*
*Consedere auium, piscosoue amne Padusæ,*
*Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.*
*Immo ait, ò ciues, arrepto tempore, Turnus,*
*Cogite concilium, & pacem laudate sedentes*

Itaque respondebitur fortasse melius: in hoc etiam nos videre oportere quod monet Aristot. vt diximus in Prolegom. defen. xv. an idem de eodem planè dicatur, an eodem modo se habeat, an referatur ad idem. Nam si varia intueamur tempora, ad quæ referri cygni canentes possunt, aliquod inueniemus fortasse tempus, quo strepere illi potius, quàm canere videantur. Et profectò hæc de cygnis opinio vulgaris est; suauiter eos canere sub interitum, atq. appetente iam morte. Quare cum Virgilius de huiusmodi tempore nihil dicat, sed de eo nominatim, quo ipsi tractim, gregatimq. feruntur ad pastum circa Padusam, nihil affirmat iis contrarium, qui volunt, cygnos morti proximos canoros, ac musicos esse. Hæc sanè responsio mihi maximè probaretur, nisi cygni dicerentur à scriptoribus semper quidem canori, sed tum maximè, cum sunt morituri. Id enim sibi volunt ea verba Platonis supra laudata. Tunc dulcius canunt, inquit, quàm antea consueuerint.

Rectius ergo sic dicemus: esse etiam de cygni cantu varias, distractasq. scriptorum opiniones, quorum alii suauiter admodum eos canentes faciunt, alii obstrepentes, asperos, insuaues. De superioribus auctoribus, qui cantum ijs attribuunt suauem, diximus, de posterioribus videamus. Lucianus in libel. de Electro, cum cygnos vel describit, vel commemorat, crocitant hi admodum, inquit, discordes, ac languidi. Idem videtur docere Menander Myndius apud Athenæum in lib. ix. cap. xvj. aut aliquid fortasse amplius. Ait enim cygnos se secutum

esse

esse quam plurimos, & ne à morientibus quidem vllum vmquam cantum exaudisse.

Athenæi verba sunt hæc. Mare pertranseunt, palmi pedesque sunt, & herbis vescuntur. Menander Myndius cum multos secutus esset, qui morituri essent, eos se non audisse canere dicebat. Non debet ergo reprehendi Virgilius, si eorum secutus opinionem, qui cygnos inconditos, & discordes volunt, strepentes hoc loco dixerit, ac loquaces, non canoros, & musicos. At reprehendi saltem ideo debet, dicet aliquis, quòd alibi suauiter canentes idem ipse fecerit, qui facit hoc loco loquaces, & asperos.

*Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni,*
*Cum se se è pastu referunt, & longa canoros*
*Dant per colla modos.*

Sed hæc profligata iam supra quæstio est; decretumq., licere poëtis in eodem prorsus poëmate, atque adeo in eadem poëmatis parte probare philosophorum opiniones inter se varias, & discrepantes. Vide locum ij. lib. x.

---

## LOCVS II.

## *DE PALLANTIS EQVO LACRYMANTE.*

### An illæ lacrymæ verisimiles sint.

*Post bellator equus positis insignibus Aethon*
*It lacrymans, guttisq. humectat grandibus ora.*

Pallantis hic est equus, qui pompam sequitur funebrem, & dominum vita functum luctu, lacrymisq. prosequitur. Ab Homero tracta res est. apud quem in Iliad. xvii. Achillis equi, quibus è curru pugnans cum Hectore fuerat Patroclus vsus infeliciter, eiusdem Patrocli mortem cum lacrymis, & magna doloris significatione complorāt.

*Iamque & Achillis equi procul à certamine pugnæ*
*Discurrere vagi, gemituq., & voce fremebant,*
*Cum primum dominum prostratam in puluere sicco*
*Aurigam sensere sub Hectore Principe Troum.*
*Quos tamen Automedon Dioreos inclyta proles*
*Verberibus, verbisq. regens hortatur amicis.*

*Illi nec pictas naues, & littora cursu,*
*Aequora nec lati repetebant Hellesponti,*
*Non in dura retro potuerunt prælia cogi.*
*Sed velut immoto statuæ de marmore fixæ*
*Signa sepulcralis tumuli, qui continet ossa*
*Mortua, siue viri, defunctæ siue puellæ,*
*Sic illi immoti, & firma in vestigia nixi*
*Perstabant curru iuncti, lacrymasq. cientes,*
*Quæ miseris calidæ malas per, & ora fluebant.*

Hunc, vt dixi, sine dubio locum exprimit Virgilius, lacrymantem equum faciens ex desiderio Pallantis, non ex aliqua præsensione interitus sui, quemadmodum arbitratur Germanus. Putat enim Virgilium eo figmento voluisse significare, equum illum præsensisse, cum ipso se cadauere Pallantis exustum iri, ex antiquorum more perueteri: qui vnà cum demortuorum hominum cadaueribus res quasq. carissimas, arma, vestes, canes, equos, instrumenta, tum bellica, tum domestica cremare soliti erant. Homerum, inquam, imitari voluisse Virgilium reor, & ex Pallantis obitu flentem equum facere potius, quàm præsensionem tam incredibilem fingere. Sed tamen id etiam quæri potest, vtrum verosimile sit, & an liceat equum describere lacrymantem ex desiderio sessoris, atque ex obitu domini. Non enim minus fortasse ab equi natura, ingenioq. alienum est, ob domini mortem, quàm ob imminentem interitum suum lacrymari: cum soli homini datus esse fletus videatur. Similem huic loco quæstionem, supra tractauimus in lib. viij. cum de admiratione disseruimus, quam Tyberi, & siluis impendentibus idem Virgilius ex aduentu Troianorum attribuit. itaq. responsio posset hic eadem adhiberi. Diximus quippè dicemusq. copiosius in libello de Eleg. cap. iv. & v. duo esse imitationis poëticæ genera; vnum, quo personæ inducuntur agentes, aut loquentes: alterum, quod non inductione aliqua personarum, sed expressione, ac significatione verborum singulari, & quodammodo spiranti continetur. quæ spirans expressio, & significatio dicitur à Græcis ἐνάργεια, euidentia: vt cum res, quæ describitur, oculis cerni videtur. Dici adeo potest enargia esse vis orationis, rem excellenti modo ponentis ab oculos; quæ apud poëtas, cum narrant simpliciter, obtinet locum inductionis, & præstat idem prope, quod præstat inductio personarum; cum hæc verborum efficacitas, & vis a superlationibus, à metaphoris, & allegorijs petita, quoddam veluti rei simulacrum ob oculos ponat. Quid enim est aliud, ridentia prata, vel campos natantes dicere, quàm virentis prati, vel fluctuantis maris effigiem oculis ipsis quodammodo proponere? Id igitur est hoc loco memoria repetendum, inter illa duo imitationis genera hoc esse discrimen, quòd ea

personarum inductio debet esse verosimilis,& vulgo saltem credibilis: hæc autem enargia, & spirans expressio non necesse habet sequi verosimile , & id , quod vulgo credibile est,aut fieri potest : cum id , quod in ea dicitur, nō proponatur à poëta tamquam credibile,& tamquam id , quod fieri simpliciter queat, sed tamquam aliquid , quod , si fieri posset,ita plane fieret . Itaq. cum dicitur Aethon equus Pallantis lacrymari, ac flere , non proponitur ille fletus,& lacrymatio tamquam credibilis,sed eius metaphoræ beneficio significatur, ita magnam esse materiam luctus in Pallantis funere,vt equus ipse,si possit lugere, flere debeat , & lacrymari. multo autem spirantior est expressio,si dicatur equus omninò flere, & lacrymari , quàm si dicatur lacrymari debere , si possit . Quare simpliciter in Ecloga v. dicuntur interitum Daphnidis ipsæ quoque belluæ,atque immanes feræ defleuisse .

*Non vlli pastos illis egere diebus*
*Frigida Daphni boues ad flumina,nulla neque amnem*
*Libauit quadrupes , aut graminis attigit herbam .*
*Daphni tuum Poenos etiam ingemuisse leones*
*Interitum, montesq. feri , siluæq. loquuntur .*

Ita,inquam,responderi potest, & similis nodus simili ratione dissolui . Sed tamen est alia respondendi via facilior , & explanatior , quæ possit etiam hanc magis, magisq. communire . Non enim necesse est in equorum lacrymis ad hyperbolem, & metaphoram confugere,quemadmodum in rebus , quæ numquàm factæ sunt , vel fieri non possunt , confugiendum nobis esse docet Aristoteles,quod diximus in Prolegomenis; defens.vii.Nam Plin.in lib. viij. cap.xlii.dat equis pugnæ præsagium,& veras lacrymas, indices , testesq. doloris ex obitu dominorum . Præsagiunt pugnam, inquit , & amissos lugent dominos , lacrymasq. interdum desiderio fundunt. Quin Isidorus in lib.xii.cap.j. non dubitat dicere,fletum,& lacrymas solius hominis esse,& inter belluas tantum equorum.De ipsis enim equis ita loquitur.Interfectis,vel morientibus dominis,multi lacrymas effundūt.Et paulo post. Solius equi, inquit, est, præter hominem lacrymari , & doloris affectum sentire . Sed hoc postremum non verè dicitur, cum etiam aliæ plures animantes doloris,& tristitiæ sensum apprimè significent,vt docet Ludouicus Cerda locum hunc Virgilianum illustrans , & multa proferens poëtarum,aliorumq. testimonia scriptorum, qui canes,leones, elephantos, tauros gementes ex dolore faciunt , immo etiam lacrymantes . Sed cum lacrymantes dicunt , gementes opinor,& querentes intelligunt, siquidem solis equis veræ lacrymæ datae sunt , vt contendit grauis auctor Isidorus .

Ceterum equorum lacrymæ fuere non numquam prodigiales, ominosæ, & calamitatem imminentem obnunciantes. cuiusmodi deprehensæ

hensæ sunt in Iulij Cęsaris equis paulò antequam occideretur, vt scribit Suet. in Iul. cap. lxxxj. Equorum greges, inquit, quos in flumine Rubicone traijciendo consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimq. flere.

Sed siue ex dolore, ac tristitia, siue aliquo ex prodigio profuderint equi aliquando lacrymas, idoneam Virgilio præbuerunt causam, cur caneret, equum Pallantis lacrymabundum, & tristem esse prosecutum domini funus. Non enim fingit quicquam, quod fieri non possit, quodq. vindicari ab accusatione per methaphoram necesse sit; cum aliquid simile iam factum olim esse, testentur historiæ. Rectè enim ait Aristoteles in cap. vij. poet. id hominibus esse credibile, cuius aliquid simile factum sciunt: quod dictum explicauimus accuratius in loco primo libri ix.

*Finis Libri Vndecimi.*





# LIBRI DVODECIMI AENEIDOS

## LOCVS PRIMVS.

### *DE MONOMACHIA AENEAE, AC Turni.*

### An prudenter effecta sit.

*Vndique enim densa Teucri inclusere corona:*
*Atq. hinc vasta palus; hinc ardua moenia cingunt.*



AEC ita describit Virgilius, cum Turnum fugientem facit; persequentem Aeneam. Suspicari adeo nos cogit monomachiam illam, & singulare tantorum Ducum certamen non fuisse prudenter expressum; cum Troiani tantummodo dicantur Aeneam circumsistere, campumque vallare, Turno interim deserto, ac solitario. Quamquam enim Troiani non pugnant, fugam tamen eripiunt Turno sic circumfusi, & Aeneæ pugnanti animos addunt.

*Ergo amens diuersa fuga petit æquora Turnus,*
*Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.*
*Vndiq. enim densa Teucri inclusere corona.*

Hæc, inquam, tam magna in singulari certamine præsidia, Aeneae circumfusa, victoriæ gloriam eleuant, atque imminutum eunt fortitudinem illam, quam sibi celebrandam versibus poëta proposuit. Ita quippe victoria ex monomachia probabilis est, & spectabilis, si arma, ceteraque arenæ præsidia paria sint. Videtur ergo Virgilius haud sibi cauisse ab iis, qui hoc eodem nomine accusant Homerum

in Hectoris, Achillisq. certamine. Hectorem enim etiam ille solum, nullisq. stipatum militibus, Achillem Græcis vndique vallatum exponit in campum. Inhibet quidem Achilles milites suos sibi circumiectos, nutuque capitis deterret, ne vulnerent Hectorem: attamen admirabilior ea victoria fuisset, nisi milites illi Græci Achillem circumstetissent armati.

Sed vidit hæc sine dubio Virgilius, poëta prudentissimus, nec monitorem in hoc genere desiderauit is, qui consuluit semper acerrimum illud, ac prope diuinum iudicium suum. Necesse potius habent qui sic disputant, Virgilij totum illum locum perlustrare diligentius, antequam litem intentent, & contestentur. Nam initio Turnus admonet suos, vt bello desistant, manuq. significat, velle se cum Aenea congredi solum, & singulari pugna decertare. Quo quidem edicto exercitus vterque in duas discessit partes: pro portis, ac muris vrbis Rutuli, Latiniq. circumfunduntur, altera ex parte spatium claudunt, campumq. Troiani. sic, inquam, Turnus initio iubet.

*Significatq. manu, & magno simul incipit ore.*
*Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.*
*Quæcumque est fortuna, mea est. me verius vnum*
*Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.*
*Discessere omnes medij, spatiumq. dedere.*

Deinde in medio iam certamine dicuntur iterum illæ geminæ acies esse spectaculo circumfusæ, & exclamare.

*Emicat hic impune putans, & corpore toto*
*Altè sublatum consurgit Turnus in ensem;*
*Et ferit. exclamant Troes, trepidiq. Latini,*
*Arrectaeq. amborum acies. at perfidus ensis*
*Frangitur, &c.*

Ad extremum cum nullam Turnus à fuga salutem inueniret, Rutuli tumultu fremere trepido coeperunt, auxilium se ferre velle significantes: quos Aeneas verbis, minisque deterruit.

*Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,*
*Nomine quemq. vocans, notumq. efflagitat ensem.*
*Aeneas mortem contra, præsensq. minatur*
*Exitium, si quisquam adeat, terretq. trementes.*

Nisi enim adessent spectaculo Rutuli, cur fremerent, cur appellarentur suo nomine singuli? Nimirum exercitus Rutulorum pro portis erat, ac moenibus, vt diximus: Latinus autem, alijque spectabant è murorum pinnis; quod indicare poëta ipse videtur initio pugnae.

*Iam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes*
*Conuertere oculos Itali: quiq. alta tenebant*
*Moenia, quiq. imos pulsabant ariete muros:*

*Armaq. deposuere humeris. stupet ipse Latinus,*
*Ingentes genitos diuersis partibus orbis*
*Inter se coijsse viros decernere ferro.*

Omnia sunt ergo in hoc certamine paria, nec quicquam est, quod Aeneæ fortissimo viro vllam gloriæ partem eripere possit ex ea victoria, quam, non de Turno modo, sed de tota pene Italia reportauit.

---

# LOCVS II.

## DE FINE TOTIVS OPERIS.

### An absolutum perfectumque poëma sit.

Hæc à me quæstio aliàs perstricta leuiter est, & in primum orationum mearum coniecta volumen inter eas disputationes, quas institui de Virgiliani carminis allegoria. Placet tamen hìc de integro eam exponere, vt quod ibi summatim, præcisèq. dictum est, disputetur hoc loco pluribus & accuratius.

Suspicantur ergo plurimi, Virgilianum illud opus imperfectum, & curtum esse. quia vident Turni caede terminari, nec ijs absolui Lauiniae nuptijs, occupatione Regni, Aeneæ consecratione, alijsq. rebus, quæ postremò additæ sunt à Maphæo Vegio. Illud etiam commemorant, quòd vulgatum est: cautum, præceptumq. à Virgilio suprema voluntate fuisse, vt Aeneis cremaretur, tamquam inchoatum opus, minimèque perductum ad vmbilicum. id verò fieri vetitum esse velut interdicto Prætoris versibus illis, quorum ipsum Octauium Augustum veteres Grammatici faciunt, & volunt auctorem.

*Ergone supremis potuit vox improba verbis*
*Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,*
*Magnaq. doctiloqui morietur Musa Maronis?*
*Ah scelus indignum. soluetur littera diues?*
*Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori*
*Flamma suo, dignumq. oculis seruare decorem?*
*Pulcher Apollo veta. Musæ prohibete Latinæ.*

Quærendum igitur est, quoniam hac de re vulgò sic dubitatur, an aliquid desideretur in opere, quod Virgilius vel ex incuria prætermiserit, vel interceptus obitu perficere non potuerit.

Decer-

Decernunt aliqui facillimè, ac breuissimè respondent, in opere nihil desiderari: causamq., cur nece Turni terminatum sit, nec alia subiungi debuerint, quæ requiri posse videbantur, repetunt ab Homeri poëtarum principis exemplo; quem quia in ceteris expresserat partibus, in hoc etiam poëmatis fine sibi postremò imitandum etiam esse Virgilius existimauerit. Neque enim Ilias illa, cuius argumentum est Troianum bellum, incendio Troiæ, aut Ilij finitur euersione; sed Hectoris obitu, ac funere, præter omnem expectationem legentium sic terminatur, ex interpretatione Vallæ, quem supra secuti semper sumus.

*Itur in antiquam siluam. sonat acta bipennis.*
*Ligna nouem referunt plaustris congesta diebus.*
*Tum pyra construitur decima. componitur Hector*
*Desuper exanimis gemitu, miseroq. tumultu.*
*Subijciunt flammas. abeunt, ac luce sequenti*
*Conueniunt, nigroq. ignes extinguere vino*
*Dardanidæ certant. lacrymis abeuntia fratres*
*Ossa legunt, vrna quæ concluduntur in aurea,*
*Purpureoq. tegunt, molli & velamine circum.*
*Tum super imponunt ingentia saxa sepulcro,*
*Et vigil Hectoreos cineres custodia seruat,*
*Ne quicquam auderent Danai, seu forte recenti*
*Effodiant tumulo funus, rursusq. reportent.*
*Tum Priamus populum iubet in sua tecta vocari,*
*Et statuit de more dapes. Hæc funera magni*
*Hectoris; hos illi genitor celebrauit honores.*

Hìc, inquam, Iliadi finis imponitur; cum interea Pergama stent, Priamus incolumis, victoria pendens, & dubia sit, Græcorum facinus imperfectum. Et tamen totius operis summa, atq. absolutio videbatur esse Troianorum excidium: cuius causa Græcorum illa classis excensionem fecerat in Phrygiam, ac tam multos annos Heroes illi circa Pergama sederant. Hoc, inquam, exemplo credunt hi, satis deterrere se posse accusatores: nec quemquam esse suspicantur, qui Homeri labefactare, aut conuellere audeat auctoritatem: sed errore decipiuntur haud mediocri. Non enim defuere qui Homeri etiam Iliadem eo nomine praecisam, imperfectamq. putarent, quòd Hectoris funere clauderetur; nec Troiæ subijceretur excidium, cuius gratia videbatur instituta. Itaq. extitit aliquando Triphiodorus Aegyptius Grammaticus, ac poëta, qui versibus Græcis auderet explere lacunam illam, & sic Iliadem perficere, quemadmodum apud Latinos conatus est Vegius Aeneida, diuinum opus absoluere. Idem credo spectauit Eumolpus Corinthius: qui, vt est apud Pindari Scholiast.

ſcripſit carmine reditum Græcorum in patriam. idem Camerinus ille, qui, vt tradit Euſtathius, de bello Troiano cecinit, ſuum aggreſſus tamen opus ab Iliadis fine, idem Aemilius Macer; idem Q. Calaber, idem Leſchis: qui bellum item Troianum, ſiue potius excidium ab Homero præteritum exequi, ac perficere voluerunt. Inuenienda igitur eſt aliqua ratio, quæ Virgilio aequè, ac Homero ſuffragari facilè poſſit, & tam Latinos, quàm Græcos Grammaticos, ipſis antiquiores Latinis, coërcere.

Reſpondent igitur alij, longè diuerſam, longèque aliam hiſtoricis impoſitam eſſe legem, quàm poëtis. Illi enim ab ipſo rerum geſtarum incipiunt initio, continuantq. paulatim ſuo prorſus ordine narrationem, quoad demum finem ipſum attingant. Poëtis verò alia eſt incipiendi ratio, alia deſinendi. Exordiuntur enim à medio, deſinunt ante finem rerum geſtarum, vt docere videtur Horat. in Arte.

*Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,*
*Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.*
*Semper ad euentum feſtinat: & in medias res,*
*Non ſecus ac notas auditorem rapit, & quæ*
*Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.*
*Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,*
*Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.*

Hæc, inquam, alij reſpondent, quæ vt vere dicantur, cauſam tamen haud afferunt ipſam, cur poëtis fas ſit finem hiſtoriæ prætermittere. Videmus enim omnes ita facere poëtas; exordiri nimirum à medio, deſinere ante clauſulam rei geſtæ, quæ traditur ab hiſtoria. Sed nos cur ita ipſi iure, ac ſine reprehenſione facere queant, hac diſputatione quærimus, & cauſam aliquam idoneam inueſtigamus.

Reſpondent ergo tertio loco alij, non tam vniuerſè poëtarum omnium, quàm nominatim ipſius Virgilij cauſam ſuſcipientes, ſed tamen ita, vt videantur etiam alijs patrocinari. Aiunt quippè non fuiſſe Virgilio conſilium vltrà Turni mortem de Aenea quicquam præterea canere: quem tantummodò ſibi propoſuerat in Latium ducere, victoremq. ex bello periculoſiſſimo facere, quod ipſo poëmatis initio, hoc eſt in operis propoſitione confirmauerat.

*------------ Troiae qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus; Lauinaque venit*
*Littora. multum ille & terris iactatus, & alto*
*Vi ſuperum ſæuae memorem Iunonis ob iram.*
*Multa quoq. & bello paſſus, dum conderet vrbem,*
*Inferretq. Deos Latio. genus vnde Latinum,*
*Albaniq. patres, atque altæ moenia Romae.*

Quamquam enim eo loco aliquid de Alba quoque dicitur, ac de Vrbe Ro-

be Roma, non tamen id poëta sibi canendum proponit, sed perstringit, & tamquam ex obliquo leuiter indicat ea, quæ sunt cum rerum propositarum argumento coniuncta. Similiter enim loqueretur aliquis, si confirmaret, velle se canere de Lydis, à quibus originem duxerunt Etrusci: aut de Amphitryone, qui pater Herculis fuit. Quemadmodum enim eius argumentum carminis, non Etruria, non Hercules esset, sed Lydi, & Amphitryo, sic Virgiliani operis argumentum proprium, non Albani, Romaniq. sunt, sed Aeneas, à quo Albani, Romaniq. duxerunt originem.

Hæc profectò, quæ sic isti disputant, tueri quoque possunt Homerum, atque ostendere, inanem fuisse Grammaticorum laborem, qui perficere conati sunt Iliadem iam perfectam. Non enim ille canendum susceperat Troianum excidium, sed belli Troiani partem, hoc est Achillis in bello Troiano diuina, & præclara facinora, vt facillimè constabit legenti principium.

*Dic Dea pestiferam Pelidæ Principis iram,*
*Quæ dedit innumeros Danais inimica dolores, &c.*

Cum ergo illa facinora in Hectoris obitu viderentur metam, ac finem inuenisse pulcherrimum, nihil addendum præterea fuit de Troianæ vrbis euersione, quæ consecuta necessariò est secundùm Hectoris interitum, cum vnus ille diceretur esse mora fatorum. Faciunt nimirum in huiusmodi fine sic imponendo Epici poëtæ aliquid simile Comicis: qui nuptias, & choros intra proscenium claudunt, spectatoresq. tum dimittunt, cum reliquæ actionis exitum, & absolutionem expectant. Ita disserunt hi, & quidem sapientius, prudentiusq. quàm ceteri.

Sed tamen illam ipsam eos aperire causam oporteret, cur Epici, sic restrictè canenda proponant, sic finem ante finem imponant. Quid enim eos impellit, vt è tam multis illis rebus, quas habet historia, aliquam tantummodo sibi seponant, & separent partem?

Hanc ego causam exquirendam ab Aristotele puto; & ex ijs potissimum educendam, quæ de fabulæ præcepit vnitate in cap. vi. poëtices. Ait enim vnam esse fabulam, siue poëmatis constitutionem oportere; vnam autem non esse, nisi vnam tantummodò poëta seligat, & sequatur in toto poëmate actionem. Laudat adeo illo nomine magnificis sanè verbis Homerum, quòd Iliadem, atque Odysseam vnica tantum actione comprehenderit, è multis electa. Homerum, inquit, qui, vt in alijs, ita in hoc etiam excellit, siue id artis, siue naturæ fuerit, oculatissimum fuisse apparet. quandoquidem Odysseam confingens, non sanè cuncta, quæ Vlyssi acciderunt, in eam compulit, & coëgit. Et paulò post. Quippe qui ex vna dumtaxat actione, & tali, qualem nos dicimus, Odysseam, Iliademq. constituit. Non potuit igitur addi Tro-

di Troianum excidium, quin actio adderetur alia, quæ nouum poëma, nouamq. fabulam postularet. Quam verò sibi seposuerit Homerus actionem, diximus supra, cum docuimus, eum canere tantummodo eam belli Troiani partem, quæ res Achillis continet in illa expeditione præclaras.

Igitur, vt de Virgilio dicamus, cuius causa id contendimus; Aeneis optimè clauditur ea victoria, in qua totius rei propositæ, hoc est errantis Aeneæ, ac de nouo regno laborantis summa omnis, & postrema ratio continebatur. nec addi debuit vrbium fundatio nouarum, aut noui felicitas Regni, aut nominatim Albæ, Romæq. molitio, aut Aeneæ apotheosis, & consecratio: quia nouæ sunt hæc actiones, & quæ noua præbeant argumentà poëmatum. Satis enim poëtæ fuit, eam Aeneæ consecrationem sic indicare.

*Indigetem Aeneam scis ipsa, & scire fateris*
*Deberi caelo; fatisq. ad sydera tolli.*

Nuptiæ verò, ac cetera, quæ tanti non sunt, cogitationi legentium permittuntur, & sic inducuntur è poëmate, quemadmodum subducitur à spectatorum oculis in Theatro quicquid reliquum videri potest, perfecto iam absolutoq. negotio, quod transigitur in fabula.

---

# LOCVS III.

## DE VNITATE FABVLAE.

### An tota huius constitutio poëmatis verè sit vna, & vna actio.

Quia nos superioris solutionem nodi posuimus in eo, quòd Aeneidos vna esse debuerit actio, diligentius hoc extremo loco videtur inuestigandum, an ea verè simplex, & vna sit actio, quæ toto illo poëmate continetur.

Antequàm de quæstione decernamus, videndum primo loco erit, quid causæ sit, cur vnam tantummodo velit actionem esse, vnamq. fabulam totius Epici poëmatis Aristoteles. deinde quærendum, quid sit, quod vnam faciat actionem, pluresue. ad extremum ea in Virgilio inuestiganda erunt indicia, quæ vnam, aut multiplicem esse demonstrent: vt pro eo, aut contra eum controuersiam decidere vltimo loco possimus.

Quan-

Quantum attinet ad primum: causam hanc satis, superq. nobis exposuisse videtur Auerroes in paraphrasi; cum dixit, poëtam artificem quendam esse: artifices autem oportere naturam imitari; quæ vnum sibi finem semper in agendo proponit, vt docet multis in locis Arist. Animaduertendum tamen est, nullum hìc esse sermonem de fine poëtices vniuersè, quem dicere iam etiam vulgò coepimus esse, vel delectationem, vel vtilitatem, vel vtramq.; sed de fine, quem nominatim, singulariterq. sibi proponit vnusquisq. poëta. Hic enim nihil est aliud, nisi argumentum, & actio illa, quam exprimit imitando. In quam sententiam Græci Peripatetici sæpe dicunt, argumentum alicuius libri, ac finem auctoris, siue finem auctori propositum inter se non differre. Hunc autem finem vnum esse debere, quia vnum etiam, & solitarium sibi proponit natura, de omnibus artificibus verè dicitur, sed de poëta longè verissimè: cum & artifex quidam dicatur esse, & eius artificium in imitatione, hoc est in alicuius effictione simulacri positum sit. Nulla enim imitatrix èst ars, quæ, cum in suo versatur artificio, plures sibi proponat formas, ac simulacra. Inspiciamus cælatores, scalptores, pictores, alios, si qui tamen præterea sunt rerum imitatores. cum aliquid moliuntur, vnum profectò, non plura eodem tempore simulacra moliuntur. Quòd si plura videntur interdum effingere, vnum tamen effinxisse verè dicuntur conflatum è pluribus. Vnus enim verè est Hercules cum Hydra pugnans, aut cum Anteo, vnus Hannibal exercitum ducens per Alpes, aut milites alloquens; nec plures illæ, quæ circumfunduntur figuræ, vel propter societatem, coniunctionemq. necessariam, vel in parergo, faciunt, vt plura opera pictoris, cælatorisq. debeant appellari, cui propositus fuit Hercules, aut Hannibal potissimum, ac præcipuè ad imitandum. Itaque ratio hæc Auerrois videtur esse ea prorsus, quæ traditur ab Arist. in cap. illo vj. vbi agit de vnitate fabulæ. Sic enim præcipit. Oportet autem quemadmodum in aliis imitatricibus artibus vna imitatio vnius rei est, ita & fabulam, quia actionis imitatio est, vnius esse, & huius totius: & partes rerum constare sic, vt aliqua transposita, vel adempta, diuersum reddatur, aut moueatur totum. Cum igitur, Auerroes eius præceptionis causam petiuerit non ab artibus vniuersè, sed nominatim, electèque ab imitatricibus, ( ait enim artifices oportere imitari naturam; artifices nimirum imitatores ) non diuersam aliquam, & variam proponit rationem, sed explicat eam, quam videt ab Aristotele propositam. Frustrà itaque nonnulli conantur euertere dictum hoc, & pronunciatum Auerrois: cum labefactari non possit, nisi Aristotelis ipsius infirmetur, & concutiatur auctoritas. Petitur enim, vt diximus, illa comparatio à pictoribus, qui vnam actionem vnius, velut Vlysem fingentem insaniam, sibi proponunt ad imitandum

tandum

tandum in tabula: in qua non exprimunt eundem vulneratum in Parnaſſo, aut cœnantem apud Alcinoum, aut pugnantem Troiæ ſub moenibus altis, niſi fortaſſis in parergo, quod reſpondet epiſodio poëtarũ.

Alias quoque rationes ſubiungunt alii, quæ cauſam demonſtrent, cur vnius tantum actionis imitatio eſſe poëma debeat, nec plures cõprehendere poſſit. rationes autem ducunt à fine totius artis, hoc eſt à delectatione. Contendunt ergo primum, delectationem afferri facilius à poëta poſſe vnius actionis expreſſæ beneficio, quàm multarum; cum id experimento comprobatum, & compertum ſit, ampliori, maioriq. voluptate afficere audientium animos narrationem vnius rei vnam, quam multarum variam, atque multiplicem. Cauſam nobis huius delectationis exponit Ariſtot. in problem. ſect. xviij. in hunc modum inquirens. Cur libentius eas hiſtorias audimus, quæ rem narrant vnam, quàm quæ plures? An quod rebus notioribus magis attendimus, eaſq. libentius audimus? notius autem eſt, quod eſt definitum, vnum verò finitum eſt, plura infinito participant. Aiunt ſecundo loco Ariſtot. in primo Rhetor. & in Ethicorum item primo, docuiſſe, capi delectationem, vel ſpe, quia bonum aliquod expectatur, vel ſenſu, quia præſens adeſt, vel memoria, quia præteritum eſt. Ex his, duo tantùm poëticae eſſe propoſita tempora dicunt, quæ ſequatur ad gignendam voluptatem; præſens, ac præteritum. At ſi tempus intueamur præſens, multò ſanè facilius exiſtet ab vna tantum, quæ auditur, actione, delectatio, quàm à pluribus: vna quippè facilius obijcitur animo, teneturq., quàm plures. Si præteritum, haud dubiè memoria, quæ delectationem percipit ex eo, quod fabulam olim audiendo acceperit, vnam retinebit melius actionem, expreſſam à poëta, quàm plures.

Quod ſi dicas varietate duci hominum animos, oblectariq. magnopere: adeoq. plures actiones poſſe maiorem afferre voluptatem: reſpondent, hanc varietatem poſitam in epiſodijs eſſe: ac propterea voluptatis hoc incitamentum ne in ipſa quidem vnitate fabulæ deſiderari. immò verò hinc oſtendi, duplicem ex perfectis poëmatis exiſtere voluptatem; vnam ab vnitate natam fabulæ, alteram ab epiſodiorum varietate. quæ quidem varietas non ſic impedit, aut minuit delectationem, quemadmodum impedit varietas actionum. Sunt enim epiſodia eiuſdem actionis veluti membra quædam, ac partes; actiones autem multiplices, & variæ omnino diſtractæ ſunt, nec vnum corpus efficere, aut conflare per conuenientiam poſſunt.

Sequitur vt videamus quid ſit demum illud, ex quo poſſimus intelligere, vna ne, an multiplex actio ſit: vt poſtremo loco de Virgilio ſtatuamus, vnam ne complexus ſit actionem, an multas in vnum poëma coëgerit.

Ariſtot.

Aristot. in cap. vj. ait quidem actionem vnam vnius hominis esse debere: sed tamen adiungit, non propterea vnam dici, & esse, quòd vnius hominis sit: cum eiusdem hominis multæ sint actiones inter se variæ, ac discrepantes; atque ideo peccasse poëtas, qui scripserint Heracleida, vel Theseida, hoc est res vniuersas ab Hercule, vel Theseo gestas vnico poëmate colligarint. Fabula, inquit, est vna: non quemadmodum nonnulli arbitrabantur, si circa vnum fuerit, multa quippe minimè definita genere accidunt, ex quibus sanè quædam non constituunt vnum: similiq. ratione vnius multæ actiones sunt, ex quibus numquàm vna actio fiet. quapropter omnes hi peccasse videntur, qui vel Heracleida, vel Theseida, ceteraq. id genus poëmata confinxere. quippe qui cum vnus sit Hercules, vnam quoq. ipsius debere esse fabulam existimarint. Ita, inquam, disputat eo loco Aristoteles; aperitq. ac demonstrat vnitatis indicia, duo poëtarum genera reprehendens: vnum eorum, qui vnius multas actiones, alterum eorum, qui multorum, vel vnam, vel plures actiones imitarentur. Ex priori genere sunt Paniasis, Arrianus, Pisander apud Athenæum; qui Heracleida composuerunt: & Parthenius quidam, qui, vt testatur Stephanus, in eodem argumento sine gloria desudauit. His adnumerari fortasse debet è Latinis Charus ille, quem Heracleida scripsisse testari videtur Ouidius in libris de Ponto.

*Et qui Iunonem læsißet in Hercule Charus.*

Alij præterea multi vnius hominis, aut Semidei multas genere dissimiles actiones cecinerunt: vt Philostratus, qui Pelopidæ, Epaminondæ, Thesei vitas singulis descripsit poëmatis, quod Diogenes Laërtius memoriæ prodit: vt Paedo Albinouanus, Latinus poëta, qui Thesei vitam sui carminis argumentum esse voluit, quod docet Ouidius in Elegijs: Parthenius alter, qui fecit Archelaida, hoc est Archelai vitam Macedonum Regis prosequutus est versibus, quod affirmat Ephestion: duo Dionisij, hoc est Mitylenæus, qui Bacchi victorias omnes vno poëmate complexus est, quod scribit interpres Apollonij; & Afer, qui decantauit item Bacchi res gestas, ac vitam, quod est apud Eustathium in comment. ad eiusdem Dionisij Afri Cosmographiam: Nonnus Panopolitanus, qui Bacchi vitam metro contexuit, & legendam posteritati reliquit. Est hic ille idem, qui virginei Theologi, vt loquitur Suidas, Euangelium heroicis interpretatus est versibus. id quod stylus iudicio peritorum apertè demonstrat. Nec audiendi sunt Iacobus Mazonius, Giraldus, alijque, qui duos faciunt Nonnos Panopolitanos. His accedere debent ij, qui Persei vitam descripsere; quorum vnum commemorat Ouid. his verbis,

------------- *Trinacriusq. suæ Perseidos auctor:*

Statius, qui ausus est Achilleida inchoare: quo in poëmate dicere meditaba-

ditabatur de Achillis actionibus singulis, vt ipsemet in operis propositione demonstrat.

*-------- Quamquam acta viri multum inclyta cantu*
*Moeonio: sed plura vacant. nos ire per omnem,*
*(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem*
*Dulichia proferre tuba:*

Et Gordianus pater, nobilis suæ memoriæ poëta, qui huius erroris haud fuit immunis. In suo enim quodam poëmate, quod inscripsit Antoniniada, Antonini Pij totam planè vitam exposuerat.

Hi sunt, inquam, poëtæ prioris generis, quos reprehendit Aristoteles propterea, quòd vnius hominis multas imitati sint actiones dissimiles genere.

Alios posterioris ordinis recenseamus: ac primò quidem eos, qui vnam multorum actionem expressere. Hoc nimirum in errore versantur Argonauticorum scriptores plurimi; Orpheus, Epimenides, Gnosius, Apollonius, Varro Atacinus. Hunc enim postremum è Latinis Argonautica scripsisse declarat Ouidius in libris Amorum.

*Varronem, primamq. ratem, quæ nesciet ætas,*
*Aureaq. Aesonio terga petita Duci?*

Inter hos collocandus est Cherilus, qui bellum Xersis, Triphiodorus, qui bellum Marathonium, Cornelius Seuerus, qui bellum Siciliense, Archias, qui bellum Cymbricum, Boëtus, qui bellum inter Brutum Augustumq. tractarunt versibus. bellum quippe vna est actio, sed ducum multorum. quem scopulum vt vitaret Homerus belli Troiani eam partem excepit sibi, quæ fortitudinem contineret Achillis eximiam. Nec horum erratis carere voluit Statius cum Thebanum aggressus est bellum: nec Caninius Rufus, qui bellum Traiani contra Decebalum, nec Hostius, qui bellum Istriæ, nec ij demum omnes, qui bellum Troianum post Homerum canendum temerè suscepere. Hi, inquam, omnes eo nomine peccarunt, quòd multorum actionem vnam amplexi sunt. bellum enim integrum non vnius hominis est actio, sed multorum. Restant ij, qui multas multorum actiones canere non dubitarunt. Huiusmodi fuit Polycritus: qui, vt ab Aristotele didicimus in lib. de admirabilib. omnia, quæ ad Siciliam pertinerent compulit in vnum poëma: Rhianus Cretensis, qui Stephano, ac Pausania testibus, de Thessalicis rebus vno item poëmate dixit. Quibus cum haud dubiè recensendus est Ennius; qui Romanorum res gestas narrauit omnes, Annalesq. conscripsit: recensendus Hostilius, recensendus Simulus, & Buta: qui singuli singula fecere poëmata de rebus Romanorum. Ac sequuti fortasse sunt Eugamenem nescio quem Cyrenæum, belli Thesprotiorum scriptorem ex Clem. Alexand. Strom. vj. & Hermesionactem, qui carminum vno volumine clausit

res,

res, & facinora omnia Colophoniorum. In hunc poëtarum ordinem redigere necesse est omnes, qui metamorphoses composuere; quales sunt Parthenius, Theodorus, Callisthenes, ac secundum hos Ouidius, secundum Ouidium Nestor Larandæus, qui Seuero Romanorum Principe floruit, vt docet Giral. in hist. Voluerunt aliqui in hanc etiam classem referre Silium Italicum, quòd veluti de sui operis argumento sic dixerit initio libri xiv.

*Flectite nunc vestros Heliconis numina cantus*
*Ortygiæ pelagus, Siculiq. ad littoris vrbes.*
*Muneris hic vestri labor est, modo Daunia regna*
*Aeneadum, modò Sicanios accedere portus,*
*Aut Macedum lustrare domos, & Achaica rura,*
*Aut vaga Sardoo vestigia cingere fluctu,*
*Vel Tyriæ quondam regnata mapalia genti,*
*Extremumq. diem, & terrarum inuisere metas.*
*Sic poscit sparsis Mauors agitatus in oris.*

Sed iniuria prorsus his adnumeratur, omnia enim illa bella, quæ perstringit, cum secundo bello Carthaginiensi, quod argumentum poëmatis est, ita coniunguntur, vt episodia tantum sint, vnam coagmentantia fabulam, & operis constitutionem vnam. Neque enim variæ illæ terrarum oræ faciunt, vt variæ quoque sint actiones, nisi multiplex etiam Odyssea sit, quæ toto mari circumfertur.

Cum ergo neque ex vno prorsus homine, neque ex vno multorum facinore spectare iure possimus vnitatem actionis, videndum extremo loco est, quid sit, quod actionem vnam facere, ac constituere poëtis imitandam queat. Aristotelem consulamus, qui respondet, esse vnum omnino finem agenti propositum, actionemq. definientem, ac terminantem, à quo vna verè dici debeat actio. Hoc nimirum sibi vult in eodem cap. vj. cum de Homero magnificè pronuncians ita loquitur. Homerus autem, quemadmodum in ceteris antecellit rebus, sic etiam hoc videtur pulcrè vidisse, siue propter artem, siue ob naturam excellentem. Odysseam enim componens, non complexus est omnia, quæ ipsi euenerunt Vlyssi: cuiusmodi est vulnus in Parnasso; aut insaniæ illa simulatio in expeditione: sed in vna versatus est actione; qualem dicimus Odysseam: eodemq. pacto Iliadem. Ita, inquam, Aristoteles notam propriam nobis aperit actionis vnius à termino petitam, ac fine, agentis hominis opus veluti cancellis circumscribente. Cur enim acceptum ab Vlysse vulnus in Parnasso, dum feras venatur, cur ab eodem insania simulata, ne cogeretur in Phrygiam proficisci cum ceteris, actiones sunt, quæ neque inter se committi possunt, neq. cum errore illo diuturno coniungi, qui suppeditat argumẽtum iustum Odysseæ, nisi quia terminos habet suos, & limites, quibus ita definiuntur,

tur, vt è cancellis illis egredi non possint, & in fines aliarum actionum transilire? Hi autem limites, ac termini quid aliud sunt, nisi propositum hominis agentis certum, in re aliqua certa, definitaq. versantis?

Quibus ita constitutis, id etiam statuendum est: Aeneidis vnam actionem vnius hominis esse: quia vnius est Aeneæ, & vno terminatur, ac circumscribitur fine, qui est aduentus in Latium, vt dicitur initio poëmatis, vbi totius operis indicatur finis.

*Italiam fato profugus, Lauinaque venit*
*Littora.*

Scio contra pugnare Grammaticos, qui putant, Virgilium longè recessisse ab Homericæ fabulæ simplicitate; cum vnum conflauerit opus è duobus Homericis. Duos itaque dicunt esse actionum fines in Aeneide, qui conuenire inter se, aut concordare non possint. Iter enim illud maritimum, & errorem Aeneæ vnius actionis finem, & limitem volunt: qualis est in Odyssea. Bellum in Latio gestum alterum faciunt terminum, ac metam, quæ sic alteram definiat actionem, quemadmodum bello Troiano definitur, & concluditur Ilias. Itaq; non probant illud elogium incerti poëtæ, quo Virgilius eo nomine laudatur, quod vtrumq; argumentum Homeri coniunxerit, & callidè fecerit vnum, vt facilius exciperetur.

*Mœonium quisquis Romanus nescit Homerum,*
*Me legat, & lectum credat vtrumque sibi.*
*Illius immensos miratur Græcia campos;*
*At minor est nobis, sed bene cultus ager.*

Scio, inquam, multos ita contendere: sed frustrà sic pugnant. quia bellorum illa tractatio apud Virgilium illi similis est pugnae, quam ad extremum suscepit, gessitque cum procis Vlysses. Magnificentius quidem ea bella geruntur ab Aenea, quàm ab Vlysse committatur illa pugna cum procis: adeoq; si modum ipsum, & rationem intueamur, videri posſunt Iliadis praelijs esse similiora: sed tamen si finis spectetur, comparari potius debent cum digladiatione illa postrema, quæ ponitur in Odyssea. Quemadmodum ergo pugna cum procis non duplicat actionem, quia sumitur, & fit in eam gratiam, vt Vlysses aliquando restituatur in patriam, eamque cum tranquillitate rursus obtineat, qui finis est fabulæ; sic Aeneæ bella nouam excudere non possunt actionem, quia geruntur ideo, vt occupetur aliquando Latium, & cum animi securitate teneatur: qui terminus erat huius erroris, & totius itineris, laborisq. iam in altera poëmatis parte descripti. Idem de Iliade iudicium esto. Ex toto enim bello Troiano, vt alibi dictum est, partem vnam sibi sumpsit Homerus, ex qua potissimum cernerent homines, Græcorum illam victoriam in vnum Achillem esse totam omnino referendam. Quod si aliquid præterea canit, in hanc gratiam canit,

canit, nec in actionibus versatur, quæ suos limites, ac terminos habeant ab hoc fine discrepantes. Id quod Aristoteles disertè distinctèq. sic docuit in cap.xxij. paulò ante finem: Ob id etiam diuinus Homerus videri debet,quòd bellum alioqui principio, medio, ac fine constans scribere minimè est aggressus. Si quidem vel nimis magnum, euasurum, atq. adeo perceptu difficile existimauit: vel si ad iustam magnitudinem contraxisset, inculcatum nimia varietate futurum. Nunc verò eius dumtaxat parte suscepta, pluribus in ea episodijs vsus est,sicuti nauium catalogo, alijsque, quibus poëma locupletissimum reddidit. Ita eo loco Aristoteles. Ad eam ergo partem, quam canendam suscepit, atq. ad eum finem,collimant omnia,quæ tractantur in opere,quantumuis inter se diuersa, ac varia. Nam siue læsus ab Agamemnone pugnam detrectat Achilles, siue iratus ob mortem Patrocli debacchatur in hostium acie, id vnum agitur, vt victoria vnius Achillis virtute parta esse demonstretur. Græci quippe,Achille minimè pugnante,succumbunt, eriguntur illicò cum arma repetit, & pugnam integrat Achilles. vt rectè scriptum à Philostrato sit in Heroicis propè finem hoc modo. Vni Achilli tribuit Homerus opera præstantiora, atq. ideo pugnantem eum sic facit, vt ceterorum oblitus esse videatur.

Itaq. vt ad Aeneam reuertamur; siue tempestatibus impellatur, & erret in mari,siue ad Didonem diuertat hospitio, siue ludos celebret ad tumulum patris,siue penetret ad Inferos,siue pugnet in Italia;semper errat, semper diuertitur, semper egreditur è via, semper arma tractat, & pugnat in eam gratiam, vt Latium aliquando tandem, & nouum regnum ab oraculis, Dijsq. promissum adipiscatur. Non enim Aeneas tantummodò canitur nudus,ac simplex à Virgilio,sed Aeneas cum adiuncto & epitheto aliquo,hoc est Aeneas errans, aut laborans ad parandam Italiam.Quare tum desinere,terminariq. actio, & fabula debuit,cum Aeneæ iam absoluti labores, & errores erant. Erant autem absoluti tum,cum occisus est Turnus. Ex quo iterum intelligi possit, Aeneam regnantem à Virgilio cani non debuisse, quia noua fuisset actio,hoc est, aliud quoddam noui poëmatis argumentum.

*Hæ sunt vindiciæ,quas secundum libertatem Virgilio damus:præcisas illas quidem,atq. imperfectas;sed eas,quæ possint alijs aperire viam ad ampliores. Et quoniam sæpe commemoratæ sunt disputationes illæ meæ tres de Virgilij Allegoria, quas in primum retuli volumen orationum, placuit hic ad extremum easdem subiungere: vt quicquid præsidij petendum ab ijs esset ad patrocinium causae, facilius hoc loco repræsentetur.*

# DE VIRGILII ALLEGORIA VNIVERSE.

## ORATIO I.



VANDO Rhetoricæ patrocinium suscipere non possum, quin aliqui sibi ipsis bellum inferri putent; ego, qui numquam turbas amauerim, argumentum hoc anno tractare institui suspiciosis istis dicendi magistris minime litigiosum, gratissimum, nisi fallor, vniuersis. Cum enim animo penderem, neque prouidere satis, aut statuere possem, quam demum ingrederer viam, vt non solum re ipsa dicerem innocenter, sed etiam innocens haberer à vobis, Religiosissimi P. P. ornatissimi Auditores, mihi commodum legenti occurrit Donatus, ille litterator insignis, Hieronymo potissimum discipulo, tam diserto, sanctoq. viro, nobilitatus. qui, vt multa de Virgilio splendidè, magnificèq. prædicaret, id ex adyto quodam penetrali mihi pronunciare videbatur: tantum hunc, talemq. poëtam esse, vt par sit diuinum eius poëma non à Grammaticis, sed ab oratoribus ipsis explanari. Placuit hominis dictum, & Grammaticos, quasi verbo Prætoris, à veteri possesione deturbari mirifice gauisus sum. Recordabar enim, ab Augustino, augustissimo illo Christianæ Reipublicæ Principe, diuinarum causarum oratore clarissimo, Virgilium non eloquentem modo, sed auctorem, & parentem eloquentiæ nominatum. Legeram in Hieronymo, tum poëtam ingeniosum esse, tum elegantissimum oratorem. Sciebam, appellatum à Quintiliano summum in eloquentia virum, disertissimum à Seneca, oratorum omnium à Macrobio validissimum; ab ipso etiam Abulense, si tamen huius auctoritas aliquid ad rem pertinet, habitum esse totius eloquentiæ ornamentum, ac decus. Quid multa? Inueni apud eundem Macrobium auctores minimè pœnitendos, qui eloquētia, dicendiq. artificio Ciceroni Virgilium anteponant. quam iustis de causis non dico, sed anteponunt tamen. faciunt enim eloquentiam, quadripartitam: copiosam, in qua Cicero licenter excurrat; breuem, in qua Salustius regnet; siccam, quæ Frontoni, cum viueret, adscriberetur; pinguem, ac floridã, in qua iunior Plinius, ac Symmachus molliter,

liter,& delicatè luxurient. In tanto,ac tam vario ſcriptorum numero vnum extitiſſe Virgilium aiunt, qui eloquentiam ex omni genere dicendi conflauerit,qui grauia cum acutis,acuta cum grauibus,inflexa cum vtriſq. componens, admirabilem in oratione concordiam fecerit.Hunc vnum oratione multiplici, numeris diſſimiliter emodulatis exprimere potuiſſe illum cæleſtium orbium concentum a Pythagora olim excogitatum; & imitari dicendo infinitam prope varietatem aſpectabilis Vniuerſitatis: vbi terra hæc mortalium altrix, in media mundi parte collocata, qua læta ſegetibus eſt, qua dumetis, ac rupibus hiſpida,qua ſalebris,atq. arenis arida,qua proximis fontibus vliginoſa; qua ſiluis obducitur, qua circumiectis clauditur montibus, qua vaſto, patentique aperitur mari.In Cicerone vnum eſſe tenorem perpetuum,atq. conſtantem,affluentem,rapidum,torrentem, volubilem,copioſum.

Delector equidem hoc elogio;ſed permoleſtè fero,communem cum Virgilio,Ciceroni gloriam eripi.Errant enim iſti, quòd vnum Virgilium,ipſo quoque ab hac laude Cicerone depulſo, plura ſimul dicendi genera temperaſſe putent: quod putant admirabili modo temperaſſe, profectò non errãt.Quid eſt obſecro,cur etiam Cicero non ſit breuis, & parcus in loco?quia non eſt,vt oratores illi,quos admirantur, fœde mutilus,ac turpiter abruptus? Cur non ſit gracilis,ac preſſus vbi res, & cauſa id poſtulare videatur?quia non eſt, vt eorũ quidam exſuccus, non aridus,non exſanguis,nõ ieiunus,ac pene fame conſumptus? Cur non varius, cur non pictus, ac floridus in rebus pro dignitate comendis? quia non duras, & è longinquo petitas metaphoras omnibus interſerit locis,quas iunior ille Plinius, ac Symmachus,quas hac etiam tempeſtate noui Logodædali fabricarunt? ſed innocentiam argumenti mei horum ego reprehenſione non violabo: quin etiam habeo gratiam arbitris iſtis, non quòd à Cicerone tantam gloriam abiudicarint,ſed quòd honorifico iudicio Donato ſubſcripſerint,ac veluti ſanctiſſima lege decreuerint, ſummi oratoris eſſe, Virgilium interpretari,non litteratoris,& Græculi. Neq. vero id ea gratia dico,quòd diuinum poëtam ſatis eo præconio laudatum exiſtimem. Excelſiora quædam,ac maiora de Virgilio ſentio, quàm vt ea iſtorum cõmendatione circumſcribi queant.Rem dicam alicui fortaſſe nouam:vocem proferam confidentem,atque audacem,ſed tamen veram.Quid enim? non Grammaticos ſolum ab aliena poſſeſſione velut ex iure manu conſertos voco, ſed Rhetores etiam ipſos tam opulentã hæreditatem adire veto ex interdicto.Confirmo,inquam,conſtantiſſimè,neque Grammatici,neq. oratoris eſſe Virgilium explanare interpretando,ſed doctiorum hominum, atq. vt verbo dicam vno,Philoſophorum. Riſum hoc loco fortaſſe tollent noui philoſophi, quorum eſt ſuperba,& faſtidioſa

fortuna. fundum suum fieri poëtas nolent, & patrimonium istud facilè permittent occupanti. Permittant, vt libet: permittant autẽ non nobis mediocriter doctis, ac semilatinis, sed summis viris, antiquissimis philosophis, inprimisq. Aristoteli, cuius longo tempore lecti sunt de locis Homeri perplexis, atq. ambiguis, libri sex: permittant Anaxagoræ Clazomenio, qui saluberrimã philosophiã in Homero velut in sapientiæ breuiario relegebat. permittant Arcesilao mediæ Academiæ auctori clarissimo, qui numquam in cubile se se recipere solitus erat, nisi ante aliquid ex Homero somni conciliandi causa tamquã è philosophiæ narthecio delibasset. quin etiã diluculo, ac bene mane, vbi primũ è grabato surrexisset, Homerum iterum lecturus, ad amasium suũ itare se dictitabat; vt remotis arbitris cum eo familiariter, ac libere philosopharetur. Permittant Platonico Proclo; qui totũ Homerum locis è media philosophia petitis illustrauit. Permittant ipsi omniũ magistro Platoni; cuius illa vox est, in eo libro, quem de summo bono scriptum reliquit: in Homero contineri diuinam omnem, humanamq. philosophiam. Nihil attinet omnes ducta serie percensere: sed permittant Zenoni, Chrysippo, Heraclito; permittant quod grauius est, Christianis philosophis, doctissimis, atq. sanctissimis, Cyrillo, Fulgentio, Basilio magno, ceterisq. sapientibus viris, & multis, & nobilissimis; qui omnes epicũ Homeri poëma splendidum philosophiæ ludum, ac virtutis officinam amplissimam existimarunt. Sentio, vos expectare dum aperiam aliquando sapientiam hanc in ipso Virgilio delitescentem: sed non nihil in ea philosophorum natione commemoranda immorandum fuit; vt intelligant isti, qui poëmatum opes aspernantur, esse populum Romanum qui adeat repudiatam ab ipsis Attali hæreditatem.

Equidem neq. tanti sum, neq. ita me ipsum ignoro, vt non videam quàm arduum sit huiusmodi philosophiam ex abditis poëticæ latebris explicare: sed illud præterea scio; non modo rerum magnarum, atq. præstantium perfectionem probari, sed conatum etiã in iisdem, atq. aggressionem esse laudabilem. Huic adeo spissi, operosiq. operis magnitudini, atq. asperitati ita facilè occurrere posse me video, si nõ omnia hodierna die vna concione simul effundam, sed multa mihi per partes alio tempore tractanda reseruabo. Cũ enim sint neq. pauci, neq. imperiti, qui nullam in epica poësi philosophiam abditam esse pugnacissime contendant, sic partiri necesse habeo rationes meas, vt quæram initio, sit ne aliqua, & in poëtarum fabulis vniuersè, & in Virgilio nominatim penitus abstrusa sapientia. Deinde, si qua sit; quænam ex triplici genere philosophiæ pars esse videatur: ad extremum, si certa sapientiæ forma in epico illo continetur opere, certa ne ratione, ac via euolui, atque inuestigari queat. Sed quia tam multa, tamque difficilia in vnam hanc orationem compelli

non

non possunt, ceteris in aliud tempus, otiumque sepositis, illud vnum habeo dicere, ac seorsum hodie disputare, aliquam esse petitam ab intima philosophia scientiam rerum vtilium, quam in Epica poëtarum omnium, atque adeo in ipsius Virgilij fabula contineri necesse sit.

Vide, dixerit aliquis etiam, atque etiam quàm graues quàm magnos in te aduersarios excitaturus sis; non ex ijs modo scitis, acutisq. scriptoribus, qui vel nostra, vel non ita superiori memoria huiusmodi tectiores poëtarum sententias, quas allegorias vocamus, quasi deliramenta Sophistarum irrident; verum etiam ex antiquissimis illis, qui Heroicis pene temporibus in altrice disciplinarum omnium Græcia floruerunt. Nam apud Eustathium Aristarchus; is, qui commentarios supra mille posteritati reliquit, & tam graui semper habitus est in rebus discernendis, distinguendisque iudicio, nullus vt putaretur Homeri versus esse germanus, & verus, quem suo ille calculo non probasset: is inquam talis, ac tantus Homericae causæ quæsitor, ac iudex omnes omninò ab Homero allegorias ablegauit, negauitque disertè, aliud ab eo dici, aliud intelligi oportere. Placet hos, longeque plures aduersarios esse, quibuscum iure concertandum, ac dimicandum sit. Neque enim eos imitari necesse habeo, qui, vt aliquod ad contentiosè dicendum argumentum inueniant, quem in foro non vident aduersarium, in re minimè controuersa sibi designant animo, & cum vmbra, ventisque fortissimè digladiantur. placet inquam verissimum mihi bellum esse cum istis, ac potissimum cum Aristarcho, cuius arbitrium ipsæ pene literæ reformidabant: Habet sane, habet vnus hic Grammaticus Alexandrinus infinitam propè Grammaticorum turbam contra pugnantem, habet Philosophos multo grauissimos, habet auctores omni doctrinæ genere præstantes, ac nobiles, qui sanctè confirment, Homerum haustam ab Aegyptijs philosophiam, vt augustior esset, atque admirabilior, excogitatis fabulis, quibusdam veluti notis arcanis, quæ Hieroglyphica vocantur, adumbrasse. Quod Homeri, ceterorumq. comminiscendæ fabulæ consilium, sapienter, ac doctè Palephatus explicauit, affirmans, plerasque mortalium verè certèq. res gestas, veteratoriè poëtas fabularum fuco, & commentis incredibilibus inuertisse; vt legentium animos, & admiratione tenerent, & voluptate perfunderent. Verissima sanè vox, & quæ insitum poëtis ab artificio morem, non tam dicendo aperiat, quàm ob oculos ponere videatur exprimendo. Intelligit enim vir eruditissimus, suis ipsorum præceptis admonitos poëtas illud omnino agere, ac sequi, vt in mortalium animis excitent eam, quæ delectationem, ac voluptatem pariat, admirationem. quod quia rerum compositarum, fictarumq. beneficio facilius, quàm verè gestarum consequi

se posse confidunt, res veras, atque adeo saluberrimas vitæ leges, non præceptione tradunt, sed fabulis, & commentis inuoluunt. Quid autem est rei veritatem, ac morum doctrinam fabularum inuolucris obducere, nisi eas persequi, quas isti è poëtarum scriptis expungunt allegorias?

Rectè sanè interpres Hesiodi Zezes initio Theogoniae quatuor esse confirmat omninò res, quibus Epicorum poëtarum omne nomen, ac vis contineatur: heroicum versum, allegoricam fabulam, historiam perantiquam, aptam, accommodatamq. materiæ dictionem: sed in his principem obtinere locum allegoriam, eamq. proprium esse poëtæ characterem, ac notam. Quid planius, quid sapientius dici potuit, quid accommodatius ad istorum iugulandam audaciam, qui spiritum ipsum, ac vitam poëtarum extinguunt? Si enim proprius eorum character, ac nota, & est, & verè dicitur allegoria, quotus quisq. non videt, hanc vnam esse partem, cuius beneficio, ac vi poëtica consistat, moueatur, & viuat? Haud certè sine summo consilio nuper clarissimus Italici nominis poëta, Epopeiam velut animantem absolutam, atque perfectam esse aiebat, cuius corpus ipsa rerum imitatio sit, animus allegoria. Nam quemadmodum animo corpus obtemperat, seruitq. rationi, sic imitatio, quasi rerum corporatarum sensibus obiecta figura, vtilitati obsequitur, ac tamquam in animantis corpore animus, sic ipsa in toto poëmate continetur, & funditur. Nullus hæc, mea quidē sententia, neq. melius vidit, neque prudentius docuit, quàm philosophus inter Platonicos honoratus, ac nobilis Proclus: qui Stesichorum, doctum illum alioqui hominem, ac perspicacem, caecum tamen, ac nihil videntem appellauit, quòd Helenæ raptæ, belloq. repetitæ fabulam, veluti rem præteritis gestam temporibus, ac veram historiam, canere non dubitasset: neque intellexisset eo figmento significari, nostras ipsorum animas post decem annorum millia, quæ illa decenni Troianorum obsidione comprehendūtur, vbi diu multumq. circa terram varia nascētium, intereuntiumq. rerum vicissitudine fluctuarint, eorum instar Græcorum, qui Troia summo diuturnoq. labore deuicta, domos remigrarunt suas, esse tandem aliquando ad eum locum, vnde sunt haustæ, ac delibatæ quasi lōgo postliminio reuersuras. Quod si tantus philosophus eum, & cæcutientem, & orbum oculis iudicat, qui nobilem Helenæ fabulam, hoc est narrationem ceteroqui credibilem, neque vehementer abhorrentem à vero euoluere, atque interpretari allegoricè non potuerit; quid nos de alijs fabulis existimabimus, quæ non incredibilia modo, sed etiam execranda impudicitiæ, impietatisque portenta comminiscuntur? Homerum ne, aliosq. primi ordinis poëtas, qui ea finxerunt, illicò damnabimus inauditos, dicemusq. homines acutos, ac lynceos non vidisse, quod postea pronuntiatum est à

ſapientibus, cum plane, diſertèq. dixerunt, poëtas ita oportere fingendo prudentes,& callidos eſſe,vt niſi credibilia, veroque ſimilia fingant,è poëtarum choro depellendi ſint? Dixerint hæc audaculi quidam Ariſtarchi,quorum videtur,& quæri, & ali gloria reprehenſione bonorum: quorum eſt moderatum integrumq. iudicium, ij non modo ſummos auctores non reprehendent, verum etiam pro ipſis acerrime, conſtantiſſimeq. pugnabunt.Sed fieri quì poteſt,vt huiuſmodi prouinciam ita ſuſceptam ſuſtineant,niſi receptum habeant,confugiantq. ad allegorias? In ſpeciem ſane quæ dicuntur à poëtis incredibilia ſunt, indecora, atque ab ipſa ratione prorſus aliena:ne ficta ſine ratione dicamus,haud dubie confirmabimus, ea quædam eſſe veritatis integumenta,quæ imperitorum oculos fallant, ſapientium iudicium fallere, ac doctrinam decipere nullo modo poſſint. Sapienter enim ab Euſtathio dictum eſt,fabularũ turpitudinem eſſe quoddam poëticæ vulnus, quod allegoria quaſi delibutis medicorum faſciolis obligatur. Quin placet etiam hoc loco Proclum illum philoſophum,Homeri tutelam, aduerſus magiſtrum ipſum Platonem & ſuſcipientem,& pro dignitate tractantem,audire.Sed altius repetenda res eſt, vt omnis ſuſcepti patrocinij cauſa facilius intelligatur.Mẽſam Homerus in cælo, & epulis exquiſitiſſimis,& conuiuis longè lectiſſimis ornat. adeſt Iuppiter, non Deorum modo, ſed etiam conuiuij Rex.aſſidet iuxta Iuno, prope Iunonem Venus: ceteri Dij, Deæq. toto triclinio circumfunduntur.Res agebatur,& iucundè quidem,& grauiter, vt decebat in cælo: ſed tamen,cum Iuno,vt eſt feminarum genus ſuſpicioſum, & maximè querulum, intempeſtiua quadam expoſtulatione Ioui ſtomachum repente mouiſſet, epulas diuinas amariſſimo reſperſerat felle, accumbentium hilaritatem in ſummam triſtitiam, mœroremque conuerterat; menſam illam fecerat è Deorum conuiuio ſilicernium funeſtorum. cum ecce tibi Vulcanus, ſellularius, & deſpicatiſsimus Deus, qui ea die poculi magiſter à Ioue creatus fuerat,enormi illo, diſtortoq. crure tanta cum turpitudine claudicare cœpit,hàc illac impigre, velociterq. nectar adminiſtraturus excurrens, vt ſtatim excitato cachinno quodam inſolenti, atque, vt loquitur Homerus, inextinguibili, haud minus in cælo riſerint Dij, quàm ridere ſoleat infimæ ſortis populus in togata,vbi ſcurram, & ſannionem iocantem videt,aut egregie partes agentem ſuas Gnathonem aliquem è paraſitis.Hęc igitur incuſat, reprehenditq; grauiſsimè Plato,ſummus, & intelligendi auctor,& dicẽdi magiſter; quòd intemperatiſsimus ille riſus, qui ne homines quidem mediocriter prudẽtes deceret,multo maxime alienus eſſe videatur à Dijs.Quam Proclus criminationem ita depellit, ac diluit, vt dicat,Vulcano illo molitore,ac fabro, vniuerſitatis molitionem, mundiq. totius,quã Dij ſuſcipiunt, adminiſtrãdi curam ſignificari.ſummo

propterea consilio, ac ratione Vulcanum irridentes induci Deos, quia mundum hunc, resq. mortalium affabre factas cum risu, hoc est cum voluptate contemplantur, & temperant Dij. O poëtas verè sapientes, ac doctos, ò fabulas minimè fabulas, sed admirabilia pulcherrimę, verissimæq. sapientiæ documenta. Haud scio, an hæc à sacris religionis nostræ voluminibus hauserit Proclus; in quibus quotidie legimus, opificem Dei Sapientiam, & in orbis terrarum molitione lusisse, & suas habere delicias positas inter mortales. Eusebius certè Pamphili testatum reliquit, pleraq. Platonicos ex Hebræorum monumentis, quæ studiosè perlegerant, in suam ipsorum sententiam pertraxisse.

Possem hic equidem infinita propemodum poëtarum commenta, quæ de industria videntur ad corrumpendos mores excogitata, eadem plane ratione, & quidem ex auctoritate maiorum, interpretari: sed cum modestiæ meæ, tum tempori consulendum est, cuius certis, ijsq. non ita latis finibus sentio circumscribi orationem meam. Vnum aduersarij suo credo iure à me requirunt, quòd ijs debere diutius nolim. Si enim, dicent isti, eum in Epopoeia locum occupauit allegoria, vt tam pulcri corporis animus, ac vita putanda sit, mirum sane videri debet, cur eam Aristoteles toto illo libro, quem de poëtica scripsit, in aliqua saltem Epopoeiæ parte non collocarit. Quibus ego primum sic habeo respondere breuiter, & sine fallacijs, eum Aristotelis libellum inchoatum, & curtum esse, neq. hominis docti absolutum opus haberi, sed apparatum quendam, atque adumbratam leuiter operis faciendi descriptionem: vnde consequens esse possit, allegoriam non tam à ceteris depulsam fuisse partibus, quàm cum alijs præterea multis in opere minus absoluto desiderari. Quia tamen hoc ad euadendum periculũ alicui videbitur ex industria, & calliditate quæsitum effugium, confirmo disertissimè, partem hanc, neq. casu ab Aristotele prætermissam, neque voluntate reiectam esse, sed in loco planè positam, traditamq. cum ceteris explicatè. Vnum demonstrabo, quod nullus ad hoc vsque tempus interpretum vidit; mirorq. perspicaces alioqui viros in sole meridiano clarissimam Epopoeiæ partem videre non potuisse. Neque tamen idcircò mihi Statuam in Curia postulo, quod faciunt noui literatores, vbi scripturam, aut etiam in ipsa scriptura correxerint apicem, ac literulam mendosiorem; quasi Tygranem bello ceperint, aut Romanam Remp. diuturna tyrannide liberarint. Non ea confidentia sum, vt ab Apelle pingi, aut à Pyrgotele sculpi me velim, quòd in Aristotele viderim vnum, interpretum incuria præteritum, fortasis etiam voluntate neglectum. Sed tamen audeo vel solus, vel cum paucissimis dicere, Aristotelem planissimè de allegoria disputare: disputare autem eo loco, vbi de fabula, deq. multis apud Homerum incredibilibus episodijs ita loquitur. Etenim fabulæ

bulæ iam inde ab antiquissimis constitutæ temporibus, vulgoq. probatae, etiam si aliquid rationi minimè consentaneum continere videntur, immutandæ non sunt: nam illa ipsa, quæ de Vlysse in portum exposito dicuntur ab Homero, absurda sunt, adeoq. ferenda non essent, nisi ea poëtarum optimus ita finxisset, vt alio bonorũ genere id, quod incredibile videtur obliteret, & quicquid absurdum est, quibusdam quasi medicamentis aspergat. Hæc Aristoteles: quo loco paulum hærere necesse habeo, ac primi Philosophi verba breuiter, & cursim interpretari. Fabulas antiquas quamuis incredibiles, & cum ratione pugnantes, neque mutandas, neq. improbandas esse confirmat: ex eo genere Vlyssem videri apud Homerum ab Alcinoo Rege digressum, & in Ithacæ littus eiectum. quem præter fidem, & rationem tota via, difficili, ac bene longa dormientem in naui facit, appulsum in terram illo eodem somno penitus occupatum; relictum à Phæacensibus etiam grauissimè sopitum, ac somniantem. denique in Nympharum pulcherrimam speluncam introducit, quæ in Ithacæ portu, quemadmodum Cronius ait, nulla erat. Sed tamen hæc somnia fidei, rationique contraria, illigatis, inuolutisq. in ea fabula bonis deleri ait, & suppositis quasi medicamentis tanta illa vanitate liberari. Quæ nam verò ea bona esse putemus, quæ vanitatem ab illo figmento depellere possint, nisi pulcherrima eius fabulae documenta, quorum accessione mẽdacium sic euanescit, quemadmodũ inductis coloribus obliteratur linea, quæ tabulam occupabat? Quid ea medicamenta significant, nisi vtiles vitæ præceptiones, quæ splendido illo mendacio conteguntur? Vt enim ipsius medicamenti amaritudinem, atque asperitatem suauissimo aliquo liquore medicatis poculi labris occulimus, ita salutaria vitæ documenta iucundo fabularum commento tegere soliti sumus, vt degustata mendacij dulcedine, quicquid amarum est, facilius hauriatur. Esset operæ pretium quid Vlysses ille tamdiu sopitus, ac dormiens, quid Phæacensium incuria, quid Musarum antrum, quid res ceteræ abhorrentes à fide sibi velint, ex Cronio, ex Numenio, & Eustathio dicere. Sed quoniam hæc vacuum omnino postulant tempus, & mea iam ad exitum inclinat oratio, longissimam allegoriæ interpretationem facilè prætermitto, modò maneat id, quod præcipue contendebam; eum Homeri locum absurdum prima sui specie, longeq. à ratione remotũ, rationi consentaneum fieri beneficio philosophiæ, quæ fabulis illis incredibilibus illigatur. Sequitur, vt quæ vniuersè de poëtarũ allegoria diximus, ea de Virgilio, cuius causa hęc est à me instituta disputatio, confirmentur. Neq. enim eos imitamur, qui tam solutè, atq. oscitanter hũc poëtam legunt, vt nihil in eo videant aliud, nisi Aeneæ Troiani hominis in Italiam aduentum, & Homeri diligentem, accuratamque imitationem. quamquam isti ipsi, qui hoc vnum egisse

Virgi-

Virgilium dicunt, vt Homerum imitaretur, magnum aliquid dicunt, si etiam illud secutum intelligunt, vt ad Homeri similitudinem manu directa, pulcherrimas allegorias, quod est in Homero præcipuum, adumbraret. Nam quid est, cur tantum, ac sapientem virum inertes secutum pictores existimemus? qui aperta quædam, atque illuminata solum in alienis artificijs imitantur, abdita, obscura, recedentia longe, atque retrusa, in quibus artis est plurimum, non imitantur. An vir omni disciplinarum genere cultissimus, summo, singulariq. iudicio præditus Homerici operis quasi corpus diligentissime vidit, animum, quo mouetur, ac regitur corpus ipsum, in sui poëmatis molitione non vidit? longe de illo aliter, & loquuntur, & sentiunt nobilissimi, doctissimique scriptores antiquitatis. Video enim à Macrobio dictum, eum oportere acutissima oculorum acie præditum, atque instructum esse, qui ad absolutam penitusq. abditam in Virgilio sapientiam possit aliquando penetrare. Video scriptũ ab Honorato Seruio, Virgiliũ è scientia philosophorũ intima canere. Didici à Hieronymo, inter philosophos, ab Augustino inter doctos habendum, à plerisq. veterum inter liberaliũ artium scientissimos viros adnumerãdum esse. Sed nemo de Virgilio iudicasse videtur honorificẽtius, quàm Gordianus. Hunc enim, non maiestate tantum, ac ditione, sed vita, doctrinaq. venerandũ plane Imperatorem tradit Capitolinus ita veterum lectione philosophorum fuisse delectatũ, vt Platonem, Aristotelem, Virgiliũ numquã sibi è manibus elabi pateretur; quasi vellet ea scriptorum societate significare, nihil à Platone, nihil ab Aristot. tradi simpliciter, quod à Virgilio versibus, & numero nõ caneretur. Sed vnde cognitum habẽt hi, Virgilium ita scientem fuisse philosophiæ, nisi ex abditissimis illis, obscurissimisq. sententijs, quas aspectabilium, notarumq. rerum imitatione à legentiũ oculis ingeniosus poëta porrò subduxit? Quorsum ea philosophia ita cõmendaretur à doctis, nisi ab ipsis, in eo, quòd vulgò legitur opere, pene oculis cerneretur? Quorsum tã vario disciplinarum genere Virgilius diceretur instructus, nisi variam illam doctrinã, ac scientiam plane multiplicem versibus suis clam, & quasi dissimulãter illigasset? Nae ille, quem paulò ante laudaui, studiosissimus poëtæ patronus, propugnatorq. Macrobius, egregiè, ac præter ceteros hęc docuit excellenter, cum de Virgilio confirmauit, amplissimam eũ, iucundissimamq. philosophiam suo ipsius operi laudabiliter aspersisse. Quid enim est operi philosophiam aspergere, nisi varia philosophiæ documenta fictis in opere fabulis occultare? Nemo profectò, neq. philosophus, neq. aliarum liberalium artium sciẽtia eruditus, hunc vnum poëtam legerit, quin in eo fusa, atque aspersa suæ doctrinæ præcepta recognoscat. Ceterum intelligo, me nihil agere, nisi vos, quod in Homeri causa iam feci, velut in rem præsentem ducam; ostendamq. ali-

quid

quid etiam in Virgilio esse, quod ab incredibili, atq. ab indecoro sine allegoria vindicari nō possit. Ne multa. Macrobius factus ex procuratore præuaricator, Homerum summè cōmendat, quòd in nulla sui operis parte trium illarū Dearum de pulcritudine certantium, iudicijq. Paridis mentionem aliquādo fecerit: contraq. Virgiliū grauiter accusat, quòd ab ira Iunonis impotenti, atq. implacabili ausus sit poëma tā amplum, atq. magnificum exordiri. Scio equidem, hoc loco Scaligerum virgulam illam censoriam suam in Macrobium intendisse, admirabundū, quòd tantus vir, tam insigniter eruditus non videret in Iliadis fine fabulā hanc aliquot versibus ab Homero perstringi: sed in auctorem regerenda virgula est, quòd non legerit apud Plutarchum, eos versus non Homeri proprios, sed spurios, atq. suppositos à veteribus habitos esse. Vtcumq. controuersia sit; reprehensum à Macrobio Virgiliū video, quòd fabulam incredibilem, & decoro minimè seruientem cōmemorarit. Neq. enim simile vero videatur, aut deceat, leuissimis de causis altercari Deas, & ad litem dirimendam, componendamue, mortalium, atq. adeo pastorum subire iudiciū velle. Iure ne dicantur hæc, an iniuria, non disputo. Sed fac tamen iure, ac meritò reprehensa. Si qua Virgilius, aut ab incredibili, aut ab indecoro videtur labe respersus, eā ego Fulgentij Placiadis, hominis docti, & Christiani auctoritate detergam. qui fabulam hanc sapienter interpretatus, tres illas Deas humanæ vitæ rationem dixit esse tripartitam: contemplantem Palladem, actuosam Iunonem, Venerem voluptuariam. Has Deas propterea iudicari à Ioue non debuisse, quòd Deus liberā homini deligendæ vitæ optionē dederit, vt quam velit è tribus, suo arbitratu, ac iudicio cōplectatur. Addit, neq. prudētem aliquēm, neq. doctum eius causæ iudicem fuisse delectū; quia cum esset illo figmento stultorum consilium exprimendum, qui contemplationis actionisq. hoc est virtutis, ac doctrinæ posthabita præstantia, voluptati corrumpendos se tradūt, tam parui, peruersiq. auctorem iudicij non acutum hominē esse oportuit, non eruditum, ac doctum, sed pastorem imperitum, ac rudem hominem; belluarum pene conuictu sic vtentem, vt parum ab ijs differre videretur. Multa præterea sunt apud hunc etiam Latinum Homerum, quæ petito ab allegoria patrocinio egent. Sed prouidere me oportet, ne vos ante patiēter audiendi finē faciatis, quàm ego putide, molesteq. dicendi. Tantū orandi mihi etiam, atq. etiam estis; vt quoniam hoc ad vos hodie iudiciū à me delatum prudentius est, quàm illud ad Paridē, gregarios à Virgilio interpretes, velut ab interuerso fundo deijciatis, constituatisq. Philosophorum esse in tam amplo, splendidoq. sapientiæ regno dominari. Quod si plane de re non liquet, ac Iudicum sententiæ variant, ampliari per me licet, & cōperendinare; vt actione altera, & dicatur à me copiosius, & à vobis de tota causa facilius decernatur.

DE

# DE VIRGILII ALLEGORIA MORALI.

## ORATIO II.



VOD votum eſt Comicorum omnium poëtarum, palam, ac liberè profitentium, ea ſe gratia, conſilioque adieciſſe ad ſcribendum animum, vt populo placerent, quas facerent fabulas, id me votum iam ſæpe damnauit, ac reum fecit apud vos Auditores: quorum humanitate factum video, vt numquam ex hoc loco dixerim, quin ea, quæ dicerentur à me, oculis, vultu, nutu, ipſa etiam, quæ vendibiles excipere ſolet orationes, admurmuratione ſecunda comprobaretis. Licet ita hodierna die non tam de me glorioſè, atque inuerecundè prædicare, quàm de veſtris in me promeritis amplè, magnificèque ſentire. Nam cum ſemper hic mihi vigiliarum mearum extitit fructus, vt à vobis accurate, ac libenter audirer, tum verò maxime anno ſuperiore; cum explanationē Virgiliani operis à Grammaticorū vulgo ſic vindicaui, vt contenderē, Philoſophorum eſſe, Philoſophū illum poëtam, aut poëtarum veriùs Platonem, quemadmodum eum nominabat Alexander Seuerus, auditoribus interpretari. Acclamaſtis inquam orationi meæ, atq. arcanam in eo poëta Philoſophiam occultari aliquam, veſtro quoque ſuffragio decreuiſtis. Nunc, quoniam ita placere omnibus hanc ſententiam animaduerti, & à Philoſophis, quorum fines intraueram, neque faſtidioſè reiectus, neque poſtulatus iudicio, aut appellatus ex tribunali ſum; intelligo mearum eſſe partium, conſtituere certam philoſophiæ formam, quam in opere, veluti myſterio quodam videatur allegorijs poëta ſolertiſſimus obduxiſſe. Cum enim à Platone omnis philoſophiæ ratio tres in partes tributa ſit, quarum prima ſubtilitate diſputandi, ac diſſerendi, altera moribus, & vita, tertia naturæ ipſius obſcuritate contineatur; niſi etiam dico quam tandem è tribus hiſce formis appoſitam Aeneidi, atque obuolutam illo poëmate putem, fidem meam, quam tum vobis Iudicibus obligaui, non liberabo.

Principio igitur, vt ab incertis explorata, & certa ſecernamus, illud ponendum exiſtimaui, quod turpiſſimum eſſet, in dubium, quæſtionemque venire, eam philoſophiæ partem, quæ genera partitur, ac ſpecies, quæ conſequentia, & repugnantia videt, quæ diſtinguit ambigua, non fuiſſe optimi poëtæ conſilium in grauiſsimũ illud opus includere: niſi eos fortaſſe audiendos putatis, qui paulo ſuperioribus annis tam acute, atq. ſubtiliter de poëſeos vi, ac natura diſputabant, vt eam non modo Dialecticæ, ſed etiã Sophiſticæ ſubiungere non dubitarent.

Vnum igitur eſſe video, quod diſputando inueſtigare, ac quærere minime puduit prudentiſsimos viros: naturalem ne, an eam, quæ de moribus agit, philoſophiam in toto poëmatis curſu perſequatur Virgilius, & occulat allegorijs. Quæſtionis verò cauſam eam eſſe dicunt, quòd nihil in diſputationibus illis acutis, aut docetur à Phyſicis, aut à morum doctoribus explanatur, quod à poëtis ipſis implicitum fabulis, & conuolutum non ſit. Nam, vt à naturalibus ordiamur, ea primum initia in oculos ipſos, ne dum in animum, ac mentem incurrunt, quæ ab Empedocle radices, & rerum omnium fontes appellantur. De quorum altercatione, atque inimicitia, quam exercent, antequam ex ijs aſpectabilia corpora coaleſcant, ſuperuacaneum eſt apud doctos, & ſapientes viros multa commemorare. Illud breuiter, & curſim repetere memoria ſatis ſit, ex illo elementorum conflictu, velut ex bello iam profligato exiſtere naturalium rerum, atque adeo ipſius vniuerſitatis admirabilem conſenſionem, ac pacem. Hanc ergo genitalium corporum pugnam, in qua naturalis philoſophiæ primordia, & quaſi rudimenta poſita ſunt, nolite putare, aut ignoraſſe poëtas, aut in ſuis ipſorum fabulis prætenijſſe. Vetat enim nos ita ſuſpicari Græcorum facile princeps Homerus, qui Deorum in cælo ſimultates, & ciuile prope diſsidium ſtudioſe depingit, cum videlicet.

*Contra Neptunum flauus confligit Apollo,*
*Tela tenens pennata manu, cum Pallade Mauors*
*Congreditur. iacit arcitenens Diana ſagittas*
*Iunonem contra: pedibus talaria geſtans*
*Latonam aggreditur, ſumptis Cyllenius armis.*
*Parte alia ignipotens magno cum flumine pugnat*
*Mulciber, ætherei Xanthum quod nomine dicunt*
*Cælicolæ.*

Ego ne ita cæcus ſim, vt Homerum, qui tam multa ſine oculis vidit, intelligere non potuiſſe credam, quam hæc à Dijs aliena diſcordia ſit, atque in fouendis mortalibus inteſtinum ipſi cælo, ac planè domeſticum bellum: neque ſuſpicer potius, immo prorſus in animum inducam meum, tectiorem aliquam, & remotiorem ab oculis pugnam illo Deorum prælio voluiſſe deſcribere? ſequar Alexandrinum Cyrillũ, non ſapien-

ſapientiſſimum modo, verum etiam ſanctiſſimum ducem: qui abditos, ac penetrales Homeri locos face prælata colluſtrat, & ceteris intuendos tamquam interpres, ac myſtagogus oſtendit. Is igitur in eius libri proœmio, quem contra Iulianum Cæſarem perfidioſum Chriſtianæ religionis deſertorem promulgauit, hæc Homeri figmenta cum ijs contulit, quæ corporis actione, quæ voce, ac geſtu ab hiſtrionibus aut mimis redduntur in ſcena. quemadmodum enim poëtæ, qui Theatro ſeruiunt, minime ſatis habent, aut ira percitum hominem, & cupiditate, aut contentione, atque ambitione diſcordem, aut æſtuantem inuidia, aut ieiunio enectum, & fame verbis affingere; ſed ipſam quoque iram, & cupiditatem, illam ipſam inuidiam, diſcordiam, ac famem, corporatam, aſpectabilem, ſpirantem etiam, & loquentem faciunt: ſic Homerus naturalis Philoſophi partes acturus, haud ſibi ſatis eſſe putauit ipſa rerum naturalium initia, quæ vocamus elementa, verbis retexere, niſi etiam quibuſdam quaſi perſonis induta produceret in medium, & legentium oculis ſpectanda per otium, ac contemplanda proponeret. Itaque varia illa partim in Troianos, partim in Græcos bellantium Deorum, & digladiantium ſtudia, variæ ſunt, aduerſæque qualitates elementorum, quibus inter ſe continenter, ac ſemper bellum gerunt, continenter intereunt, ac renaſcuntur: quæ videmus, ſenſuque tractamus corpora conformant, ipſam ſeruant, & continent rerum vniuerſitatem. Quam quidem elementorum pugnam, quia diuinam exiſtimabat Homerus, non hominum illud prælium eſſe dixit, ſed dimicationem Deorum, non mortales inter ſe certantes, & concurrentes induxit, ſed bellum vnà committentes, & ferro decernentes Diuos. Quid enim eſſe cauſæ putatis, cur Apollinem igneum illum, & radios vibrantem Deum cum Neptuno, maris, & aquarum, quæ ab illo naſcuntur omnium præſide, congredientem faciat, niſi quia calidum, & ſiccum elementum humido, ac frigido, qualis aqua eſt, aquarumque moderator Neptunus, aduerſatur? Cur Iunoni aëris dominæ Dianam, quæ Luna etiam dicitur, opponit in prælio, niſi quia flabilis, & ſpirabilis aër à Luna, quæ in ſubiecta, & ſuppoſita omnia non tam ditionem, quàm maleficiũ exercet, agitatur ſemper, ac permouetur? Cur Vulcanus Scamandrum, ſiue Xanthum, illum nobilem Troiæ fluuium bello premit, ac ſequitur, niſi quia feruẽs, & maxime calidus ignis, quẽ habet in poteſtate Vulcanus, humidis, ac frigidis rebus, vt de Apolline dicebamus, eſt inimicus?

Sed in ea pugnantium Deorum congreſſione illud mihi mirandum eximiè videri ſolet: quòd, quem diſcordias componentem, atque adeo auctoritate, ac maieſtate bellum inhibentem eſſe oporteret, eius pugnæ cum animi oblectamento ſpectatorem, & digladiatione illa gaudentem Deorum omnium Principem, ac dominum Homerus

facit,

facit, & custodiuit Iouem. Quantum enim assequi cogitatione possum, id significare videtur, quod nec à vero, nec à recta religione abhorret: elementorum pugna, & quæ ab elementis ita pugnantibus existit, omnium procreatione rerum, despicientem è cælo Vniuersitatis molitorem, atque opificem Deum summopere delectari. Ab hisce rerum initijs, ad ventos, quorum est incredibilis vis, atque in omni vitæ parte admirabilis vsus, veniamus. Multa quidem de his implexa fabulis, & commentis sunt; sed illud longe pulcherrimum, & rationibus nostris accommodatissimum iudico, quod Vlyssi, homini maxime gnaro, ac scientissimo accidisse commemorat idem Homerus. Cum enim diu, multumque aduersa ventorum tempestate iactatus, & circumactus in mari fuisset, Aeolum, illum procellarum dominum, gubernatoremque ventorum conuenisse, ac rogasse dicit, vt aliquem tandem, & turbinibus incommodis, & errori suo modum, ac finem imponeret. Ne longum faciam: auditus illicò à Rege ventorum est, & tam diuturna calamitate, temporis puncto leuatus. Accipit ab humanissimo procacis populi Deo ventos omnes, atque anhelitus terræ folliculo insutos, & culleo, quasi parricidas; vt eos in officio contineret semper, & secunda in posterum nauigatione vteretur. Quid vobis hæc fabula videatur, haud sane scio. Equidem non ita stultum putarim Homerum ingeniosissimum poëtam, vt tam pingue mendacium credibile se facere posse confideret. Aliquid profecto ea dignum sapientia, qua præditus erat, tam impudenti vanitate docere, ac exprimere voluit. Docuit sane feliciter, expressitque: non id modo significans quod Eustathius interpres affirmat; Astrologum ea memoria fuisse præstantissimum, qui ventorum quorundam exortus, occasusque diuinarit, & Vlyssi prædixerit; sed naturæ miraculum abditissimum adumbrans, eorum, qui Physicam tractant quandam remotiorem, quam naturalem magiam appellant, testimonio comprobatum, hoc est, ventos habere insitam illam, impressamque natura cum vtribus simultatem, quam Græci ἀντιπαθείαν vocant: sic prorsus, vt numquam in eam cæli regionem aspirent, vbi certi quidam folles ex edito, ac sublimi loco deligati suspendantur. Intellectum id primum est Empedoclis beneficio, quod testatum reliquit in duodeuicesimo historiarum libro Timæus: vbi confirmat, eum Philosophum incredibili quodam modo, ac singulariter attulisse mortalibus admirationem. Nam cum aliquando immoderate, insolenterque flarent Etesiæ, sic, vt vrbium turres, & tecta quatefacerent, corrumperent segetes, ipsas etiam arbores, ac siluas extirparent, aliquot deglubi asinos, & vtres è pellibus factos in collibus, atque in altissimis montium verticibus, ad vehementissimos illos ventorum inhibendos, & comprimendos flatus, suspendi, ac collocari iussit. Qui cum occidissent

dissent subitò, & confestim in ea prouincia spirare desijssent, eorum more, qui victis, debellatisque populis, ac Regnis, nouum sibi cognomen inueniebant, κωλυσανέμας à Græcis, hoc est ventorum depulsor, ac profligator, honorifico sane vocabulo dictus est.

Sed quia leuissima hæc, & tenuissima ventorum corpuscula subterfugiunt visum, præstat ad ea, quæ magis oculos, & sensum cient, inprimisque ad cælum orationem conuertere: quo nihil pulcrius, nihil ornatius, nihil quod Philosophos ipsos ad sui contemplationem vehementius rapiat, inueniri, aut cogitari animo potest. Quid ergo de hoc altissimo Dei Opt.Max. domicilio tam graphicè facto, aureis ill is circulis quasi balteis vndique comprehenso, creberrimis astris, tamquam bullis, gemmisque artificiose distincto, ipsi quoque poëtæ philosophantes imperitæ hominum multitudini tradidere? tam varia, tamque à vero in speciem aliena, vt pigeat relegere animo fabulas, atque hoc loco ad satietatem vsque recensere. Vnum tamen haud præteribo tacitus, quod instar omnium esse possit. Quid tandem? dicam breuissime. Cælum incudis filium facere poëtæ non dubitarunt. duram oppidò illi matrem dederunt, & quæ parere non possit, nisi tonitru, ac fulmine perterreatur. Næ ipsi plumbei, aut etiam incudes putandi sunt, nisi prudentissimam aliquam sententiam tam magna stultitia tegere voluerunt. Cur enim cælum incudis potius filius sit, quàm aut mallei, aut scalpri, aut etiam officinæ? Liberat nos ea quæstione, ac dubitatione Phurnutus: qui propterea ex incude parente natum esse cælum à veteribus dictum autumat, quòd significare doctissimi viri, ac demonstrare mortalibus vellent, perpetuum cælestium orbium vltro citroque meantium sine vlla comminutione collisum, & materiam omnis immunem interitus, omnis omnino vitij, atque corruptionis expertem. Vt enim illa ferrea fabrorum massa, quam incudem dicimus, noctem, diemque malleis assidue tunditur, neque corrumpitur, aut comminuitur tamen: ita cælestes illæ rotæ, quarum citimæ inuolutæ sunt extimis, perpetuo quidem cursu circumaguntur in orbem, sed tamen neque detritæ sunt vnquam, nec in futurum vlla ratione deterentur. Probare videtur hæc Platonis amantissimus, ac studiosissimus Proclus: qui cælum ab antiquorum multis appellatum æneum arbitratur ad illam eandem opificij pulcherrimi perennitatem, æternitatemque declarandam. De naturalibus ita diximus.

Sequitur, vt de ijs, quæ moribus, aut multiplici hominis officio continentur, aliquid etiam in medium proferamus: quæ quoniam in præceptis versantur, partibus singulis humanæ vitæ salutaribus, ab obscurissima illa Hesiodi fabula initium faciam, quam inuolucris explicatam suis proposuit nobis antiquissimi temporis Philosophus

apud

apud Galenum Chrysippus. Canit igitur Hesiodus, Iouem vetulum illum Deum, & tam multarum nuptiarum, Metim virginem præclaro sibi coniugio deuinxisse: quam cum eximiè muneribus ornasset, ac mundo, cum præter cæteras coniuges blanditia consuefecisset, & gratia, in ipso toro, atque complexu commanducauit totam, atque in ventrem penitus abstrusit suum. Quid deinde factum putatis? fingite hoc ipso commento, quod accepistis ex me, fabulosiorem fabulam: vincenda tamen est expectatio vestra mendacio. Meti grauidus, ac fœtus Iuppiter, iamque ad pariendum vicinus, sic dolere, ac discruciari capite cœpit, vt à Vulcano securi aliqua, vel cuneo sibi diffindi vellet, & cuperet cerebrum. Ita prorsus id factum est, vt Iuppiter imperarat: qui confestim periculo puerperij liberatus, in lucem è bipartito capite Palladem, doctissimã disciplinarum, & consiliorũ omnium moderatricem effudit Deam. Ridetis tam palmare mendacium; nec iniquè ridetis. sed risum in hac fabula iubet tenere Chrysippus. Ait enim, Metim nihil aliud esse, nisi prudentiam, artemq. vitæ sapienter, ac moderate degendæ; adeoq. traditum ab Hesiodo, eam virginem consilio, ac sapientia Dijs, hominibusq. antecelluisse vniuersis. Hanc videlicet prudentiam vorare quodammodo nos, hoc est diligenter, & quam citissime comparare, atq. in capite condere sapientes iubent. Nam ingeniose Galenus ipse ita fabulam hãc secundum Chrysippum enodat, interpretaturq. de suo: meritò primũ in ventrem ab ore detrusam Metim, deinde conceptam in Iouis capite Palladem: quia prudentia ortum quidem ducit à sensibus, habetq. in ipso rerum experimento incunabula quædam: sed tamen in capite adolescit, maximèq. perficitur in vertice, vbi medius, & præcipuus cerebri folliculus est. Sic ille philosophatur: ad veritatem quidem nõ omninò recte, ad sensum Hesiodi sapienter. Quid vero nobis etiam fiet, vbi hanc moderandæ vitæ rationem, ac viam didicerimus? id omnino, quod accidisse Ioui comminiscitur fabula. Quemadmodum enim Iuppiter, exhausta iam, vorataq. Meti, consultissimus euasit, & Palladem peperit, sic vbi verã nos prudentiæ speciẽ informauerimus animo, non modo nihil in vita peccabimus, sed nostra ipsorum cogitata, quæ veluti fœtus ex capite proferemus in lucem, non cogitata mortalium esse, sed ab ipsa Pallade profecta consilia videbuntur.

Ceterum hanc, quæ de moribus agit, philosophiam, nihil est, quod habeat, & contineat magis, quàm dati hominum criminibus apud Inferos Iudices, & certa certis sceleribus, ac peccatis excogitata fabulosè supplicia. quibus figmentis, ne semidocti quidem, ac pene populares ipsi vllam adhibendam esse fidem arbitrantur. In manibus sunt, & quotidie leguntur à nobis, quæ nouitius, ac tiro philosophiæ apud Marcum Tullium in eam sententiam diserte, ac luculentè pro-

fitetur in Tusculanis. Tantum enim abest, vt vel tricipiti Cerbero, vel fremitu Cocyti, vel Acherontis transuectione, vel Rhadamanthi iudicio commoueri queat, vt etiam poëtarum, & pictorum hæc esse portenta conuincat. Quod si hospitem hunc philosophiæ contemnitis, eiusque testimonium non probatis; habeo proferre Philosophos magnos,& eruditos viros, qui facilè adolescenti, ac sapientiæ tironi subscribant. Nam in omni philosophiæ genere versatus, exercitatusq. Plutarchus, in eo libro, quem de audiendis poëtis inscripsit, ardentium apud Inferos fluminum, locorum horribilium, portentorumq. descriptiones intelligere iam omnes affirmat, fabulas esse: ac ne Pindarum quidem ipsum, aut Sophoclem vera putasse, quæ de Inferis,ac de Inferorum monstris scriptis versibus cecinerunt. Cur ergo illa commenti poëtae sunt,cum neq. crederent ipsi,neq.credibilia populo esse arbitrarentur?cur?nimirũ vt multiformibus,monstrosisq. illis imaginibus Inferorũ,& sceleris deformitatem effingerent,& multiplices manere pœnas eos,qui delinquerent,simulato terrore, ac ficta turpitudine demonstrarent. Itaque in illo Tantali fugitiuo lacu,atque pomarijs, non Tantalus ipse nominatim, sed generatim vniuerseque plectitur auaritia: in Ixionis illa rota non tam ipse iactatur Ixion, quàm torquetur, & circumagitur ambitus: in Titij dilaceratione miserrima non tam ipse punitur, & pœnis afficitur Titius,quàm dolore carpitur,& laceratur libido.

Nullus vmquam Philosophorum fuit,qui certius hęc credere videretur,quàm Plato. & tamen idem ipse, qui in Phædone verissima esse sanctè,ac pene iuratus affirmauerat,in primo de Republica dicta mutat, & palinodiam cantat. Docet enim apertè, distinctèque pronunciat,ea,quæ de quatuor Inferorum fluminibus, deque Rhadamantho, ac Aeaco vulgauerunt poëtæ, deliramenta somniantium, atque aniles fabulas esse. Quid hìc igitur à nobis in tanta dictorum inconstantia constituendum erit? An excordem,& pugnantia locutum dicemus tam magnum,& sapientem virum? Non patitur nos de Platone, quem appellabant antiqui Philosophorum Deum, tam male sentire, ac iudicare Platonicus Olympiodorus. Habet enim ad allegoriam, velut ad munitissimam arcem, perfugium; vnde pro magistro fortissimè, acerrimèq. propugnet. Nam si monstra ipsa, & compositæ Inferorum formæ ita per se spectandæ sint,vt exprimuntur in fabulis, tum enimuero contendit,à Platone,non modo fabulas dici, sed ipsam quoque fabulositatem. Sin autem allegorias intueamur ipsas,quarum causa turpissimæ illæ, incredibilesque monstrorum species fictæ sunt, ea verissima esse,atq. adeo sapientium oracula Platonem credere,ac dicere putat. Placet hìc Procli etiam verba,Platonem, ac Homerum à calumnia vindicantis penè de scripto recitare. Inferorum, inquit, illæ

regio-

regiones, ardentia flumina, & ea, quæ de Rhadamanthi iurisdictione docuerunt Homerus, ac Plato, non omnino sunt habenda somnia, vanitatesq. stultorum. Vt enim in cælo certæ sunt,& pro meritis designatæ vnicuiq. Cælitum, atque Indigetum sedes, ita putandum est, mortalium animas, quæ vel afficiendæ supplicio, vel expiatione purgandæ sunt, ad loca quædam abdita, & ea subterranea demigrare; quò veluti flumina,ipsæ rerum omnium fæces,& concretiora elementorum purgamenta decurrunt.

Spissum opus, atque infiniti propè laboris esset, cetera in hoc ipso genere persequi, quod tractamus. dicam in summa: quicquid aut in natura contemplati cogitatione sunt, aut in moribus salutari documento, ac lege præscripsere Philosophi, id compertum habetote, & vidisse poëtas, & hominum generi fictis fabulis, quasi mollioribus quibusdam præceptis exposuisse.

Quæ videlicet causa ( huc enim mea spectabat, & collimabat oratio) ita mouit aliquos haud indoctos, atque illitteratos viros, vt cum ijs liberum videretur de Virgilio vtrumque pro arbitratu decernere, maluerint eum naturalem Philosophum facere, quàm vitæ,morumq. præceptorem. Videbant enim vtramq. philosophiam à poëtis implicitè,abditèq. traditam fabulis: videbant permultos ipsius Virgilij locos ab antiquissimis quibusdam scriptoribus explicatos ita, & explanatos fuisse, quasi naturalis essent philosophiæ,non ciuilis institutionis inuolucra. Sed non viderunt, eam rationem infirmam esse, & quæ nihil præterea vincat, nisi aliquando in tam amplo poëmatis campo quosdam occurrere locos,qui naturalis philosophiæ doctrinam complecti, ac tegere videantur. Non enim id efficit, quod efficere, ac demonstrare oporteret,opere continuato, atq. perpetuo à Virgilio non mores,sed rerum naturalium cognitionem adumbrari. Quod si ea ratio quicquam posset,posset illud etiam facere, vt quoniã multis apud eum poëtam locis antiquorum opiniones de Dijs, & sacrorum ceremoniæ continentur, Theologus appellari debeat, & Pontificij iuris interpres. cum præsertim Honoratus Seruius scriptum reliquerit, à Virgilio plurima dici ex altissima Aegyptiorum Theologorum scientia,& disciplina. Et haberent,opinor, Scaligerum illum Iulium huius sententiæ facilem adstipulatorem: cuius ea videlicet erudita vox, atque oratio est; Virgilium excutere omne philosophiæ penu, & ex adytis Metaphisicæ loqui. haberent patronum veterem illum Grammaticum,atq. interpretem poëtæ Donatum: qui tantum Virgilio tribuit,vt libere, fidenterq. confirmet, eum liberalium artium non modo peritissimum esse,sed doctorem etiam, & magistrum in opere.

Equidem cum istorum studia satis demirari non possum, qui tam impotenter,ac perditè Virgilium amant,vt eius causa omniũ discipli-

narum fines violenter inuadant ; tum verò me ipsum ignauiæ, ac timiditatis accuso, quòd tam amplè campum, atque imperium illi proferre non audeam. Fateor me plus nimio formidolosum, & verecundia pene semipagana præditum esse natura. sed si formidinis causam dixero, scio vos daturos esse veniam pudori meo. Nō possum sine aliquo sermonis diuerticulo explicare quod timeo. recordabor tamē itineris instituti, neq. monitorem expectabo, qui me, commonstrata columna, reducat in viā, vnde deflexi. Age igitur. Aesopum norunt vniuersi qui litteras norunt. quin etiam tonsores ipsi, atq. illitterati omnes cognitum habent. Expositus erat is ab institore domino in Sami foro duobus intermedius venalibus pueris, artibus eruditis, & elegantibus forma; quorum alter Musicus erat, alter Grāmaticus; vterq., vt ea natio facta est, ad omnem proiectus audaciam. cum ecce tibi Philosophus magni nominis Xanthus, siue casu, siue consilio commodùm in emporium venit. Vbi, turpissimum hominem insignibus interiectum pueris conspicatus, enimuero mercator hic, & sapit, inquit, & in rem suam callidissimè prospicit: qui comparatione deterrima fecit, vt iuuenes illi habitiores esse viderentur, & pulcriores. Tum propius ad catastam accedens, venales illos adolescentes de suis ipsorum artibus percunctaturus, cantorem interrogat primum, ecquid facere sciret. Quid ni respondet Musicus? omnia. Hic Aesopus, vel audacia non ferenda commotus, vel calliditate tam stulta delectatus, diductis enormiter labris, quæ nigra, crassa, prominentia, atq. vsq. ad miraculum vtrimq. habebat inflexa, tanta cū turpitudine risum fecit, vt soluerit pariter omnes Xanthi discipulos, qui erant spectaculo circumfusi. Pergit nihilominus Philosophus etiam rogare Grammaticum, numquid ipse calleret. Ille nihil addubitans, aut moratus, maiori cum audacia respondet, omnia. Quem cum Aesopus eadem sanna excepisset, ac risu, cœpit sedulò cogitare Philosophus, quid esset causæ, cur monstrosæ deformitatis mancipium ita sociorum respōsa rictu, & cachinno deluderet. Quin ab ipso quoq. sciscitamur, inquit, artem, quam teneat? fortassis etiam derisionis causam cū artificio dicet. Age igitur tu infelix mortaliū irrisor, & despicatissime sannio: quid facere nosti? nihil. respōdet Aesopus. nihil? plane inquam. an non tu furciferos, & verberones istos audisti, cum omnia se scire profiterētur? Quid reliqui factum mihi esse arbitraris? nihil. Historia quidem hæc est, & vera narratio; sed eam mihi parabolam, atque apologum esse peruelim, hoc est, institutionem rationum mearum, & saluberrimum documentum. Quid igitur tandem? Sunt in hoc Gymnasio haud minus quàm in Sami foro mercatorum essent, variæ Doctorum officinæ: quorum si perturbarē, & confunderē artes, contenderemq. in vno Virgilio suppetere, atq. exposita esse omnia, quæ ceteri, distributo per partes

labore,

labore, ac studio docent, dignissimus profecto essem, qui ab Aesopo deluderer, & exsibilationibus omnium proturbarer à foro. Consulam igitur in rem meam accuratè, neque in eam possessionem inuolabo, quæ mihi decreto Prætoris addicta non sit.

Satis inquam habeo, eam doctrinam adiudicare Virgilio, quam Horatio relegēdam Homerus tradit in Prænestino. Is enim, vt ait ille, cum bellum Troianum omni allegoriarum pulcritudine cumulet, non illum cæli cursum diuturno mortalium studio repertum, non astrorum errantium accessum, & recessum, non stirpiū vim, & facultatem, non alias rerum naturalium causas fabularum integumētis inuoluit:

*Sed quid sit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non,*
*Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.*

Et tamen in eo poëmate multa sunt, quæ ad naturalem philosophiam declarandam pertrahi facile possunt. Cur ergo morum potius conformationem, quàm naturæ causas ab eo discit Horatius, nisi quia singulis hominum ordinibus in illa perpetua, & continuata poëmatis allegoria præscribuntur ample, & de industria mores, naturalia sparguntur parce, ac velut appendiculæ quædam operi magno subseruientes adduntur? Quotus enim quisque Consularē, aut Prætoriam viam eò ducere contendat, quò tramites, ac semitæ ferunt, ac non potius tramites, ipsius diuerticula quædam esse dicat militaris viæ? Recte sane sapientes, peritique rerum æstimatores docent, nihil esse, quod materiam, quam tractant, & in qua versantur ij, qui aliquid scribunt, patefaciat, & demonstret magis, quàm finis, quò studium referunt vniuersum, & cuius causa cetera faciunt, ac moliuntur. Quare cum Virgilio non ipsius cognitio, inuestigatioque naturæ, sed morum disciplina, & ciuilis institutio proposita sit, minime profecto dubitandum, aut quærendum est, in quorum philosophorum numero collocandus videatur.

Sed quæ te causæ, dicet aliquis, in eam sententiam impellunt, vt de Virgilio decernas, morum expolitionem illi propositam esse, non explicationem naturæ? quasi vero in hoc genere pro summa ratione habenda non sit auctoritas, ac exemplum Homeri, ad cuius similitudinem hic noster artem, manumque studiose direxit. Sicut enim satis, superque videbar ostendere, hoc vno nomine in Virgilij poëmate allegoriam latere, quòd in Homero esse aliquam vniuerse demonstrarem; ita nunc, in eodem opere nominatim illigari morum philosophiam, vel hoc ipso probari à me planissime credo, quòd eam sapientiæ formam Homerum expressisse probarim in suo.

Sed tamen, ne in summa rerum copia, egestate, atque penuria laborare me quispiam putet, ex ipsa communi poëseos definitione rationes ego repetam validas, quæ facile vincant, hominū mores attendere

non de rerum natura cogitare Virgilium. Nemo enim est, qui non hunc & optimum, & præstantem ceteris poëtam velit, hoc est, non arbitretur, explesse numeros omnes absolutæ poëseos. Atqui poësis ipsa, si genus inspicias, quid aliud ab Aristotele, quàm imitatio dicitur, atque actionum humanarum expressio? Actiones autem humanæ ita continentur, & constant moribus, vt ab ijs seiungi, ac separari non queant. Nam quæ hominis actio esse, aut fingi potest, quæ, vel bono, vel prauo more affecta, & constituta non sit? Imitatur poëta regentem milites Imperatorem, seditione discordes, atque altercantes ciues, tyrannidem occupantes improbos, alia ex eo genere propemodum infinita: quæ quoniam ab homine tantum effici possunt, neq. cum ceteris animantibus communia sunt, actiones appellantur humanæ. Sed quis exercitum moderantem Ducem, quis popularium tumultus, ac turbas, quis Tyrannorum dominatum describere sine certa morum expressione possit? Planius id explicabitur à me, si vobis Aristotelis locus longe nobilissimus in memoriam redigatur: vbi cum discrimen inter poëtam, atque historicum quæreret aliquod, illud ad extremum inuenit, & scriptis libris ad posteros euulgauit; quòd certas certorum hominum actiones historicus; generalia quædam, atque communia persequatur poëta. Cum enim Agamemnonem auditis, abducta Briseide, castra pene Græcorum inimicitijs, ac discordijs euertisse, nolite credere, hunc Agamemnonem esse, sed hominum inflammatam libidinem vniuerse, cuius explendæ causa nihil ab ijs moderati, nihil pensi ducitur; ipsi etiam produntur ad certum exitium ciues. Cum legitis, Achillem obstinato ad otium animo, expeditionem illam Græcorum, & patriæ victoriam retardare; illud exploratum habetote, non eum Achillem esse, sed generatim ira furentem hominis animum, iniuriæque vlciscendæ cupiditate præcipitem, atque impotentem. Cum Vlyssem deligatum ad malum, Syrenum scopulos impune prætereuntem admiramini; non eum vos Vlyssem existimare debetis, sed hominis consilium; & suis perfectam numeris sapientiam; quæ voluptatum inuitamenta negligit, quæ periculis expositæ iuuentutis breuia, syrtesq. declinat, quæ rectæ rationis malum semper, & gubernaculum tenet. Hæc autem tractare, ac generales hasce morum species, quas Plato appellat ideas, componere animo, cuius philosophi est, nisi eius, qui de moribus hominum vniuerse disputat, & communia quædam vitæ moderandæ præcepta conformat?

Altera huius sententiæ causa etiam à communi poëseos ratione petitur, atque in eo ponitur à me, quòd cum ab Aristotele constitutum sit, poësim arti ciuili, quam Græci Politicam vocant, subiunctam, & velut obsecundantem esse, dicendum necessariò videatur, morum

procura-

procurationem, atque administrationem quodammodo demandatam esse poësi; quos videlicet castigare, componere, moderari, ad publicam felicitatem dirigere, ciuilis est rationis, & politicæ disciplinæ. Nam cum non modo liberales artes omnes, sed ipsa etiam opificia Politicæ quædam præsidia sint, nihil erat necesse nominatim pronunciare, ac dicere, poësim ciuili subiunctam, & subseruientem esse, nisi propria illi, & singulari quadam ratione subiungeretur. At quæ tandem illa peculiaris, ac propria ratio est, nisi morum tractatio? quæ non, vt pleræque disciplinæ ciuilis tantum imperio paret, sed adest, apparetque dominæ semper, & dies, noctesque domestico quasi seruitio famulatur.

Postrema ratio, non ab ipsa communi poëseos forma ducenda est, sed nominatim ab Epica. Nam quicumque de illa scripserunt aliquid, ij quandam esse dixerunt Imperatoris optimi conformationem, ac Regis. Quæ causa, nisi mea me fallit opinio, fuit, cur Alexander Iliadem Homeri tam sæpe legeret, vt eam, & sub puluino vnà cum pugione retineret semper, & ipsius viaticum militiæ nominaret. Existimabat enim in Achille, cuius tantopere laudẽ æmulabatur, optimi Ductoris institutionem ab Epico poëta sapientissimo expositam esse. At quì potest Imperator, aut Rex informari, nisi cum eo de officio transigatur, & moribus? Neque enim Imperatoris est naturæ cognitio, sed diligens officiorum tractatio, quæ morum expolitione constat, & moderatione quadam animorum.

Huc accedit, quod multa sunt in Heroicorum absoluto poëmate fabulæ principis episodia, quæ nec generali aliquo præcepto, nec exemplo ipsa per se Regem instituere videantur. Quo fiet, vt quoniam illæ poëmatis Epici partes nihilominus Imperatoris institutiones sunt, aliqua eum instituant allegoria, quæ figmentis nihil ad rem in speciem pertinentibus abdita teneatur. Nam quid attinet, Imperatorem eo plane modo Inferos adire, quo fingitur Aeneas ipse in tenebricosa illa terrarum gurgustia penetrasse, nisi aliquid illa descensione significetur, quod Imperatori, ac Regi debeat esse documento?

Cum igitur hæc, vt dixi, sic omnino se habeant, consequens est, morum philosophiam à Virgilio cani, cum canitur fabula. Si enim bonus poëta non est; qui humanas actiones non imitetur: actiones vero ipsas imitari nemo potest, nisi imitetur, & exprimat mores: si Epicorum est, Imperatorem instruere, non instituitur autem, nisi exquisito morum, officiorumque delectu: relinquitur, vt Virgilius, qui sine dubio poëta bonus est, & Epicus singularis, in moribus officioque versetur, hoc est morum philosophum agat sub poëtæ persona.

Requiret à me fortasse aliquis huius auctores, atque adstipulatores sententiæ; quos equidem proferre habeo non vulgares, sed sine controuersia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctissimi tantum, sed etiam grauissimi, ac sanctissimi viri) nemo, inquam, eum laudat, qui non Platonicum, & Platonis discipulum accuratissimũ faciat. Nam, vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo sensa inuestigat, inuenitq. interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum sacris, ac mysterijs imbutum dicunt, Augustinus optimus, non probitatis, & vitæ solum, verum etiam eloquentiæ, recteq. dicendi magister, amplissime testatur, Virgilium, & Platonicè philosophari, & sententiam Platonis explicare versibus luculentis. At Plato, si Timæum excipias vnum, quicquid litteris consignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis moribus accommodauit. Nihil ergo videtur aliud esse, Virgilium Platonicum facere, nisi eum in illorum Philosophorum redigere seriem, qui mores, & communis societatis officia tractant.

Explicat hæc haud incuriosè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio esse, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ studiosi, amantesque communitatis addiscant. Huius videlicet poëtæ cantu admoneri mortales, vt suam ipsorum salutem Reipublicæ causa contemnant: huius tacita præceptione constitui, qualem esse oporteat, qui Deum rite, religioseque veneraturus sit. Hoc edici magistro, atque auctore, quid ei cauendum videatur, qui sanctas, atque illibatas amicitias velit, quid ei metuendum, qui violat fidem, quid agendum illi, cuius auxilium in difficili aliquo temporis articulo postulatur. Hæc ille neq. indiligenter, nec vero etiam imperitè. Sed nullus mea quidem sententia melius, aut explanatius ea docuit, quàm Seneca morum præceptor longe grauissimus. Quid enim ille de Virgilio sentit, ac iudicat? Accipite non Laconicum dictum, non Romani Sapientis vocem, sed Palatini Apollinis oraculũ, aureis cælandum notis in foribus Templi. Quid inquam de Virgilio pronunciat tam magnus Philosophus? salutare carmen canit, inquit. Quid hoc est per vestram fidem? Quæ noua rerum miracula prædicantur? salutaris aliqua Siren inuenta est? sic prorsus. Salutare carmen Virgilius canit. quid ita, nisi quia institutiones vitæ salutares decantando carmine sic inuoluit, quemadmodum in templis ambagibus obducta, consulentibus, & fausta precantibus populis responsa reddebantur à Dijs?

Maximè velim tam amplis clarorum virorum testimonijs vnum adiungere, quod haud scio quantum apud aliquos auctoritatis habiturum sit: apud me quidem habet multum; apud eruditos, &

doctos viros habebit, vt spero plurimum. Dantem Aligherium existimatis poëtam, opinor, minime vulgati saporis, sed omnibus instructũ disciplinis; non philosophicis, atq. humanis modo, sed sacris etiam, & ijs, quas Theologicas nominamus: cuius doctrinam plane multiplicem, & Parisiensis Academia, vbi diuersabatur imperito illo sæculo sapientia, magnopere suspexit, & admirabilis quidam euentus vniuersæ posteritati commendauit. Nam, cum eo iam mortuo, postrema illa carmina, quibus Paradisi Cantica nomen fecit, in secreta, retrusaq. domesticarum ædium parte iacerent imprudenter relicta, nec sine multorum dolore desiderarentur in ceteris, quæ legebantur vulgò, & manibus omnium terebantur; ipsius poëtæ species, atq. vmbra candidis inducta vestibus Iacobum filium secundum quietem admonuit, vt certum, quem digito designauit, angulum domus excuteret, vbi ea scripta vnoquoq. mortalium inscio, delitescebant. Somno experrectus adolescens, & secum tacita cogitatione reputans visum, locum sedulò inuestigare, ac perquirere cœpit à patre demonstratum. Ne multa: ibi desideratum, & diu quæsitum carmen ita reperit, quasi ea sensibus accepisset, non per speciem obiectam animo somniasset. Is ergo tam sapiens, tam multis eruditus artibus poëta, illo etiã viso tamquam diuinitus approbatus, ita morum allegorias amauit, & persecutus est, vt nisi earum illustretur explicatione, & nominum enodatione declaretur, ne ipse quidem ambages illas intelligere possit, quas conuoluit, atq. implicat cantu. Sed tenetis credo memoria, quem itineris illius sui ad Inferos instituti moderatorẽ, ac ducem legerit. Scitis, inquam, eius viæ comitem adsciuisse Virgiliũ, à quo sic edocetur, quemadmodum apud Virgilium ipsum à Sibylla ducitur ad Inferos, & rerum occultarum doctrina eruditur Aeneas. Quid autem esset causæ cur Virgilium, ceteris præteritis omnibus, ducem, & doctorẽ vellet itineris sapientissimus vir, nisi videret, eam ab illo morum philosophiam integi versibus, quam ipsemet obducere, atque integere cupiebat in suis. Neque enim aliud est, doctore, atque itineris duce Virgilio vti, nisi rationem Virgilij sequi, ac imitari.

Igitur, vt strictim, breuiterque comprehendam omnia: & Homeri poëtæ sapientis exemplo, & firmissima ratione, & doctorum hominum auctoritate moueor, vt credam, non ipsas naturæ causas occultas, sed morum disciplinam, ciuilisque prudentiæ præceptiones allegorijs à Virgilio, tamquam in vmbris, ac recessu fuisse conditas, quæ ab imperitis in eminentia fabulæ cerni non possunt. Reliquum esset, vt, quod prioris disputationis initio pollicitus eram, ipsa enucleare Virgilij præcepta, & velut è fabularum corticulis aggrederer expedire. sed quia circumductos orationi meæ limites præteruectus sum, & eorum qui me audiunt patientiam victam longitudine, ac inele-

ac inelegantia suspicor, noua quæstione supersedendum puto, & vestræ benignitatis auram in hoc eodem portu, quò me compulit, iterum expectandam.

# DE CONTEXTV VIRGILIANI OPERIS ALLEGORICO.

## ORATIO III.



QVONIAM eum mihi mouendum esse lapidem video, in eoque sudandum amplius campo, quem ingenio, laborique meo aliorum circumscripsit, & designauit auctoritas, Viri præstantissimi, Religiosissimi P. P. Auditores ornatissimi, repetam hodie disputationes illas, quas ad Virgilium, vel ornandum, vel interpretandum præcise quidem, imperfecteque olim affeci, sed nouarum identidem interceptus occupationum incursu, plene, perducendoque, vt dicitur, ad vmbilicum opere numquam perfeci. Duobus enim ego congressibus illud vici; Aeneida, diuinum, quemadmodum antiqui loquuntur, opus, non tam esse fictam, conflatamque ad delectationem fabulam, quàm abditam eius, quæ de moribus, regendisque ciuitatibus est, tractationem philosophiæ. Sed quia nucleum istum intra poëmatis integumenta reliqui penitus, nec eas exposui nominatim præceptiones, quæ traduntur ab Aenea, Imperatoris optimi vel sustinente personam, vel speciem præseferente, totum aliquãdo corticem frangam, resolutisque putaminibus, id demum extraham foras, quod moribus, vitæque ciuili possit vtilitatem afferre.

Neque vero id ago, vt ostendam, quod aggressus est olim imperfecto conatu Landinus, nullum apud Virgilium, neque locum, neque sententiam, neque verbum vacare documentis, & præceptionibus abditis sapientiæ. Sunt enim alij poëtæ, quibus ficus numquam est ficus: quales in Græcia fuere permulti; apud quos ipsæ etiam nubes, & ranæ loquebantur. Qualis apud nostros Dantes Aligherius est:

cui nisi

cui nisi locis omnibus, ac prope syllabatim suas reddas allegorias, nihil plane supererit, cuius causa poëta, hoc est verosimilium fictor rerum, habendus appellandusque videatur. Non ea, inquam, Virgilio ratio fuit, vt quod ipse panarium diceret, numquam vellet esse panarium. neque mihi consilium est, malitiose, ac per calumniam, vbi nullæ sunt, ibi fingere, ac comminisci velle rerum allegorias; sed illud vniuerse contendere, ac demonstrare, Troianorum Ducem, Romanæque stirpis originem Aeneam expressum nobis, ac propositum à Virgilio fuisse ad exemplum viri sapientis, optimique Imperatoris: qui à puero institutus, ac per singulas vitæ partes suis exercitatus virtutibus, ad eam aliquando felicitatem peruenerit, ad quam non modo priuatorum singuli, sed ipsæ quoque ciuitates, ac Regna collimant. Quam ego doctrinam antequam explico capitulatim, & breuiter, aliqua reuocauerim altius à Pythagoreorum, Platonicorumque principijs accersita, quorum sine dubio Virgilius, & secutus est, & consecutus in opere disciplinam.

Animam illi nostram, cuius beneficio viuimus, ac sumus, è cælo delibari, decerpique putarunt, quasi particulam aliquam, aut scintillam diuinitatis: adeoque in corpus hoc mortale, atque concretum tamquam in carcerem, & vincula, tamquam in sepulcrum aspectu fœdum, ac tenebris horridum, immo vero tamquam ad Inferos ita compelli, detrudique pronunciabant. Neque enim antiqui illi sapientes, quos appellarunt Theologos, aliud existimabant Inferos, ac Tartarum esse, quàm nostra ipsorum corpora: quibus inclusi mortalium animi tam multa sæpe cruciamenta, dolores, ægritudines, incommoda, perferre, ac perpeti cogantur in vita. Quapropter omnia, quæ poëtica fabulositas illic esse persuasit hominibus, in nobismetipsis, atq. in humanis corporibus admoto quasi digito demonstrarunt. Nam obliuionis illum fluuium, animæ dicebant errorem esse, maiestatem vitæ prioris obliuiscentis: Phlegethontem, iræ faces, & cupiditatis ardorem: Acherontem, angorem, atque tristitiam, qua confestim capimur, vbi aliquid, vel fecisse, vel dixisse nos pœnitet: Cocytum, quicquid homines in luctum, lacrymasque compellit: Stygem, quicquid mortales inter se discordes in odiorum gurgite demergit, mœstitudine teterrima contabescentes. Quin ipsam quoque pœnarum descriptionem variam, atque multiplicem ab humanæ vitæ desumptam exemplo voluerunt: vulturẽ illum iecur immortale tundentem, conscientiæ lacerationem, ac laniatum esse credentes, ipsas rerum flagitiose gestarum fibras vbique rimantis, ipsa prope animi viscera turpi contaminata scelere depascentis: enectum inedia, & fame inter epulas ante ora positas Tantalum, sordidos illos, atque auaros exprimere, quos habendi cupiditas insana ipsam cogit rerum præ-

sentium copiam non videre. illos, qui rotarum districti radijs in orbem aguntur assidue, incautos adumbrare homines, nihil consilio prouidentes, nihil explicantes virtute, nihil ratione moderantes, sed res suas fortunæ temeritati, quæ circumuoluit omnia, permittentes: Sisyphum adurgentem immane saxum, eorum significare labores, ac studia, qui cassa contentione, conatuque semper inefficaci concessa vitæ spatia conterunt. Eos autem, qui caducam silicem, & iam, iam lapsuram dies, noctesque pertimescunt, Tyrannorum ostendere felicitatem: quorum ceruicibus continenter imminet exitium quod meruerunt.

Hæc isti de nostro ipsorum Natali, deque animorum origine prædicabant. quibus aliqui Barbarorum populi condocefacti pronunciatis, homines vita functos cum hilari vocum sono, tibijsque suauissime præcinentibus ad sepulturam prosequi cœperunt; natos, atque in hanc lucem primū exortos excipere cum lacrymis, & eiulatu lugentium præficarum. Nam qui Pythagoram initio, quique Platonem postea secuti sunt, duos prorsus obitus, ac mortes, vnam animi, alteram animalis esse tradiderunt. Mori quippe dicebant animal, cum animus è corpore demigrat; animam autem ipsam, cum à simplici, atque ab indiuiduo fonte naturæ in membra corporea, tamquam in sepulcra fœdissima, vel in tenebricosa gurgustia dissipatur. Putabant nimirum ibi sordescere, infici, turpificari societate, & contagione corporis animam, in earumque deprimi fontem ægritudinum, ac ærumnarum, quæ, quoniam acerbissimæ sunt, cum Inferis, cum Tartaro, cum ipsa morte malorum omnium clausula comparandæ viderentur. Et sane, si quis humanæ vitæ rationem expenderit, pestesque percensuerit omnes, quibus animus à corpore, vitiosaq. natura mortalium aspergitur, intelliget, hos non omnia male, mendoseque dixisse, sed explicasse populis aliquo cum mendacio veritatem. Nollem enim aliquis existimaret, me, cum hæc ita disputo, istorum probare phanaticam de nostrorum animorum origine, ac procreatione sententiam. Equidem, qui iamdiu versor in humanis literis, haud ita sum hospes in diuinis, quin & audierim de præceptoribus adolescens, & sæpe legerim in maiorum monumentis, opinationem istam Platonicam in Bracharensi Conuentu iugulatam propterea fuisse, quòd extitisset inter Christianos à Platone Philosophi quidam audaculi, qui docerent, hominum animas vna cum Mentibus illis, quas Angelos dicimus, à Deo quidem initio fuisse procreatas; sed fastidio demum affectas rerum cælestium, amare cœpisse infimas, ac terrenas: itaque ex eo tempore tamquam in carceres, & latomias, sic in corpora mortalium, ad persoluendum tam incredibilis stultitiæ supplicium continenter, ac subinde de cælo contrudi. Scio inquam

hæc:

hæc: neque cum dico, Platonicos, aut Pythagoreos de hominum ærumnis optimè iudicasse, illam etiam laudo delibationem animorum è cælo, ad quam velut ad stirpem, causamq. communem omnia vitæ lacrymabilis incommoda referebant. Quamquam quid ita me purgo, quasi necesse habeam ostendere, vera esse, quæ, aut Platonici docent, aut Virgilius à Platonicis hausta fabulis, & commentis inuoluit in opere? Non hic ego dicturus sum, quàm ille bona, sed quæ Philosophorum placita probet: adeoque facile me proripiam ab impetu Lactantij declamatorio, qui laxatis habenis, in Virgilium inuehitur, quòd ille pius, ille integer, ac sanctus Imperator Aeneas humanas vmbris victimas immolare non dubitet: nec animaduertit, ipsum se pugnare cum vmbris, hoc est antiquorum reprehendere superstitionem, cum se putat inconstantiæ, ac fatuitatis accusare Virgilium. Is enim eorum eruditus opinione, docentium, caesorum hominum animas, & delectari cognato sanguine, & miserrimas, atque errabundas esse, nisi earum iniuriam, ac mortem aliquis apud viuos vlcisceretur, Aeneam in eo totum esse voluit, atque illud vnum agentem fecit, vt Pallantis placaret Manes, vel sacrificio, vel vltione. Quare iuuenes illos quatuor

*---------- Sulmone creatos*
*Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris.*
*Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,*

amplectenti genua, & supplicanti

*------ galeam læua tenet, atque reflexa*
*Ceruice, orantis capulo tenus abdidit ensem.*

Et Turnum obtestantem, per Anchisæ Manes, mortemque deprecantem interimit: cui sine dubio dedisset veniam, nisi Pallantis animam errantem, atque sollicitam illo sanguine mollire, ac requietam reddere voluisset. Non id, inquam, mihi propositum est, vt tueri velim in præsentia Platonicorum, ac Pythagoreorum somnia: sed placet tamen, ad Virgilium illuminandum, eorum de nostrarum animarum in corpus depressione natali, quantumuis absurdas, ementientesq. retexere sententias. Ab hoc enim exordio vitæ capientes initium, in bonorum, ac malorm finibus ita pergunt ipsi philosophari.

Homo sic, vt diximus, à generis sui diuulsus, abstractusq. principio, pestibus infectus, & commaculatus corporeis, aliquam ad felicitatem, vnde digressus est, quærit, & peruestigat indagando viam. quam quia per se inuenire non potest, istos consulit sacerdotes, & sapientiæ mystagogos, qui dicunt vnam esse virtutem: cuius beneficio detersus humanus animus adipiscatur in vita beatitatem, & secundum obitum de integro cum illa, vnde decisus olim est, diuina, cælestique Mente coniungatur.

Atque

Atq. istud demum est, quod Virgilius illos secutus Antistites philosophiæ, suis in Aenea coloribus exprimit. Eam enim tamquam digito commonstrat erranti viam, quæ ab ipsis vniuersa illa, generalique præceptione describitur. Et quoniam de virtutis officio, ac vi varia quædam, & multa sanè dogmata illi Philosophi tradiderant, excerpsit ex ijs poëta prudentissimus id, quod conficientissimum esset absolutæ, perfectæq. felicitatis. Fuere quippe nonnulli, qui virtutum munera sic distribuebant, vt dicerent, partes esse Prudentiæ proprias, aspectabilem hanc vniuersitatem, & quicquid sub sensus fallacissimos cadit præ diuinarum rerum contemplatione despicere: Temperantiæ, præterire, ac relinquere omnia, quæ corporis, vel vsus, vel voluptas, ac mollitudo requirit: Fortitudinis, ascensum perfectæ philosophiæ sublimem, arduumque non perhorrescere: Iustitiæ, consentientes habere virtutes omnes, atque ad nutum animi iubentis obsequentes. Magnificè isti quidem, & splendidè sic decidunt: sed qui velit hac via in virtutum officijs describendis insistere, is expungat è numero felicium necesse est Magistratus, & Rectores ciuitatum, quibus illud abruptum tam seueræ definitionis ascendere per occupationes, & Reipublicæ negotia non licet. Sapientius itaq. Plotinus istius damnans angustias, malignitatemque sententiæ, quatuor fecit quaternarum genera virtutum ita latè patentium, vt nemini aditum ad felicitatem intercludant. Primas extergentes, ac purgantes appellat: secundas animi iam purgati habitudines, & qualitates: tertias politicas: quartas ideas, & exemplaria nominat. Illud in summa videtur sibi velle Plotinus; è virtutibus vniuersis alias otiosas, & quietas esse, negotiosas alias, atque actuosas: earumque beneficio singularum fieri posse beatos homines, & fines illos bonorum attingere, qui nostræ propositi sunt mortalitati. Priores enim in Philosophos conueniunt, posteriores in Reipublicæ Principes, ac ciuitatum moderatores: adeoque fit, vt hæc duo virtutum genera diuidantur interdum, si minus idem homo, qui felicitatem quærit, ad vtrasque videatur idoneus; coniungantur item interdum, & misceantur, si vtrarumque, vel institutione, vel natura capax animus inuenitur. In solis operosis felicitatem reperisse videtur Romulus; cuius vita numquam otium nacta, negotio fuit assiduo, atque actione quotidiana continenter exercita: in solis otiosis Pythagoras; quem agendi scimus ignarum fuisse, doctrinæq. tantum virtutes, atque ornamenta conscientiæ consecutum: in tertio, ac misto genere apud Græcos quidem Lycurgus, ac Solon: apud Romanos vero Numa Pompilius, Catones ambo, Africanus, alijque minimè pauci, aut obscuri, qui, & philosophiam hauserunt altius, & firmamentum Reipublicæ solidissimum attulerunt.

Igitur

Igitur Aeneas,quia describitur ad similitudinem optimi,vtrarumque fingitur esse capacissimus, atque in vno, eodemque animo perfectionis illius geminæ singulare constituitur exemplum. Sic itaque sudat ille sub armis, virtutibus exercitatus operarijs, vt subsistat interdum,atq. in seipsum quieta rerum abditarum commentatione descendat:sic emicat foras curis euocatus ciuilibus,atque actuosis virtutibus incitatus, vt secum habitet, sibique viuat identidem reuocatus ab otiosis.

Nunc denique hoc agamus. Hominem hunc ita partibus absolutum omnibus inspiciamus à puero:exortum primum in lucem,& corporeis inquinatum sordibus,deinde purgatum, extersumq. ad extremum perfecta quaternarum virtutum complexione felicitatem adeptum. Vultis à purgantibus ordiamur? Hinc enim ducendum esse videtur initium, vnde relegere primum incipimus ad felicitatem viam. Troiæ nascitur Aeneas, Troiæ puer alitur,educatur,adolescit, hoc est in vrbe molli,voluptatibus, ac delicijs diffluente: quia de cælo delapsus in corpus impurum diuinus, & castus animus,ipso statim initio facile corrumpitur illecebris, & cupiditatibus, illo nimirum expressis incendio, quo felix Ilium, & Troia ipsa voluptaria concrematur. Sed ecce tibi repente Venus,hoc est recta ratio:quæ flammis interceptum Aeneam admoneat, vti quàm primum excedat, ab eoq. se subducat incendio, quo delicata illa ciuitas est peritura. Non enim hæc illa vulgaris est Venus,inimica consilio,& rationi,sed alia quædã cælestis, à Platonicis ipsis excogitata.quibus idcirco rationem hominis rectam appellare placuit Venerem,quòd sic ipsa ratio virtutes pariat vniuersas,quemadmodũ Venus gignere putatur omnia, quæ nascuntur in terris. Itaq. in eadẽ vrbe simul Aeneas alitur,& Paris,vterque morem gerens,atq. obtemperans Veneri: sed quia vulgarem hic audit, interit cum patria voluptatibus inflãmata:ille, quia cælestem sequitur, per tela, per hostes periculis perfungitur omnibus,euadit ex incendio liber,nauigat in Italiam;hoc est ad eam cõtendit animi,corporisq. felicitatem,quam ei recta ratio demonstrauit. Quod cum facit,purgãtis officia virtutis obit omnia:quæ non alia Platonicis sunt, nisi ea ipsa,quibus,vt paulo ante cõmemoraui,sic definiebant, & circumscribebant aliqui beatitudinem,vt eam Regibus, atq. in temperanda Republica occupatis hominibus omninò abiudicatam, & denegatam vellent. Si enim in hoc purgantis genere virtutis prudentiæ dicitur esse, aspectabilia omnia, & corporata præ cælestium rerum amore negligere,quis Aenea prudentior,qui Troiam,hoc est,ipsum Regnum voluptatis,atque Asiam, delicatissimam illam regionem deserere non dubitat,vt Latio tandem aliquando potiatur, vbi suis absoluta numeris virtus Imperium instituet nouum, & cælestem comparabit

parabit

parabit immortalitatem? si temperantiæ, repudiare, ac nolle quicquid ad corporis, vel vsum, vel oblectamentum efflagitat animi cupiditas, quis eo temperantior esse possit, qui Barbaricum illud aurum,& Phrygiam gazam, aut hostibus ipsis facilè permittit, aut igni corrumpi securo animo patitur: nec secum exportat aliud, nisi Penates illos, & sacra, quorum aspiratione secunda nauigationi moderetur, & velificetur suæ? si fortitudinis, ascensum illum, quò ductu Philosophiæ contendit animus, non reformidare, nemo sanè fortior Aenea, qui non modo tempestatibus immensi maris, monstrisque terribilibus obseptum ad beatitudinem iter non extimescit, verum etiam contra semper eo vadit audentior, quo maiora sibi obiecta esse pericula vel ab iratis Dijs, vel ab incommodis hominibus intuetur. si iustitiæ, faciles, dictoq. propemodum audientes habere virtutes omnes ad terendam propositi viam, nullus profectò iustior Aenea videri debet, qui ad bonorum illum apicem, ac metam sibi commonstratam diuinitus, religione, consilio, liberalitate, constantia, ceterisq. virtutibus tamquam accensis, atque apparitoribus ante præeuntibus, conuolat in Italiam. Neque vero illa apud Didonem remansio facit, vt minus sibi constare videatur in ea purgatione Virgilius. Nam qui hoc studio virtutis abstergentis expiantur, offendunt interdum ad scopulum aliquem, nec omni casu, ac prolapsione redduntur immunes, nisi cum inueterato iam habitu, diuturnaq. consuetudine confirmatus est animus, aut, quemadmodum ipsi loquuntur Platonici, cum defæcatus est, atq. ab omni rerum fluxarum aspergine purè, presseque detersus.

Quem habitum, confirmationemque probitatis quia sibi demum parauit Aeneas à Didone digressus, huius etiam virtutis officia, quæ purgati iam animi est, ex eorundem doctrina Philosophorum ita distinguamus in partes. Hic prudentia, non tamquam in deliberatione, diuina terrestribus anteponit, sed illa sola cognoscit: temperantia cupiditates extraordinarias, atque effrænatas nō modo reprimit, verum etiam obliuiscitur. fortitudo perturbationem iræ non tam vincit, quàm prorsus ignorat: iustitia sic hominem cum diuina mente coniungit, vt ibi animus æquali tenore, atque indissolubili fœdere retineatur. Ad summam, vt vno verbo complectar omnia, eò deuoluitur hæc istorum oratio, vt significet, animum purgatione cumulatissima detersum, ac mundum ita se totum in diuina transferre, vt à terrenis, atque adeo à corporis sensibus alienatus, ipsam propè videatur induisse diuinitatem. Cum igitur hunc felicitatis gradum, & mente comprehenderet, & possessione iam teneret Aeneas, ad Inferos vsque, hoc est ad animi sui commētandam originem ex ipsa Dei contemplatione descendit. Huc enim Plato ipse, dum per singula vesti-

gia Deum inquirit, sæpè, ac subinde diuertitur: quòd existimet, in hominis anima tamquam in speculo diuini vultus imaginem faciliùs collucere. Ille itaque descensus ad Ditis concaua nihil sibi vult, & significat aliud, nisi animi quandam abstractionem à corpore: qualem prorsus accidisse Philosophorum multis aliqui memoriæ prodiderunt. Nam quod vulgò pene dicitur, Epimenidem illum Cretensem ipsos solidos annos dormisse quinquaginta, Pythagoram latuisse decem, viginti Zoroastrem; id illi sic interpretantur, vt velint, à sensibus toto eo tempore alienos, excellentissimam, ac prope cælestem philosophandi rationem tenuisse. Quin huc referunt, atque ad hunc abscessum pertinere putant quod de Socrate scripsit Plato: ab exoriente sole ad occidentem vsque solitum fuisse eodem in loco, ijsdemque plane vestigijs insistere cogitabundum, oculis numquam, aut conniuentibus, aut aliorsum coniectis. Nec aliunde, nisi ab ea commentationis excelsæ præstantia factum volunt, vt Plato, cum sæpe inter philosophandum abduci soleret à sensibus, è corporis vinculis omnino in ipsa demum abstractione decesserit. Sed admirabilitatem omnium maximam facit in hoc argumento Porphyrius, etiam ipse è Platonicorum egressus officina. Ait enim, Plotinum magistrum suum cum repentina totius oris mutatione solui solitum frequenter à corpore, eoque tempore mira quædam inuenire, quæ scriberet, & cum discipulis communicaret: seipsum vero, cum ageret octauum, & sexagesimum ætatis annum, à Numine correptum semel inter commentandum fuisse, subitòque à sensibus, & corpore longe seductum.

Huius ergo gnarus, apprimeque sciens philosophiæ poëta doctissimus, noluit in eo, quem informabat ad optimi speciem, eam contemplationis excellentiam desiderari, quæ sapientes in seipsos tam altè demergit, ad cælestia tam sublime sustollit. Quapropter ad Inferos illum compulit, veluti commentatione quadam obdormiscentem, & consopitum grauissima, vt de male, recteue factorum supplicijs, ac præmijs, de animi nostri natura, & vi, de ipsa rerum serie futurarum, institutione castissimi parentis edoceretur. Quo loco mihi venit in mentem illud obseruatè, curiosèq; considerare, eo potissimum tẽpore in altissimam illam rerum cõmentationem Aeneam descendisse, quo tempore Carthaginem, hoc est inuitamenta voluptatis omnia reliquerat, ac de libidine cumulatissime iam, perfectissimeq; triũpharat.

Memini quippe, apud quosdam me Platonicos legere, septem esse vacationis genera (sic enim ipsi aberrationes illas à sensibus, atq; abstractiones à corpore nominant) septem inquam esse vacationes, quibus animus ita supra corpus, ipsamq; mortalitatem euehitur, vt non modo res abditas, penitusq; repostas intelligat, verum etiam de venturis sæpe diuinet, & breui, longoue post tempore futuras vaticinan-

do denunciet. Primam eiusmodi vacationem aiunt in somnis euenire, sobrijs præsertim hominibus, ac temperatis: quorum videlicet animus facillime arcana fluxione diuini luminis illustretur. Secundam fieri volunt ab ea cordis, animæq. defectione, quam medici Græco vocabulo syncopen, nostro concisionem appellant. Illum in hoc vacationis genere perhibent, atque admirantur Enarchum: qui cum ex ea spiritus incisione pro mortuo iam habitus esset, & comploratus à medicis, de improuiso reuixit, affirmauitque, eo se tempore non moriturum, sed Nichandam quendam nobilem ea tempestate palaestritam; statimque Nichandas ipse in exitiosissimas incidit febres, ac mortuus est; Enarchus vero planè conualuit: viuebatque vigens, ac florens, cum ea, quæ dixi, fidelissimis litterarum monumentis consignabat Plutarchus. Tertiam in eius humoris contractione ponunt, quem Latini bilem atram, Græci melancholiam nominant. Illo enim humore præter modum coacto, fieri dicunt, vt anima non minus homine vigilante vacet, quàm vacare consopito soleat, & dormiente. tantoque concitatiores reddi, quàm ceteros, qui sunt ita, vel natura, vel morbo constituti, quanto densa rerum corpora, cum accenduntur, efferuescunt magis, & vehementius exardescunt. Eiusmodi Socratem fuisse credunt: quem Aristoteles melancholicum facit, & multa præsensisse, ac prædixisse ciuibus suis aliqui scriptores affirmatè contendunt. Quartam ex omnium humorum conuenientia, & consensione mirabili arbitrantur existere: quae sicut in Alexandri corpore odorem illum excitabat suauissimum, ita in aliquibus ad numerum propè temperatis ipsam queat vaticinandi facultatem ingenerare. Plotinum ita factum, & compositum putant: quem eius auditor Porphyrius testatur, insitos cuique mores, occulta mortalium facinora, futuros euentus, atque impendentes casus vsque adeo intellexisse, vt, cum Porphyrius ipse de se interficiendo cogitaret, id ille persenserit, eumque per incommodum animi motum, qua pollebat auctoritate prohibuerit. Quintam otio tribuunt, & solitudini: vbi nimirum animus obstrepentis vitæ negotijs absolutus, ea tantummodo reputat, quæ sunt in cælo, stellis illis, tamquam sacris Aegyptiorum characteribus exarata. Hoc ex fonte Zoroastres, hoc est ex viginti annorum otio in remotissima solitudine traducto, eam præsentiendi rationem hausisse credebatur, quam in libris de diuinatione scriptam posteritati reliquerat. Sextam effici ab admiratione comminiscuntur. Ita quippe feminas illas diuinas, quæ dictæ sunt Pythiæ, res futuras existimant fuisse vaticinatas. Cum enim in Apollinis antrum superstitionis plenæ secederent, ibique attentius de Numinis ipsa præsentia cogitarent, tanto, quemadmodum ipsi dicunt, & horrore perfundebantur, & hærebant stupore, vt à sensibus alienata mens, solisq. rerum futurarum euentibus

bus exposita, præsagiret interdum, & diuinaret, in ijs præsertim rebus, de quibus ipsæ consultæ fuerant, & cum consulentibus ante deliberarant.

Ad septimam aliquando veniamus: in qua Platonici resipiscunt. Sunt enim ex illo dementium genere, qui non semper delirant. Nec sum ego sic hebes, quin intelligam, & probe sciam, tam eas philosophantium abstractiones à corpore, quàm has vaticinantium vacationes, partim esse confusa veris mendacia, partim improborum ludibria Dæmonum. Sed ipsa quoque proferenda fuerunt deliramenta, vt adiectam vanitati sapientiam secerneremus. Aiunt ergo, septimam vacationem omnium præstantissimam esse: hoc est eam, quæ à vacuitate libidinis, absolutaq. castitate progignitur: adduntque rationem longè pulcherrimam, & quæ videatur à Christianorum doctrina non abhorrere. Affirmant enim, castorum hominum animas non quidem ad tempus, vt ceteras, sed continenter, ac semper esse Dei optimi maximi delubra quaedam, & fana sanctissima: adeoque ita res arcanas assiduè nosse, ac sæpissimè vaticinari, quemadmodum consulentibus populis oracula, & responsa redduntur in templis. Nihil sapientius poterat, aut ijs, quae à religionis nostrae traduntur auctoribus, congruentius dici. Video quippè Hieronymum existimasse, Sibyllis, quamquam vanos illos Apollines, & commentitia Numina colerent, à Deo tamen ipso, veritatis auctore, datam fuisse diuinationem; vt ijs insigne quoddam esset ornamentum, & praemium spectabile virginitatis. Nec aliorsum, quàm in hanc ipsam virginitatis gratiam alij Patres, magistriq. religionis id factum accipiunt, quod de Claudia, & Tucia Vestalibus à Plinio commemoratur. quarum prima cum in suspicionem venisset stupri, ad probandam pudicitiam suam, nauem in vado Tyberis haerentem cingulo duxisse fertur, quam multa hominum millia mouere loco, ac machinamentis pertrahere non potuerant. altera cum similiter argueretur incesti, pertusum in fluuio cribrum demersit, haustamq. penitus aquam ad Deae templum pertulit, cuius sacra turpi polluisse flagitio putabatur. Ac ne nostros praeterire videantur taciti, dum sic admirantur, & laudant alienos, hoc etiam addunt: Ioannem illum, quem ex Apostolis vnum propter excellentiam, atque praestantiam scimus ab antiquis appellatum esse Theologum, idcirco diuinitatis penetrale pulsasse primum in cœnaculo, dein etiam in Insula Patmo aperuisse, quòd quamquam alijs fortasse partibus non vinceret ceteros, castitate tamen, ac virginitate vnus omninò antecelleret omnibus. Quin arbitratur etiam Augustinus, rusticulum quendam sua ipsius memoria ideo solitum fuisse à corpore saepe, multumque distrahi, & rerum interea miracula quaedam inaudita cernere oculis non corporeis vigilantem, quod esset

virginitate præstabilis, atq; insigni castimonia nobilis inter suos. Ita Platonici, qui tam sæpe fucum rectæ pietati facere velle videntur, cum nostris interdum effatis, & religione consentiunt. Quapropter, vt ab hoc diuerticulo me recipiam, quò illa commentatis Aeneæ repens ad Inferos itio deduxit orationem meam, illud iterum magna voce pronuncio, scitè satis à Virgilio, & Platonicorum philosophiæ congruenter in illo contemplationis expletæ gradu Aeneam tum collocari, cum protrita libidine, ac mulierositate prorsus erasa, ad supremum iam fastigium euaserat absolutissimæ castitatis.

Sequuntur verò nunc illæ politicæ virtutes, quæ ciuium tuentur salutem, socios tegunt, alienos deuinciunt, omnes deniq; omni officiorum genere demerentur. Frustrà enim purgantibus illis, & tamquam piacularibus animi virtutibus extergitur, ac lustratur is, qui quæritur, & fingitur optimus, nisi ab illo cogitationis vmbratili studio, mentisq; latibulis emineat aliquãdo foras; quæque diuturno cõmentatus est otio, proferat in vsum ad publicas aliorum hominum commoditates. Quare quod quæri sæpe solet inter sapientes, ac doctos: an Homero Virgilius sit anteferendus, hoc loco profligari facillime potest. Non enim Virgilius, quod ab Homero, illo duplici factum Iliadis, ac Odysseæ videmus opere, virtutes hasce multiplices separauit, alijs fortitudinem actuosam, alijs otiosam, quietamq; sapientiam tribuens: sed summa calliditate, atq; artificio id demum effecit, vt quæ distracta inter se videbantur esse, ac longissime dissidentia, in vno, eodemque Imperatore concordissimè coalescerent. Ac ne ab ijs agentis animi virtutibus abeamus, de quibus modo cœpimus explicare, videte quantum ipsarum officia operosa cum illa superiorum requiete conuenientiam habeant, & consensum.

Principio ab ea commentatione tandem emersus Aeneas, confestim in Formiano littore Caietam excitat; quia prima ratio politicæ prudentiæ videtur ea esse, vt cœtus hominum, & concilia celebret, quemadmodum apud Tullium docet Scipionem auus Africanus. Descendit in Italiam. extemplo centum allegat oratores ad Latinum. Quanta porro ea sapientia, quanta religio fuit? Ingruunt ex improuiso bellorum motus. quanta in conquirendis inter hostes auxilijs solertia, quanta in Ascanio, Troianisq; tuendis animi circumspectio? Fortitudinem intueri placet? Ecce tibi vnus omnia contra tela Latinorum: immo verò aduersus omnem Italiam, & prope genus ipsum humanum vnus Aeneas. Et quoniam fortitudo non in aggressione periculi tantummodo cernitur, sed multo sæpe maxime in perpessione rerum asperrimarum, hem in acie vulneratus, sagittaque introrsus adacta periculosè confossus.

*Saeuit, & infracta luctatur arundine telum*

*Eripere;*

*Eripere; auxilioque viam quæ proxima poſcit,*
*Enſe ſecent lato vulnus, telique latebras*
*Reſcindant penitus, ſeſeque in bella remittant.*

Quod cum fieret, doloris ille quidem, ac periculi ſecurus ſui, ſed moræ, cunctationiſque prorſus impatiens.

*Stabat acerba fremens ingentem nixus ad haſtam*
*Aeneas magno iuuenum, & mœrentis Iuli*
*Concurſu, lacrymiſque immobilis.*

Fortitudinem excipit Temperantia. ſed qualis, & quanta virtus? Illa profectò, quæ non modo voluptarijs inimica cupiditatibus ſit, ſed quæ opibus etiam ipſis irata, magnificè, ſublatèque dicere poſſit. Nec mi aurum poſco. Ferro, non auro vitam cernamus vtrinque. Non enim is eſt Virgilianus Heros, qui raptati, atque diſtracti cadauer Hectoris, ſupplici, lacrymantique Parenti pretio vendere non erubeſcat, ſed qui ſponte, minimeque rogatus Lauſi corpus intactum, ornatum armis, & muneribus Tyranno remittat: quique pollicenti theſauros ampliſſimos Mago reſpondere non dubitet.

*Argenti, atque auri memoras quæ multa talenta,*
*Gnatis parce tuis.*

Nihil de clementia dicatur: quæ in ipſa etiam inimicorum clade potuerit ingemiſcere. nihil de modeſtia, de verecundia, de alijs huiuſmodi partibus, ac formis, quæ Temperantiæ tamquam capiti ſubiunguntur. Iuſtitia ſatis eſt, quæ claudit omnium agmen, vincitque reuerentia ceteras, & ſanctitate. Vides quemadmodum in illis ipſis terris, quarum poſſeſſionem ab oraculis, & Dijs volentibus acceperat, nemini bellum indicit, niſi ſuperba, intolerandaq; laceſſitus iniuria? Vides quemadmodum inuitus ad hoſtium cædem pertrahitur, & arma illa fatalia tractat ingratis aduerſum eos, à quibus tam temere intelligit eſſe amicitiæ leges, & ius hoſpitij violatum? Audis eam, quæ Latini Legatos excipit, ad Latinum remittit, egregiam vocem, inaudita cum ſignificatione iuſtitiæ, ac probitatis?

*Pacem ne exanimis, & Martis ſorte peremptis*
*Oratis? equidem & viuis concedere vellem.*

Quid igitur huic ſupereſt tam exaggeratæ virtuti, niſi coronamentum à reliquis, quæ ideæ, atq; exemplaria nominantur? Nam ſi aliarum rerum perfectæ illæ formæ in mente diuina recte collocatæ putantur à ſapientibus, multo Platonici rectius in eadem ponendas exiſtimant virtutũ imagines abſolutas; à quibus ordine reliquæ defluãt, & cum mortalibus ipſis à Deo parente optimo cõmunicentur. Ex his verò quid delibare poterit ille beatus, cuius felicitati poſtremam aliquando Virgilius admoturus eſt manum? multum profectò, atque id

omnino,

omnino,quod diuinum,& perfectissimum est.Turno enim è numero viuentium expuncto,parta demum pace,turbisq. compositis omnibus, ad cōmentationem illam excellentem de integro reuertitur;ipsa penitus in Numico diluta mortalitate,fit Deus:ac si minus ideas illas, ijs certè simillimas inuenit in cælo: nec habet vltra quò progredi possit Platonicorum animis informata felicitas. His quippè gradibus ipsi humanum animum ad beatorum domicilium ducunt; rati, è quatuor ijs virtutibus aliquas esse, quæ molliant perturbationes, ac mitigent, alias, quæ prohibeant, alias, quæ prorsus obliuiscantur: postremas denique, hoc est illas caelestes,in quibus piaculum,& nefas sit commotiones, affectusq. nominari.

Ceterum dicet aliquis,esse me præuaricatum in causa: qui non animaduerterim, ex hac ipsa doctrina Platonicorum intelligi, curtum esse,præcisumque Virgilij poëma,vbi videlicet Aeneas, non ad beatitudinem quidem illam cælestem euehitur, sed relinquitur in procinctu. Ego tamen haud ita caecutio, vt locum istum non ante prouiderim, atque vnà cum doctis hominibus Maphæi Vegij, vel superuacaneam industriam, vel nimiam, immoderatamq. non admirer sapientiam: qui quadrigis illis affabrè laboratis, apprimèque perfectis à Virgilio, rotam addere voluerit quintam: vt à nobis, qui tam sapientes, litteratique non sumus, esset suo iudicio & voluntate reprehendendus. Non enim vidit seuerus hic Censor, in scribendo sic poëtæ, atque historico variam esse desinendi legem, quemadmodum est exordiendi. Non vidit apotheòsim illam, & ea, quæ tam putidè ipse persequitur, indicata fuisse,quantum satis erat, à Ioue, quà dolorem Veneris,quà Iunonis iram ita mulcente.

*------------ sublimemq. feres ad sidera cæli*
*Magnanimum Aeneam:neque me sententia vertit.*
*Indigetem Aeneam scis ipsa, & scire fateris*
*Deberi caelo, fatisq. ad sidera tolli.*

Non vidit, ita cæso Turno, finem operis esse debere, sicut in Hectoris præstantissimi Ducis funere clauditur Ilias. Non vidit deniq. poëtas etiam Epicos, nuptias, choros, ludos, actionis,vt semel dicam, reliquias illas permittere legentium animis, quas ipsi Comici liberiores à spectatorum oculis in Theatro porro subducunt.

Hæc super Aeneide perorauimus aliquando. Quàm ieiune, vestrisque parum auribus accommodatè, haud ego nescio, qui me ipsum, meique angustias ingenij non ignoro. Vellem adeo eos imitari, qui postremi prodeunt apud Comicos,in eam gratiam allegati, vt finem fabulæ denuncient, & spectatores è Theatro dimittant. Sed illi plausum,nisi molesti fuerunt, cum exceptione postulant, ego nullum flagitare possum, quia repetita è Platonicorum penetralibus oratio mul-

multum habuit, opinor, molestiæ, voluptatis nihil. Video tamen vnum mihi relictum esse locum illis fabularum epilogis omninò contrarium, sed rationibus opportunissimum meis. Nam, quia non placuimus, & molestiam vobis exhibuimus importunam, si minus dicere possumus, plaudite; illud certe, quoniam humanissimi estis, habemus iure petere: veniam date.





# TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV

## COMMENTARIVS DE TRAGOEDIA.

### PROOEMIVM. IN QVO NOTATIO nominis, antiquitas, & definitio traditur.



HVIVS notatio vocabuli variè designatur à scriptoribus. Sunt qui dictam principio fuisse volunt, & scriptam græcè τρυγῳδίαν: propterea quòd Vindemialibus ludis esset inuenta, ᾠδὴ enim Græcis est cantus, & ab ijsdem olim mustum, ac vinum recens τρὺξ dicebatur. Itaque istis Tragoedia, quam τρυγῳδίαν appellãt, nihil aliud est, nisi musti cantio, hoc est Carmen Vindemialibus sacris in Bacchi, Liberiue patris laudem decantatum. Alij Tragoediam dici malunt quasi τραχεῖαν ᾠδὰν, hoc est, asperũ cantũ, quia flebilis genus poëmatis est,

& aſperitatem, crudelitatemque cõtinet eorum, quorum actiones, & res geſtas imitatur. Alij deniq; Tragoediam eſſe volunt non τρυγῳδίαν, vt illi ſuperiores, ſed τραγῳδίαν: repetuntque nominis cauſam ab hirco, quem Græci nominant τράγον. Principio enim, quia Tragoedia illa rudis, nihil aliud, niſi Bacchi laudes continebat, & Dithyrambum: is, qui inter Bacchi ſacra, ludoſque in hoc genere carminis eſſet victor, hirco, qui Baccho ſacer erat, donabatur, vt canit Horat. in Arte.

*Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircum.*

Neque verò ab hac etymologia longius abierunt, qui Tragoediam dictam putarunt à Satyris, quos τραγοσκελεῖς; hoc eſt hircinis praeditos cruribus appellatos ſcimus: quod epitheton illis eſt proprium. Dictam autem à Satyris ideò crediderunt, quòd eos initio vel ad conuiciandum, vel ad riſum commouendum cum ceteris perſonis inducerent. De notatione ſic diximus.

Sequitur antiquitas, quae maxima eſt. vt non immerito à Platone Tragoedia dicatur antiquiſſima. Id verò facilius intelligetur, & planius, ſi eius inuentores primos à priſcorum memoria repetamus. Ariſtoteles quidem in poëticis excogitatam in Peloponneſo fuiſſe ait à Dorienſibus; & à Dithyrambis fluxiſſe, hoc eſt à genere carminis, quod Baccho bis nato concinebant ad tibiam. Fuere tamen qui Glaucum neſcio quem, quique Theſpin Athenienſem facerent auctorem. Is enim vini faecibus, aut minio ſibi ora perunxit, & obleuit primus: atque ita veluti perſonatus actitare coepit è plauſtris, ac Tragoediam informem inconditè recitare. quod ita ſignificat Horat. in poët.

*Ignotum Tragicae genus inueniſſe Camoenae*
*Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,*
*Quæ canerent, agerentq. peruncti faecibus ora.*

Quamquam verò nihil hìc ab Horatio de minio dicitur, eius tamen eſt apud Tibullum mentio, cum Bacchi ſacra deſcribit. Non enim aliud, quàm quo ſibi faciem primi Tragoediæ pinxerunt auctores, videtur illud eſſe minium, quod commemorat his verſibus,

*Agricola, & minio perfuſus Bacche rubenti*
*Primus inexperta duxit ab arte choros.*

Hæc incunabula Tragoediae ſunt, quæ paulatim deinceps adoleuit: excultaque poſtmodum ab Aeſchylo, ab Euripide, à Sophocle eſt, quorum fabulas legimus; ab alijs etiam fortaſſe perfecta, quorum monumenta deſideramus.

Supereſt definitio, de qua grauior, & vtilior eſt diſputatio. Hæc autem quamquam varijs ſanè modis traditur à multis, ab Ariſtotele tamen eſt deſumenda, cuius ego, vel interpretationem, vel paraphra-

raphrasim accommodatam esse crediderim huiusmodi. Tragoedia est imitatio actionis illustris, & absolutæ, eiusq. iustam magnitudinem suaui complectens oratione: cuius partes eò pertinent simul omnes, vt metus, & commiseratio spectatorum animis inferatur, ad eiusmodi morborum salutarem purgationem. Græca verba sic sunt. ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων. καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, ἀλλὰ δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. Hæc inquam, est apud Arist. definitio: quam per partes explicare sic possumus.

Imitationem ait esse actionis illustris, siue præstabilis, siue grauis, & seueræ: Græce σπουδαίας: dicitur enim μίμησις πράξεως σπουδαίας. vt intelligamus Regias tantummodo, principesq. personas Tragoediam sibi proponere: vulgares, communesq. permittere Comoediæ, quæ leues illarum, & despicatas actiones imitatur. Sed quia hæc imitatio actionis illustris aliarum quoque posset artium esse, quæ imitantur, adiungitur aliqua certa distinctionis nota: diciturque, effici hanc imitationem oportere sermone suaui, hoc est, & versibus, qui vbique, ac singulis adhibentur in partibus, & concentu, atque harmonia, cuius potissimum est vsus in Choris. Ceterum quoniam absolutæ definitiones finem quoque propositum exponunt, consilium aperitur ad extremum, quo permotus est is, qui Tragoediam, vel excogitauit, vel perfecit, atque in publicum dedit. Dicitur adeo Tragoedia eiusmodi personarum illustrium actiones idcircò imitari, & spectatoribus proponere, quòd contendat, animi terrorem, ac commiserationem concitare, ad illas ipsas, quas commouet, perturbationes abstergendas, atque ab omni vitio liberandas. Quare alijs prætermissis, in aliumq. locum reiectis, hæc de fine disputatio sit.

## *De fine, qui Tragoediæ propositus est.*
## *Caput I.*

CVm ex definitione intelligatur, id Tragoediæ propositum esse, vt duos illos animi nostri purget affectus, cõmiserationem, ac metum, videndum erit, quibus potissimum præsidijs id consequatur. Sed tamen ante constituamus oportet, quid sit, affectus, siue morbos animi purgare. Explanauit hoc Arist. ipse in Politicorum octauo lib. cap. vij. Vbi cum pronunciasset, Musicam purgandis affectibus vtilem esse; quid eo purgationis nomine intelligi vellet, ita declarauit. Nã affectus, inquit, qui animos mouent, omnibus insunt; differunt tamẽ eo, quòd alios magis, alios minus exagitant, vt misericordia, & metus; atque adeò etiam furor. nam huic quoque commotioni nonnulli

obnoxij sunt, quos cantibus sacris sedari videmus, veluti purgationem nactos, & medicinam. Hæc ille. quibus significat, in affectibus animi nostri exuperantiam quandam esse, ei planè similem, quæ in corporis humoribus est, cum incommoda valetudine laboramus. Quemadmodum ergo medicamentorum vi absterguntur humores, & ægrotantium corpora ea leuantur exuperantia, quæ procreat morbos, sic affectus vehementissimi, & quodammodo redundantes abstergi, purgariq. possunt adeo, vt animus omni prorsus ægrotatione liberetur. Id igitur ait Aristoteles Tragoediam agere, ac veluti finem intueri: vt sicut affecta corpora purgatis, atque abstersis curantur humoribus, ita animum sanet ipsa, duobus affectibus nominatim, commiseratione, ac metu purgatis, hoc est, ab ea liberatis exuperantia, à qua animi quædam ægrotatio promanabat.

Sed qui fiet, dicet aliquis, vt metus, & commiseratio, Tragoediæ beneficio purgentur, quæ res maximè terribiles, summaq. dignas commiseratione proponit intuendas? Non ne potius his tàm sæpe spectandis rebus, quæ metum, & commiserationem commouent, multo maximè perturbabitur animus, atque ijsdem affectibus impelli facillime consuescet? Immò verò insuescet parum commoueri, & affectus illos ea consuetudine paulatim ad eam reuocabit mediocritatem, quam animi sanitas, & recta constitutio postulat. Neque enim audiendus est Plato, aut Proclus, Platonem secutus, qui Tragoediam à Repub. depellunt eo nomine, quòd animi nostri morbos, & ægritudines augeat, efficiatq. vt fraena dolori, & commiserationi laxemus. Non, inquam, audiendi sunt. quia dum homines eiusmodi spectaculis intersunt, crebròque audiunt, ac cernunt personas ea loquentes, agentesq. quæ commiserationem excitant, doloremq. ac terrorem incutiunt, assuescunt illi quidem dolere, pertimescere, ac misereri; sed ex ea consuetudine sequitur, vt cum ipsis aliquid humanitus acciderit, minus doleant, timeantque, quàm si actionibus illis non interfuissent. Necesse enim est, qui numquam doluerit, timueritue, eum vehementius exterreri, ac dolere, cum repente, nec opinata calamitas euenerit. Adde, quòd sæpenumero perperàm homines dolent, ac pertimescunt, hoc est ijs de causis, ob quas minus dolere, ac extimescere par esset. Cum autem poëtæ, Tragoediarum suarum personas exhibent acerbè vexatas, & res proponunt commiseratione, ac terrore dignissimas, docent profectò, & tamquam digito demostrant, quid, & quo tempore homini sapienti dolendum, aut commiserandum sit. quæ vtilitas, & vitæ fructus est maximus; vt docet Aristoteles in lib. Politicorum viij. sub finem. Vbi in eo sitam esse virtutis operam affirmat; vt homines discant recte laetari, amare, odisse: nullaque illòs re oportere magis exerceri contendit, quàm vt assuescant rectè iudicare. Denique spe-

ctandis Tragoedijs intelligimus, omnium communem mortalium iniquam esse fortunam; & qui casibus obnoxius non sit, reperiri omninò neminem. Quo fit, vt æquius feramus, atque facilius quicquid aduersum, ac præter voluntatem acciderit, eoque animum solatio sustentemus, quòd idem prorsus, aut aliquid etiam grauius alijs, Principibus præsertim, ac Regijs viris euenire videamus. Expressit hanc vtilitatem, & fructum Tragoediæ prorsus ad viuum Timocles apud Athenæum in lib. vj. cap. primo quibusdam versibus hac latinitate donatis à Martino Delrio.

*Aduerte quæso, num quod ex vsu est loquar.*
*Est calamitosum animal sua natura homo:*
*Multasq. secum vita fert molestias.*
*Mali leuamen repperit sed hoc sui,*
*Vt calamitatis immemor iam mens suæ,*
*Habensq. ab alieno malo solatia,*
*Documenta capiat recreata paululum.*
*Primum Tragoedi quanta commoda adferant*
*Perpende sodes. Si quis est pauperculus,*
*Maiore preßum si videbit Telephum*
*Mendicitate, lenius suam feret*
*Mendicitatem. insanus est ne quispiam?*
*Furiosum is Alcmaeona proponit sibi.*
*Captus quis oculis? aspicit cæcum Oedipum.*
*Gnatus obijt? Niobe dabit solatium.*
*Claudus aliquis ne est? is Philoctetem aspicit.*
*Miser aliquis senex? tuetur Oeneum.*
*Alterius enim quisquis ærumnas viri*
*Esse grauiores viderit, quàm sint suæ,*
*Animo æquiore miserias feret suas.*

Pulcherrimam, inquam, hanc vtilitatem, quæ capitur è Tragoedia, versus hi nobis ob oculos ponunt. Docent enim, aliorum exemplis facilè posse spectatorum animum instrui, ac ferre mala sua toleranter, ac leuiter, cum multo grauiora esse videt aliena. Hanc verò doctrinam, atque hanc æquabilitatem animi, quam nobis ex Tragoediarum vsu comparamus, purgationem appellat, & curationem Aristoteles. quia spectandis alienis calamitatibus, metus, & commiseratio tamquam aliqua medicina detergitur, imminuitur, atque ad iustam redigitur mediocritatem; in qua sanitas, & valetudo posita est.

## De Tragœdiæ partibus vniuersè. Cap. II.

DVo partium genera Tragœdiæ tribuit Aristoteles: quarum alias ait esse quantitatis, qualitatis alias. Quantitatis eas nominat partes, in quas tota Tragœdia, quæ videtur quandam quasi molem, & corpus habere, certa distributione diuiditur: vt in Prologum, Episodium, Exodum, Choricum duplex, Commos. qualitatis eas, à quibus Tragœdia nomen aliquod accipit laudis, & talis dicitur, qualem eam viri docti, & prudentes rerum æstimatores requirunt. Has in summa ait esse sex: Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Apparatum, & Melodiam. Nos Aristotelis ordinem sequentes, ac viam, aggrediamur initio de qualitatis partibus explicare: & quoniam Fabula principem obtinet locum, & quemadmodum ipse loquitur Aristoteles, Tragœdiæ anima est, eam partem ceteris anteponamus.

## De Fabula. Cap. III.

HÆc pars, in qua prope sunt omnia, dicitur, & definitur ab Aristotele σύςασις τῶν πραγμάτων, coagmentatio, compositioue rerum, quæ tractantur. Ex quo facilè intelligitur, cur hæc pars nomen Fabulæ nacta sit. structura quippe, & coagmentatio ea res est, qua tota Tragœdia continetur: & quia non ab aliqua rerum gestarum desumitur historia, sed ingenio poëtarum excogitatur, ac fingitur, appellatur Fabula. Quamquam enim historia potest poëtæ argumentum Tragœdiæ tradere, non tamen ei suppeditat structuram, & synthesim. Hæc ergo compositio, & structura rerum ita probabilis erit, & idoneam commerebitur laudem, si cautionibus, & conditionibus instructa sit ijs, quibus eam instructam esse vult Aristoteles.

Prima est, vt singulæ partes suo loco positæ sint, non alieno: hoc est, vt quæ principio statuenda sunt, ne inculcentur in medium, aut reijciantur in finem, neue contra, quæ sunt in medio, vel fine collocanda, preponantur initio. Id nimirum est, quod monet etiam Horatius illa similitudine nobili.

*Humano capiti ceruicem pictor equinam*
*Iungere si velit, & varias inducere plumas,*
*Vndique collatis membris, vt turpiter atrum*

*Desinat in piscem mulier formosa supernè;*
*Spectatum admissi risum teneatis amici?*

Atque vt intelligamus, ex praua, & præpostera partium dispositione huiusmodi monstrum existere, id adiungit, quod comparationem absoluit.

*Credite Pisones isti tabulæ fore librum*
*Persimilem: cuius, velut ægri somnia, vanæ*
*Fingentur species, vt nec pes, nec caput vni*
*Reddatur formæ.*

Secunda: vt iustam habeat magnitudinem; hoc est eam, quæ neque longiorem, neque breuiorem, quàm par sit, Tragœdiam faciat. Quemadmodum enim pulcrum animal non partium tantummodo, membrorumque conuenientiam, & ordinem habet accommodatum, verum etiam magnitudinem idoneam, & congruentem corporis proceritatem; sic Fabula, quæ animantium corpori similis est, suam habet magnitudinem certam; quam si vel superet, vel non exæquet, absoluta non est, nec haberi pulcra prudentium hominum iudicio debet. Ac fuit profecto qui crediderit, Tragœdiam iusta magnitudine ita præditam esse, si cum agitur, & recitatur, diem vnum solidum, integrumque, hoc est horas omnino duodecim expleat. Hęc vero non dubitauit tam imprudenter existimare, ac dicere, ratus, sic Aristotelem decernere, ac velle in cap. poët. secundo prope finem. vbi Tragœdiæ, ac Epopœiæ discrimina describens, Epopœiam ait ab ea differre potissimum magnitudine: cum Epopœia nullo definita sit tempore, certe non ita breui circumscribatur, Tragœdia intra vnum tantum Solis ambitum concludi debeat. Sed hallucinatus sine dubio est. neque enim de recitationis tempore, ac spatio, sed de rerum imitatione breui, longaue loquitur Aristoteles: docetque, Tragœdiam ab Epica differre magnitudine, ac longitudine temporis. quia fas est Epicæ, res gestas annorum plurium imitari; Tragœdiæ necesse est contrahere omnia intra vnum Solis ambitum, hoc est intra diem vnum compellere quicquid imitatur. Quæ causa est, cur non à principio rem ordiatur, sed multa veluti iam gesta prætermittat: quod videre licet in Oedipo Tyranno Sophoclis. Neque enim mittitur initio Creon ad consulendum oraculum; sed qui multos ante iam dies fuerat missus, expectari dicitur. quare adest illico, atque ab ea die sumit exordium Fabula. Quæret tamen aliquis, vtrum aliquod recitandis etiam Tragoedijs præstitutum spatium temporis esset, extra quod egredi non liceret. Hoc enim si sciremus, etiam compertam Tragoediae magnitudinem haberemus. sed responderi non potest, nisi vniuersè ex Aristotele, & quidem in hunc modum: Tragoediarum terminum esse duplicem; artificiosum vnum, naturalem;

ralem, & artis expertem alterum. Naturalem ait eum esse, quem rei natura postulat, quæ tractatur in Fabula. postulat autem rei, quæ tractatur natura, & ratio, vt tunc terminum nanciscatur, ac finem, cum à felicitate in infelicitatem, vel contra ab infelicitate in felicitatem est commutata. Cum enim huiusmodi mutatio est in Tragœdia perappositè consecuta, nihil superesse potest, cur longius protrahatur. Aristotelis verba de hoc naturali termino sic illustrat, exponitque Auerroës in paraphrasi. Oportet, inquit, poësim ita suum habere naturalem terminum, quemadmodum res ipsæ naturales habent suum. Nam quemadmodum omnia, quæ genita sunt, nisi alicuius rei contrariæ impediantur euentu, ad iustam perueniunt aliquando magnitudinem à natura præscriptam; sic poëtici sermones eò vsque protrahuntur, & crescunt, quoad contrarij in contrarium secuta mutatio est. Hæc igitur est Aristotelis, interpretantisque Aristotelem Auerrois de naturali termino generalis præceptio: quæ demonstrat, eiusmodi finem designari certa ratione, & tamquam digito indicari non posse, sed esse omnino poëtarum iudicio permittendum. quorum erit, ita omnia disponere, vt cum rerum in contrariam partem accidit mutatio, intelligant omnes, nihil eorum desiderari, quæ huiusmodi conuersioni necessaria esse videbantur. Hinc enim sequitur, tum esse necessariò finem imponendum, cum nihil aliud ad actionis absolutionem requirere possunt Fabulæ spectatores. Artificiosum vero Tragoediæ finem eum docet Aristoteles esse, quem Tragoediæ non imponit natura rei, sed præscribit clepsydra, quæ per instillationem aquæ apud veteres sic enumerabat horas, quemadmodum easdem partimur nos, ac diuidimus per arenam. Poëtis igitur exhibentibus in Theatro Fabulas certum dabatur, illudque præscriptum clepsydra temporis spatium, quod egredi non poterant, & explere debebant. Itaque artificiosus, hoc est, artificio, & hominum decreto constitutus Tragoediarum terminus iure dicitur is, qui definiebatur à clepsydra, cum ad dimensionem illam, & quasi censuram perpendere, ac examinare iustam magnitudinem vellent. Huic antiquorum tempori per clepsydram ex omnium consensione sic circumscripto, si quid in hac re mihi liceat arbitrari, respondere crediderim oportere hac tempestate vulgarem consuetudinem, moremque communem: ita prorsus, vt iusta ea sit habenda magnitudo Fabulæ, quæ à communi consuetudine non abhorret, nec eos qui audiunt, molestia dimittit, ac satietate fatigatos.

Tertia præceptio est: vt Fabula vna sit, ac minime multiplex. Vnam autem eam esse ait Aristoteles, cuius vna est actio, quam imitatur: actionem autem sic vnam esse, si vnius hominis sit, & finem habeat vnum tantummodo, quò referantur vniuersa. Quo loco reprehen-

dit eos, qui putabant, vnam ideo actionem esse, quòd esset vnius hominis: nec animaduertebant, multas genere dissimiles actiones ab eodem homine proficisci, quæ coalescere non possint. Quin eos etiam arguit, qui vnam multorum actionem eam habere simplicitatem, atque vnitatem crederent, quæ in pulcherrimæ Fabulæ constitutione requiritur. Sed de his ego disputaui accuratè, ac sedulò in dissertationibus Virgilianis lib. xij. loco vltimo. vbi quaestionem institui de vnitate illius Fabulae. actum igitur hunc non agam iterum, sed ad eum locum allegabo qui plura de hac vnitate cognoscere volet. Illud in praesentia repetere satis sit; vnitatis veram, germanamque notam esse finem vnum, qui propositus certo cuidam, & vni homini est agenti. Haec enim nota inueniri non potest, quin actio sit vna, quae vnico illo fine circumscribitur.

Quarta cautio est; vt quae in constituenda Fabula comminiscimur, ea sic haereant, aptaque sint inter se, vt vna pars tolli non queat, quin tota compositio perturbetur. Quippe pars, quae tolli, non perturbata constitutione, potest, pars eius, cui tollitur, ac demitur, appellari non debet. Quae praeceptio seiuncta prorsus ab ea non est, quam alio loco de Fabula Episodica tradit Aristoteles. vbi confirmat, eam esse pessimam Fabulam, quae sit Episodica: Episodicam autem tum esse, cum ita digressiones affinguntur Fabulae, vt corpus coagmentare, & constituere partibus suis non videantur. De hac etiam praeceptione disputaui aliàs consultò in Virgilianis dissertat. ad lib. iv. loco j. & ad ix. loco item primo. Dicta igitur alibi non hic iterabo, cum praesertim epitomen ego faciam, non iustum opus moliar earum quaestionum, quae tractari de industria possent.

## *De Moribus. Caput IV.*

HÆc Tragoediae pars, quae in effingendis personis, earumque moribus exprimendis versatur, picturae similem Fabulam facit, vt docet Arist. in cap. xij. de Moribus, prope fin. vbi praecipit poëtae, qui mores effingere velit appositè, ne ab excellentium pictorum consuetudine, atque instituto discedat. & in cap. iv. item sub finem; vbi sic loquitur. Est igitur principium, ac velut anima Tragoediae Fabula: secundo verò loco mores. in quo etiam picturae similis esse videtur. si quis enim medicamentis, coloribusque pulcherrimis tabulam fusim, ac temerè illinat, non aeque delectabit, ac si imaginem albo tantum distinxerit &c. Aptissima quippe similitudine declarat quem locum obtineant mores, & quantam vim habeant, si rectè, atque ad viuum

expri-

exprimantur. Duo enim in pictura sunt, lineamenta, & colores: lineamenta ducuntur primùm à pictoribus, colores deinde inducuntur, vt ipsemet ait Arist. in lib. ij. de Generat. sed quia in lineamentis videtur esse posita summa picturæ vis, & artificium primum, secundum in coloribus aptis, & varijs; cum lineamentis confert Fabulam, quæ anima Tragœdiæ est, cum coloribus mores, qui secundum obtinent locum. Hæc igitur ab Aristot. prima præceptio datur, vt in moribus exprimendis imitetur poëta colores tabulæ non temere fusos, sed per summum artificium inductos. Quemadmodum enim pictor haud aeque aspicientium oblectat oculos, si nullo pigmento, nullisque coloribus, aut male collocatis vtatur, sed lineamentis tantum albis distinguat tabulam, atque imaginem exprimat, sic poëta non ita magnam afferet delectationem, si Fabulam quidem bene componat, sed tamen negligat mores. Comparat, inquam, cum pictorum coloribus mores, iubetque poëtam illos pulcrè, concinnèque disponere: ne Tragoedia similis tabulæ sit illitæ coloribus sparsim, ac temere. Vidit hanc etiam similitudinem Horatius, nec prætermisit. Vt pictura poësis erit. Quapropter æstimari permagno debet hæc pars: quippe quæ ponat omnia sub oculos spectatorum, faciatque, vt personarum vota, consilia, consuetudo, indoles, ingenium, ac natura non intelligantur modo, sed cerni, & conspici quodammodo videantur. In Hippolyto enim adolescentis pudici, rigidi, seueri, voluptates aspernantis ingenium ipsis propemodum oculis intuemur: in Phædra, feminæ animum impotenter amantis: in nutrice fidem; in Theseo præcipitem iram. Sed accommodatius doctrinæ sit, hanc tam variam morum effictionem ad certa quædam genera, ipso duce, atque auctore Aristotele reuocare.

Ait enim, in moribus spectari oportere omnino quatuor. vt probi, vt conuenientes, vt similes, vt æquabiles sint. Quantum attinet ad primum, id animaduertendum est; non illud Aristotelem velle, cum mores vult probos, vt nulli mores improborum exprimantur in Tragoedia. inducitur enim crudelissimus Atreus, impudica Phædra, lena, & cupiditati dominæ subseruiens anus. Quid ergo præcipit, cum mores in expressione indolis postulat bonos, ac probos? Nimirum non æquè in omnes, sed in eam cadit hæc præceptio personam, quæ principem in Tragoedia locum obtinet, quæque certum solet impertiri Fabulae nomen. In hanc, inquam, personam ea praeceptio cadit, in quam cadit commiseratio, hoc est in eam, quae digna commiseratione est: adeoque nisi proba sit, certe minime mala, non poterit eiusmodi affectum animi permouere, quem propositum ad permouendum, & concitandum poëta Tragicus habet. Cum enim commiseratio, vt tradit Arist. in lib. ij. Rhet. ex eo concitetur in

nobis,

nobis, quòd aliquem illo vexatum incommodo videamus, quo sit indignus, nullam à nobis extorquebunt commiserationem improbi calamitosi, quos intelligimus ea esse calamitate dignissimos. Sed de hac probitate, siue de probitatis mediocritate accuratius infra disputabimus.

Conuenientes secundo loco esse mores oportere dixit Aristoteles, hoc est ei congruentes, ac respondentes personae, cui tribuuntur. fortitudo enim, inquit, & prudentia mores quidam haud dubiè sunt; sed in feminas minime conueniunt; & iuuenibus aliqua congruunt, à quibus abhorrent senes, & quaedam diuites decent, quae à pauperibus sunt aliena. Aristoteli concinens Horatius breuiter haec eadem ita perstrinxit.

*Si plausoris eges, aulæa manentis, & vsque*
*Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat;*
*Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,*
*Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.*

et post------------------*Ne forte seniles*
*Mandentur iuueni partes, pueroque viriles.*

Egregiè Terentius complexus est omnia personarum genera, quarum varij describendi sint mores conuenienter. sic enim loquitur in Prologo Eun.

*Quod si personis vti alijs non licet;*
*Quì magis licet currentes seruos scribere,*
*Bonas matronas facere, meretrices malas,*
*Parasitum edacem, gloriosum militem,*
*Puerum supponi, falli per seruum senem,*
*Amare, odisse, suspicari?*

Tertio loco postulat Aristoteles, vt mores similes sint, hoc est personae similes, quam poëta imitatur in Fabula. similes autem erunt ex eodem Arist. vt eo loco docent interpretes, si formae, opinionique iam de persona illa vulgatae omni ex parte respondebunt, Et profectò, cum aliquem ad viuum exprimere contendit poëta, exprimere debet simillimum. simillimum autem exprimere non potest; nisi eum inducat cupientem, volentem, iubentem, agentem talia, qualia solitum eum velle, iubere, atque agere sciunt vniuersi. Norunt videlicet omnes, Achillem implacabilem esse, Vlyssem astutum, ac vafrum. sibi similes hi effingi non possunt, nisi tales exprimantur, quales fuisse iam fama vulgauit. Iure igitur Horatius ita praecipit.

*Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge.*
*Scriptor honoratum si forte reponis Achillem;*
*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,*
*Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis.*

Sit

*Sit Medea ferox, inuictaque, flebilis Ino,*
*Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.*

Itaque hoc praeceptum à superiore distat eo nomine, quòd hoc certas intueatur personas populo iam notas, velut Agamemnonem, Pyrrhum, Oedipum, Polynicem, qui certos quosdam postulant mores, hominum opinione iam illis inditos; illud in aetate hominum varia, sexu, dignitate, muneribus, honore versetur. Iubet enim poëtam reddere, atque affingere mores aetati, conditioni, fortunaeque conuenientes.

Quarto denique, ac postremo loco monet, mores aequabiles esse oportere, hoc est eundem habere perpetuò tenorem, ac modum, quem initio susceperunt, ne à se ipsis paulatim dissentire, ac discordes esse videantur. Haec nimirum aequabilitas postulat, vt quem iracundum semel effinxeris, quem placidum, ac mitem, quem seuerum, quem crudelem, ac impium, eum eosdem plane mores prae se ferentem semper, atque ad exitum vsque Fabulae retinentem facias. Cuius praeceptionis ea ratio est; quòd mores ex animi manant conformatione quadam, & habitu: habitus autem constantissimus semper, maximeque aequabilis est. Hunc etiam locum vidit Horatius, atque inter cetera poëticae monita sic recensuit.

*Si quid inexpertum scenæ committis, & audes*
*Personam formare nouam, seruetur ad imum*
*Qualis ab incœpto processerit, & sibi constet.*

E quatuor hisce legibus, praeceptisq; quae versantur in moribus, tria dicit Aristoteles à poëtis quibusdam esse praeterita, & violata. Primum quidem ab Euripide in Oreste. vbi Menelaus mores prae se fert minime probos: cum Orestem iuuare nolit, auxilium eo petentem tempore, quo tempore, occisa Clytemnestra, mortem vltus erat Agamemnonis, qui & ipsius fuerat Orestis pater, & frater Menelai. Inhumani enim hominis fuisse videtur, ei præsidium denegare, à quo fratris manes cæde Clytemnestræ placatos esse intelligebat. Secundum de moribus præceptum ait, vel non vidisse, vel neglexisse poëtam illum, qui fecit Vlyssem eiulantem; quæ Tragœdia Vlysses Naufragus est Epicharmi, & laudatur ab Athenæo in lib. xiv. Nam, vt diximus in Virgilianis Vindicat. lib. j. loco v. apud hunc poëtam Vlysses naufragio periclitans dolenter admodum lamentabatur, eiulabatque muliebriter, & effeminatè: qui mores forti viro consentanei, congruentesque personæ non sunt. Idem peccatum ait, Euripidis fuisse, cum Menalippen induxit de philosophia subtilissime disputantem. tanta quippe rerum cognitio, & sapientia non cadit in feminas. In tertia lege de moribus eundem Euripidem peccasse confirmat; cum Iphigeniæ in Aulide mores inæquabiles, nec

sibi constantes attribuerit. Nam initio Tragœdiæ facit eam pauidam, mortemque vehementer extimescentem, postea verò interritam, eandemque contemnentem, & despicientem mortem tanta cum fortitudine, quantam ne in constantissimis quidem viris intuemur. Ad necem quippe suo se offert iudicio, ac voluntate, tantaque subitò flagrat cupiditate gloriæ, vt eam anteponere vitæ, & rerum omnium possessioni non dubitet.

## De Sententia. Caput V.

SEntentia mores excipere debet: quia consequens est, vt qui certis præditus moribus sit, animi quoque sententiam habeat, opinionemque moribus illis vndique respondentem. Huius ergo partis quæ Sententia dicitur, ait Aristoteles esse, ea dicere posse, quæ in re insunt, hoc est, rem probare omni argumentorum, ac rationum genere, quæ sint accommodatæ. Additque, Sententiam à morum expressione illo nomine differre, quòd in moribus appareat electio, in Sententia non appareat, sed tantum probatio quædam rei, quæ moribus iam indicata est, & demonstrata. Videtur profectò Sententia, quantum ex verbis Aristotelis intelligere licet, respondere Rhetorum argumentationibus, quæ fidem faciunt, & rem sic esse, vel non esse, ita fieri, vel non fieri oportere demonstrant. Quare morum vis omnis in appetitione, atque in voluntate posita videtur esse, quæ vel optando, vel repudiando aliquid eligit, Sententia in animi facultate intelligente, quæ aliquid rationibus affirmet, aut neget. exemplo libet hoc illustrare, quod obscurè docetur. Hippolytus cum ita loquitur,

*Non alia magis est libera, & vitio carens,*
*Ritusque melius vita, quæ priscos colat,*
*Quàm quæ relictis mœnibus siluas amat,*

electionem ostendit animi sui: quam Sententia postmodum sequitur adprobans id quod optatum, electumque est, & circumspiciens omnia argumentorum genera, quæ demonstrent illam vitæ rationem optimam esse.

*Non illum auaræ mentis inflammat furor,*
*Qui se dicauit montium insontem iugis:*
*Non aura populi, & vulgus infidum bonis,*
*Non pestilens inuidia, non fragilis fauor.*
*Non ille regno seruit, ac regno imminet,*
*Vanosque honores sequitur, aut fluxas opes.*
*Spei metusque liber &c.*

Atreus

Atreus item qui moribus est præditus crudelissimis, & tyrannidem eligit, hoc animi sui votum, electionemque principio sic aperit, in se ipsum inuectus: seque ad sui necem fratris vehementer adhortans.

*Ignaue, iners, eneruis, & (quod maximum*
*Probrum* Tyranno *rebus in summis reor)*
*Inulte: post tot scelera, post fratris dolos,*
*Fasque omne ruptum quæstubus vanis agis*
*Iras. & Argos fremere iam totum tuis*
*Debebat armis.*
*Age anime, fac quod nulla posteritas probet.*

Hæc inquam, quæ sic dicuntur ab Atreo, mores patefaciunt efferatos, & electionem fraternæ cædis. Erit nunc sententiæ, rationes idoneas quærere, quæ scelus illud impium, & tam palmare suadeant.

*----------------------scelera non vlcisceris,*
*Nisi vincis. & quid esse tam sæuum potest,*
*Quod superet illum? Numquid abiectus iacet?*
*Nunquid secundis patitur in rebus modum,*
*Fessis quietem? noui ego ingenium viri*
*Indocile. flecti non potest: frangi potest.*

Quin ea, quæ consequuntur in tota scena diuerbia, contentionesque cum seruo, flagitium illud immane dissuadente, nihil aliud sunt, quàm probationes patrandi sceleris, in quibus tota sententiæ ratio continetur. Est enim huiusce partis, vt dixi, nihil prætermittere, quod rei propositæ fidem facere possit, aut aliquid agendum persuadere. Hinc videlicet illæ nascuntur inductiones, exemplorumque cumuli, qui poëtis familiarissimi sunt, aptique maximè ad ea comprobanda, quæ nos iam elegisse, nobisque placuisse demonstrauimus in ea parte, quæ morum expositio est.

Hanc ergo partem tractare qui volet pro dignitate, ab eodem discet Aristotele in cap. xix. vbi quinque designat officia, in quibus vniuersè versatur ipsa sententia. Sententiæ partes, inquit, sunt, demonstrare, soluere, perturbationes ciere, augere, imminuere. Demonstrantur enim obscura: contraria, & repugnantia soluuntur: perturbantur, & commouentur spectatorum animi: augentur exilia: grandia minuuntur. Quæ officia communia quidem cum oratore sunt, sed tamen habere Tragicum poëtam materiam propriam ait Aristoteles, ex qua cum ducere demonstrationes, solutiones, perturbationes, amplificationes oporteat. hanc autem materiam quatuor ferme rerum generibus, hoc est miserabilibus, grauibus, miris, verisimilibus contineri. perinde quasi dicat, eas esse sententias commendatione dignissimas, quæ patheticæ, quæ graues, quæ admira-

mirabiles, quæ verosimiles sint, hoc est verosimilia proferant. Ornamẽta nunc addenda essent, quibus instructas oportet afferre sententias. Vt enim orator syllogismos, enthymemata, exempla, ceterasque argumentationes non adhibet nudas, sed figuris indutas suis, ita Tragicus poëta, sententias hasce, quæ, vt diximus, argumentationes quædam, ac probationes sunt, non proferet in medium, nisi figuris quibusdam amplissimis magnificè, ac grauiter ornatas. Erunt igitur inter figuras legendæ grauissimæ, quæque sententijs miserabilibus, terribilibus, miris, cum dignitate, ac maiestate respondeant. Erit etiam ex vsu legere quæ docemus in libello de Eleg. cap. xviij.

## De Dictione. Caput VI.

DIctio sequitur, & elocutio: quam interpretationem animi per verba esse ait, ac definit Aristoteles. Necessariò inquam hæc sequitur, quia sententiam exprimere nisi oratione, ac dictione non possumus. Quoniam verò plures dictionis formæ sunt, & charactéres, videndum hic primum puto, quæ nam propria Tragicæ locutionis nota esse videatur. Nemo enim vnus ignorat, tria esse locutionis, & dicendi genera, quibus omnis distinguitur, & variatur oratio; summum, infimum, interiectum. & quia non eadem semper à Tragico tractatur vbique, atque in tota Fabula materia, non eædem semper inducuntur personæ, dubitari profecto potest, num Tragico proprium sit summum illud dicendi genus, atque magnificum. Respondendum existimo vniuersè, deberi Tragœdiæ notam grandiloquæ dictionis ac summæ: adeoque legere eiusmodi generis poëtam oportere verba grandia, translata, sonantia, hyperbolica, illustria; ea denique, quæ plenum quiddam, & graue auribus ingerant: obsoleta, abiecta, humilia, vulgaria repudiare. Maiestatem hanc, & grauitatem dictionis egregiè, scitèque prorsus expressit Horatius, cum dignissima eam matrona conferens, quæ festis diebus egrediatur in publicum, & pompam grauiter incedendo sequatur.

*Effutire leues indigna Tragoedia versus,*
*Vt festis matrona moueri iussa diebus.*

Sed tamen hæc orationis dignitas, & maiestas ita est Tragœdiæ propria, vt interdum se se demittere de industria debeat. vt cum feminæ loquuntur, aliæque inferioris notæ personæ inducuntur agentes; cum lamentantes, dolentesque facimus eos, qui à summa quadam ad infimam delapsi fortunam sunt, aliaue calamitate præter modum omnem, rationemque communem laborare cœperunt. id quod etiam ipse cautione pulcherrima monuit Horatius in Arte.

Et

*Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.*
*Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul vterque,*
*Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba.*

Hæc tamen oratio pedeſtris, & infima tam rarò, ac tam paucis locis adhibetur à Tragico, vt facere non poſſit, quin grandis illa, atque magnifica dici propria Tragœdiæ debeat, quæ pene ſemper, ac propemodum ſingulis vſurpatur in partibus.

His ita de charactere propoſitis, duo iure quæri poſſe in hac dictionis Tragicæ tractatione videntur. An Tragœdiam ſoluta numeris oratione ſcribere liceat, & an alio carminis genere, quàm Iambico vti ſine reprehenſione queat qui eiuſmodi Fabulam ſcribit.

De prima quæſtionis parte ſic cenſeo: Tragœdiam, quæ ſoluta numeris oratione tractetur, imperfectam, & quodammodo ſpuriam, ac degenerantem eſſe. non quòd aliquid ei deſit ex ijs, quæ ad intimam Tragœdiæ pertinent vim, ac naturam (hæc enim poſita eſt in imitatione perſonarum illuſtrium, ad commouendam commiſerationem, & terrorem idonea) ſed quòd inſtrumentum illud, præſidiumq; deſideret, quo dempto, maxime imperfectam oporteat eſſe Tragicam imitationem. Dixerim ergo, Tragœdiam huiuſmodi, ſimilitudinem potius imitationis Tragicae, quàm poëſim Tragicam videri. Quamquam enim poëſis nihil aliud quàm imitatio eſt, eſt tamen imitatio, quae ſuis vtitur inſtrumentis, atque praeſidijs: quorum primum eſt verſus, & vincta numeris oratio, vt apud Ariſtotelem eſt in capite poëtices primo. ſic enim interpretandum eum locum puto; vbi confirmauit, Sophronis, Xenarchi, & Socratis dialogos, qui ſoluta, & numeris libera ſcripti erant oratione, in poëmatum numero reponendos eſſe, ipſamque poëſeos vim, & naturam attingere. Exiſtimo, inquam, Ariſtotelem id velle, ac dicere; auctores illos dialogorum inter poëtas quidem, ſed inter minus perfectos eſſe connumerandos. Vt enim in alijs artificum, & ſcriptorum claſſibus quidam ſunt ordines perfectorum, imperfectorumque, ita in ipſa poëtarum ſerie, atque in poëtica diſciplina gradus deſignandi videntur certi, qui perfectam artem ab imperfecta ſecernant.

De genere carminis, quae altera quaeſtionis eſt pars, illud habeo ex Ariſtotele proferre: Tragœdiae deberi omnino Iambum ſenarium Ita enim ea de re pronunciat ipſe in cap. ij. poëtices. Tragœdia ſenarium adoptauit verſum, octonario repudiato, qui Satyricus potius videbatur. Porro Iambus ſermonibus alternis accommodatus eſt maxime, quemadmodum vſus colloquij familiaris oſtendit: in quo nobis excidunt Iambi quamplurimi, hexametri vero rariſſimi. Quibus ex verbis non modo intelligimus, octonarium, quia humilior eſt, & Comœdijs congruentior, eſſe à Tragœdia depellendum,

ſed

ſed ne adhibere quidem in hoc genere Fabulæ fas eſſe verſum hexametrum. A colloquijs enim alienus eſt propter magnificentiam, vt hic indicat,& alibi planiſſimè docet:vbi ſic loquitur.Carminum plane omnium longe grauiſſimum maximeq.turgidum eſt hexametrum. Græcè dicitur στασιμώτατον, καὶ ὀγκωδέστατον, maximè ſtabile,maximeq. inflatum:quod idem eſt.

Quarè decepti nonnulli ſine dubio ſunt, qui putarunt etiam hexametrum Tragœdiæ conuenire poſse. Ac decepti quidem, opinor,ductiq. ſunt auctoritate Terentiani Mauri, & Diomedis Grammatici. Docent enim, non minus iambicum, quàm hexametrum appellari, diciq.Heroicum poſſe. Videtur quippe hinc eſſe conſequens,tam hexametrum, quàm iambum, quoniam nihil inter ſe diſcrepant, eidem eſſe poëmati accommodatum. Sed hæc conſecutio fruſtra eſt, atq.ab ijs Grãmaticis aliena. Hæc enim illi propterea tantum docent, quòd vtrumque poëmatis genus Epicum, & Tragicum imitatur Heroas; à quibus vtrumque videtur appellandum Heroicum: non tamen exiſtimant,ac volunt,Tragœdiam æquè ſcribi poſſe hexametro, ac iambico verſu. Liceret enim etiam mihi ex eorumdem auctoritate dicere, poëſim Epicam ſcribi iambico poſſe, quando vtrumque poëma eſt appellandum Heroicum, & vterque verſus dici Heroicus poteſt.

Illud nihilo minus eſt dandum Tragoediæ, vt rarum aliquod hexametrum iambicis interponere poſſit. Id vero tum maxime fas eſt, cum vel oracula loquuntur:vt apud Senecam in Oedipo Act.11.

*Mitia Cadmæis remeabunt ſidera Thebis:*

vel cum Chori quidam in Dithyrambici prope modum attolluntur: vt in eodem Oedipo chor.11.

*Effuſam redimite comam nutante corymbo*
*Mollia Niſæis armati brachia thyrſis.*

vel cum epithalamium canitur, & Nuptiale carmen: vt in Medea Act. 1.

*Candida Thyrſigeri proles generoſa Lyæi.*

Quæ quidem licentia manauit ad hunc Latinum poëtam à fontibus Græcorum: apud quos non hexametros tantummodo legimus, verum etiam aliquot Elegiacos. quales ſunt ij, qui proferuntur apud Euripidem ab Andromacha: quod exemplum, niſi fallor, eſt ſingulare. In Tragoedijs denique illa varietas numerorum, & verſuum vſurpatur à Choro tantum,aut à reſpondentibus Dijs:à perſonis colloquentibus non vſurpatur, niſi raro. vt cum feminæ lamentantur, ac dolent, quibus congruere videntur numeri molliores; aut cum aliqua ſignificatio voluptatis,& lætitiæ eſt exprimenda:cuiuſmodi eſt in Hippolyto Senecæ Act.1.Scen.1.


*Ite, vmbrosas cingite siluas,*
*Summaq. montis iuga Cecropij, &c.*

## *De Apparatu: ac primò quidem de Theatro.* *Caput VII.*

HAnc Tragœdiæ partem nonnulli Spectaculum appellarunt, propterea quòd in Græco Aristotelis codice dicitur ὄψις. Quæ vox aspectum quidem, aut visionem, aut spectaculum significat: sed tamen hoc loco ea continet, & complectitur omnia, quæ spectatorum oculis subijciuntur; ornatum Scenæ, histrionum vestes, personas agentes, ceteraq. ex illo genere complura, quæ sunt vsui, cum Fabula recitatur. Itaq. multo melius à Victorio, ac Robertello ὄψις Latinè redditur Apparatus: in quo videntur illa posita esse vniuersa, quibus opus est in agenda Tragœdia. Hanc ergo partem ait Aristoteles in fine capitis iv. maximam habere vim ad spectatorum animos oblectandos; sed ab arte poëtica alienam esse: quippe quæ aduentitia sit, & externa, ad eumq. tota pertineat, qui choragium Tragœdiæ suppeditat. Choragium enim appellatur à Festo totum scenicum instrumentum; cuius præfectus Choragus etiam dicebatur. Quia tamen Apparatus quoque inter partes Tragœdiæ numeratur, habetq. momenti plurimum, si Tragœdia in Scenam producenda sit, explicanda videtur à nobis hæc pars diligenter, & in sua veluti membra partienda.

Ac primò quidem de Theatri structura dicendum esset, nisi scriptores suppeterent, cum antiqui, tum noui, qui hoc argumentum copiosè tractarunt. Præstabit ergo legere Iulium Pollucem in lib. iv. cap. xix. Vitruuium in lib. v. à cap. item v. vsque ad ix. Isidorum in lib. viij. Originum cap. xxxix. tribusq. sequen. Cassiodorum in lib. iv. var. Epistol. vlt. Budæum in prioribus Adnotation. ad Pandect. Politianum in Miscellan. Rhodiginum in lib. v. cap. viij. Scaligerum in lib. Poët. primo, cap. xxj. Lilium Gyraldum in Dialogo vj. de Poëtis.

Hos, inquam, scriptores, cum antiquos tum nouos erit operæ pretium legere, ac Theatri subiectam hic ichnographiam ex Vitruuij desumptam codicibus intueri suis distinctam partibus, membrisq. præcipuis.




a. Cunei. hoc est Sedilium ordines,& gradus,cunei figuram referentes.Cum enim ab extremo Theatri ambitu ampliore vsque ad caueam excurrerent, angustiores semper, arctioresq. reddebantur quò propius ad caueam ipsam accederent. Qui cunei,siue gradus suis veluti zonis,& præcinctionibus ad inambulandum distinguuntur.

b. Orchestra. quæ nomen à saltando siue gesticulando est nacta. nam ὀρχέομαι est tripudio, gesticulor, ad numerum salto. Itaq. si nomen spectes, Orchestra locus in Theatro est, vbi Chorus, Musici, Symphoniaci, Thymelici,ceteriq. personam non habentes ad numerum saltant, & canunt, idq. planissimè docet Iulius Pollux in lib.iv. cap. ix. affirmans, Orchestram sic esse Chori propriam, quemadmodum est Actorum Scena. Quò magis mirandum sit, cur Vitruuius Orchestram ponat eo loco,vbi fuere Senatorum subsellia. Principio enim toto quingentorum annorum spatio Senatus populo permistus spectaculis interfuit, sed ad extremum Attilius Serranus, & L. Scri-

bonius Aediles, Maioris Africani sententiam secuti, separari Senatorum sedilia iussere; quæ non fuere stabilia, sed pro tempore in Theatrum ferebantur, vt ostendit Barbarus in Vitruu. & ibi collocata sunt, vbi statuit Orchestram Vitruuius, quod ipse testatur his verbis lib. v. cap. vj. In Orchestra autem Senatorum sunt sedibus loca designata, &c. At non est credibile Chorum saltasse, ac cecinisse inter Senatorum subsellia. Respondet Philander, qui Vitruuium scholijs illustrauit, Orchestram apud Latinos ibi fuisse, vbi à Vitruuio designatur; sed apud Græcos alibi, hoc est ibi, vbi caneret, & saltaret Chorus, quemadmodum ait Pollux. quod vt rectè fortasse dicatur, addo tamen, ne apud Latinos quidem saltasse, ac cecinisse Chorum in ea Orchestræ parte, vbi subsellia Senatorum erant, sed in Pulpito, quæ altera fuit Orchestræ pars, vt nunc dicemus.

c. Pulpitum. Locus erat editior in Orchestra, vbi Chorus, alijq. artifices Fabulæ subseruientes, Actoribus intra Scenam abditis, per Actuum interualla canebant, saltabant ad numerum, inter se loquebantur. Cùm enim interrogabant Nuntios, aut ceteros alloquebantur Actores, in proscenio fuere. Vitruuius duo designat in Pulpito loca; λογεῖον, vbi nimirum loquerentur inter se Choricæ personæ, & ᾠδεῖον, vbi canerent, & modularentur. Hoc, inquam, Pulpitum quod propter similitudinem à Polluce quodam loco dicitur Ara, videtur esse Orchestræ pars editior, quia proiectum est, & prominet caueam versus: adeoq. Chorus, qui est in Pulpito, est etiam in Orchestra. Aliqui Thymelem non distinguunt à Pulpito. Fuit fortasse Thymele illa Pulpiti pars quæ dicitur Odeum. ibi enim Thymelicos, citharœdos, & symphoniacos fuisse necesse est.

d. Proscenium. Theatri pars in qua è Scena egressi agebant histriones, ac propterea patens fuit, & apertum, vt ait Iulius Scaliger.

e. Podium. quod mœnianorum speciem habuit: cuius pars media, vbi magis prouehitur, & eminet foras, cum Pulpito iūgitur, quod est veluti pergula quædam, vt Philander ostendit.

f. Scenæ præcipua pars. quæ quàm multiplex esset, quidq. depictū, cælatum, aut sculptum haberet, paulò post indicabimus.

g. Scenæ membra. Totam enim Scenam Vitruu. in illo cap. vj. lib. v. diuidit in partes quinque, quarum primam ampliorem posuimus in f. quatuor reliquas hic statuimus.

h. Hospitalia. De quibus ita Vitruuius in cap. vj. lib. v. Dextra, ac sinistra hospitalium designabunt compositionem. Quem autem vsum habuerint hæ vel ædes, vel hospitalia, declarat in cap. vij. sequenti. Dextra, inquit, ac sinistra hospitalia. secundùm autem ea spatia ad ornatus comparata (quæ loca Græci περιάκτους dicunt, ab eo quòd machinæ sunt in his locis versatiles trigonos habentes)

in singula tres sint species ornationis, quæ cum aut fabularum mutationes sunt futuræ, seu Deorum aduentus cum tonitribus repentinis, versentur, mutentq. speciem ornationis in frontes. Docet igitur his verbis; in Hospitalibus conditas fuisse machinas, aliaue instrumenta peruertendæ commutandæq. Scenæ idonea, de quibus infra dicemus.

I. Valuæ Regiæ. Ita enim eas appellat Vitruuius his verbis, loquēs de quibusdam linearum tractibus, quos duci iubet ad designandam Scenam. Reliqui quinque Scenæ designabunt compositionem; & vnus medius contra se valuas Regias habere debet. Cur autem Regiæ dicantur, non docet. Suspicor idcircò sic dictas, quòd inde Reges, Regiæuè personæ prodirent in Scenam acturæ. rectà enim ducunt in valuas Scenæ medias; quibus ornamenta Regia dari oportere iubet idem Vitruuius. Ipsæ autem Scenæ, inquit, suas habent rationes explicatas, ita, vti mediæ valuæ ornatus habeant aulæ Regiæ. Ita, inquam, suspicor. quod si alicui non probatur, videat an valuæ Regiæ sint valuæ principes, & primariæ, quibus ex porticu, qui post Scenam erat, aditus esset in ædes. sequuntur enim.

K. Hospitalium siue Hospitaliorum valuæ, quibus ex porticu intratur in ea conclauia quæ Hospitalia nominantur. Cum his ergo collatæ illæ valuæ mediæ, Regiæ sic dici possunt, quemadmodum primaria, & latior via dicitur Regia.

L. Porticus post Scenam. Post Scenam, inquit Vitruuius in cap. ix. lib. v. porticus sunt constituendæ; vti cum imbres repentini ludos interpellauerint, habeat populus quò se recipiat ex Theatro; choragiaq. laxamentum habeant ad Chorum parandum. Fuit igitur huiusce porticus vsus duplex: alter ad defendendam subitam pluuiam, ad parandos, vestiendos, ornandosquè actores, & personas Choricas alter. Nam choragij nomine tota vestis scenica comprehenditur.

Hoc, inquam, schema proponere voluimus ad rem obscurissimam, & prorsus inexplicabilem adumbrandam. Singula enim hæc Theatri membra tractationem postularent ampliorem.

## De Scena. Caput VIII.

DE Scena tantummodo perstringamus aliqua, quæ præcipua pars & prima Theatri fuit, vt docet his verbis loco laudato Cassiodorus. Theatri frons Scena dicitur ab vmbra luci densissima: vbi à pastoribus, inchoante verno tempore, diuersis sonis carmina canebātur. Ibi actus Musicus, & prudentissimi sæculi dicta floruerunt. Ad hūc modū Cassiodorus Scenæ originē, & etymō nobis tradidit à siluis dedu-

ctum vmbrosis, ac lucis, vbi Fabulæ illo rudi, atque impolito sæculo canebantur à pastoribus. σκηνὴ enim, Græcorum vox, nihil aliud apud Latinos, quàm inumbratio est. Artificiosum deinde Theatrum, & quidem sumptuosum fieri cœpit: cuius erant membra præcipua, ex altera quidem parte, scalæ cum ordinibus sedilium, siue cauea: altera ex parte, hoc est in fronte, Scena.

Hanc ergo Scenam in Theatro triplicem fuisse scribit Vitruuius in lib. v. cap. viij. Tragicam, Comicam, Satyricam, triplici prorsus scenicæ, siue dramaticæ poëseos formæ respondentem. Quæ profecto Scenæ qualibus, & quàm multis distinguerentur inter se notis, ab ipso quæramus Vitruuio, qui hæc articulatim, ac distinctè sic docet. Genera sunt Scenarum tria. vnum, quod dicitur Tragicum: alterum Comicum: tertium Satyricum. Horum autem ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione: quòd Tragicæ deformantur columnis, fastigijs, ac signis, reliquisque Regalibus rebus: Comicæ autem ædificiorum priuatorum, & mænianorum habent speciem, prospectusque, fenestris dispositis, imitatione communium ædificiorum rationibus. Satyricæ verò ornantur arboribus, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarij operis speciem deformatis. Ita Vitruuius.

Quod igitur attinet ad hanc Apparatus partem, quæ Scena dicitur, id potissimum eos spectare oportet, qui Tragœdiam sunt daturi, vt Scenam præparent amplam, atque magnificam, hoc est, eam, quæ Regias ædes, ac Basilicas imitetur. sic enim à Comica, Satyricaque, siue pastoritia facilè secernetur. Insana verò illa quæ Scenis addita subinde sunt ornamenta, non tam eò pertinebant, vt Tragicam Scenam à ceteris differentem facerent, quàm vt luxu Apparatum ipsum vniuersè, siue Tragicum, siue Comicum amplificarent. Fuit enim interdum aurea Scena, vt Petreij; interdum argentea, vt Antonij, & Murænæ; interdum marmorea, vt M. Scauri; interdum versatilis ex ligno, & suspensa cardinibus, vt Curionis; interdum ductilis, hoc est, quæ hàc atq; illàc tabulis tractis interiorem picturæ speciem denudaret: qualis à Virgilio describitur in tertio Georgicorum.

*Vel scena vt versis discedat frontibus, vtque*
*Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.*

Hæc, inquam, ad ostentationem & luxum accesserunt Scenis additamenta. Communis quippè stabilis erat, hoc est ea, quæ neque verteretur, neque diduceretur in partes, sed eandem semper ostenderet spectatoribus speciem.

## De Machinis, & Aulaeis. Caput IX.

SCena iam, Scenæque partibus explicatis, instrumenta sequuntur scenica, ac primò quidem machinæ, quæ maximè pertinent ad Apparatum. Quo loco monebo primum vnum: his machinis nolle me conuellere præceptum Horatij, iubentis è Scena tolli trāsformationes quasdam; quæ quoniam obijci spectatorum oculis bene non possunt, fidem non inueniunt vllam, & pro admiratione fastidium, odiumque commerentur; vt ipse confirmat his versibus.

*Nec pueros coram populo Medea trucidet:*
*Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;*
*Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.*
*Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.*

Quasi dicat. indignor, quòd tàm impudenti mendacio mihi velis imponere, tamquam amenti, ac stupido, qui non videam eius fatuitatem imitationis, & fucum illum frigidum, oculos minimè decipientem. Quamquam enim scio cetera quoque fingi ab actoribus, odia, inuidiam, lacrymas, eiulatus; ab ijs tamen decipi me patior; quia sic sunt homines, cum odio vehementèr aliquid habent, cùm inuident, cùm flent, aut lamentantur. Sed transformationibus illis fictis decipi me non sino: quia propter rei difficultatem, nulla similitudine aut proportione rebus respondent veris. His, inquam, machinis non contendimus illum Horatij locum labefactare. neque enim in eam gratiam hìc proferimus machinas, vt ostendamus illarum beneficio licere in Scenam eiusmodi transformationes, & metamorphoses dare: sed ideò, vt intelligatur, alia quædam fas esse per machinam exhiberi, quæ nemo sapientium improbarit, & approbationem à populo consequantur. Illud ergò nosse oportet, quod ab auctoribus idoneis, in primisque à Vitruuio in lib. v. cap. viij. accepimus, solitos fuisse veteres Scenam in hemicycli formam extruere. cuius ab dextera parte peregrini, & hospites egrediebantur; ab læua Carcer fuit, qui ceteros emitteret: in medio Regia; vt Iulius Scalig. ex antiquis tradit scriptoribus in lib. 1. Poët. cap. xxj. Huic verò parti mediæ duæ præterea fuerunt adiunctae portae: quarum postibus duae item machinae versatiles, vel circumductiles affigebantur. Sinistra porta Deos aquaticos tantum effundebat in Scenam per machinam. Eumenides enim ceterique Inferorum Dij ex Imis Gradibus exiliebant: Vmbrae, ac Manes è Scalis prodibant, quas appellarunt Charonias. Itaque in Thyeste vtramque oportuit machinam adhibere: sic prorsus; vt eodem tempore necesse fuerit

Tantalum exire de Scalis Charonijs, quo tempore Megæra ex Imis Gradibus exiſtebat. Dij verò Superi ex improuiſo per machinã quandam editiorem, quæ fortaſſe ſupra Epiſcenium fuit, demittebantur è cælo, non quidem ſic, vt planè in Epiſcenio conſiſterent, ſed ita, vt machina illa ſuffulti penderent in aëre. Hæc Deorum cæleſtium machina, in Comœdijs dicitur à Græcis κράδης : in Tragœdijs, quia omnium eſt princeps, & præſtantiſſima, per excellentiam appellatur communi nomine machina; μηχανή. Huic perſimile fuit inſtrumentum, & machina γερανὸς, qua è terra rapiebantur in aërem repentè mortales à Dijs. vt à Borea Orithya, ab Aurora Memnon, à cæleſtibus anguibus Medea. Alia eiuſmodi fuerunt inſtrumenta propemodum infinita. στροφεῖον, verſatile; quo Heroës extemplo transferebantur ad Deos; vt Hecules Oetæus. ἐγκύκλημα, hoc eſt, ſedes ſublicis elata, & ſtrata longurijs, in eam gratiam, vt ſubitò circumuoluta demonſtraret ea, quæ intra domeſticos parietes agerentur, vel acta fuiſſent; quale eſt parricidium in Thyeſte, excæcatio in Oedipo. ἀκροβατικὸν ſcanſorium; qua machina vtebantur ij, qui aliquò ſcanſuri, aſcenſuriue erant. κεραυνοσκοπεῖον, hoc eſt fulminans, aut fulminiuomens: vnde nimirum fulmina tamquam de cælo iaciebantur. βροντεῖον; tonans. cuius nimirum beneficio & vi tonitrus ſupra Scenam, vel in Scena terræ motus effingebantur. αὐτόματον; quæ machina à Græcis ſic eſt appellata, quòd ſua propè ſponte, ac minimo quodam ageretur impulſu. νευροσπαστικὸν; hoc eſt machina, quæ vnius nerui, vel fili motu varios præbebat vſus: cuius mentionem fecit Ariſtoteles in lib. de Mundo, Apuleius in libello item de Mundo, Aulus Gell. in lib. xiv. cap. j.

Secundùm machinas collocanda videntur in Apparatu Tragico aulæa, peripetaſmata, vela, ſiue carbaſina, ſiue byſſina, ſiue ſtellata; picturæ, tabulæ, ſigna, fontes per ſedilia ducti, effundentes latices odoratos: ebur, argentum, aurum, ſumptuoſæ florum veluti pluuiæ, aquæ croceæ, croci triti, ſcobis aureæ ſparſiones, ac ſimilia inſanæ prodigentiæ, immodiciq. luxus argumenta. Erit igitur eius, qui choragium dat, omnia in hoc genere comparare inſtrumenta neceſſaria exhibendæ Fabulæ, quæ habetur in manibus, vt ab hac etiam parte Tragœdia nomen aliquod laudis adipiſcatur. Erunt enim Fabulæ, quę machinas velint, erunt quæ repudient, ac funditus nolint. erunt quæ flores, effuſioneſq. requirãt, erunt quæ nullos huiuſmodi ſumptus poſtulent. erunt quæ aulæis, & coloribus ornari ſimplicibus; erunt quæ inſtrui ſubinde, ac identidem debeant varijs; vt nunc lætitiam, nunc terrorem, ac miſericordiam excitent.

## De Histrionum indumentis. Caput X.

HIs compositis, & paratis omnibus, quæ Scenam, Theatrumq. suis communiunt ornamentis, ad ea conuerti animus debet, quæ necessaria sunt Actoribus ipsis instruendis. Antiquis prima in hoc genere cura fuit personarum. neque enim histriones agebant nisi personati, vt ex Aristotele, ac Demosthene docet copiosè Lambinus. Quare idem ille Thespis Atheniensis tam antiquus vir, ac Tragœdiæ primus auctor minio quidem principio faciem illeuit, sed postea tamen eandem portulaca contexit; ad extremum verò etiam lineis vsus est personis, ac laruis, vt testatur Suid. in verbo Thespis. id quod etiam Diomedes Grammaticus scriptum reliquit. Consecutis inde temporibus eiusmodi personam temerè factam, ac rudem perfecit, absoluitq. partibus suis Aeschylus ipse, qui Tragœdiam, vt initio diximus, expoliuit. Secundum in Actoribus ornandis locum videtur obtinere Tragica vestis, quæ profectò, si loquendum vniuersè sit, fuit syrma, hoc est, cyclas oblonga, sinuosa, humum voluminibus fluentibus verrens. non quòd ea sola vterentur singuli, sed quòd præcipuæ personæ, quæ Tragœdiæ nomen imponunt, & principes partes agunt, nisi cum syrmate non prodirent. Itaq. Tragica vestis, si res enucleatius explicanda sit, pro personarum varietate multiplex, & varia fuit. Aliam enim postulabant Dij, aliam Reges, Reginæuè; aliam duces, aut milites; aliam Nuntij, aliam Consiliarij, ac Senatores. Latini Reges cum Trabea egrediebantur, & Lituo: Imperatores Romani paludati cum purpura, cum laurea, cum stipatoribus suis: Reginæ cum palla tractitia, hoc est cum syrmate, & croceo velo: exules cum atro, fuscouè indumento: Barbari Reges cum diademate, aut cum tiara; ceteri quos ducebant, cum pileolis & galeris: Dij cum insignibus suis: Liber cum thyrso, cum cithara Phœbus, cum fulgure Iuppiter, & telo trisulco. Quod attinet nominatim ad pedes; vniuersi, siue Latini, siue exteri gestasse videntur cothurnos; quod calceamenti genus quia erat altius, Tragœdos ipsos, & Actores attollebat: vt nos docere videtur hoc versu Iuuenalis.

*------------------ breuiorq. videri*
*Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis.*

Hæc, inquam, omnia in eam comparantur, & curantur gratiam, vt histriones agant appositè, & cum adprobatione, plausuq. à specta-

toribus excipiantur. Quò fit, vt de Tragœdorum etiam officio, deque ratione agendae in proscenio Fabulae dicere ad extremum aliquid debeamus. Sit igitur huius capitis appendix, & accessio aliqua, quae peragendae, ac recitandae Tragoediae modum, rationemque declaret.

## APPENDIX AD APPARATVM.

### *De Tragœdiæ peragendæ, recitandæque ratione.*

PRaeparata iam Scena, histrionibus ad agendum ornatis, videndum est quid ipsos agere Tragoedos oporteat. Nihil hic ego dicam de personis primarum partium, aut secundarum: quae antiquorum diuisio eò pertinebat, vt distingueret histriones illos, quibus primum, ac praecipuum agendae Tragoedię pondus incumbebat, ab ijs, qui minus graues, minorisque momenti peragebant partes. sed satis habebo, personas bipartitò diuidere, in Scenicas, & Choricas. Scenicas appello eas, quae in actibus, ac scenis loquuntur, & agunt: Choricas quae partim canunt, ac saltant, partim loquuntur in Choris; interdum etiam aliquid dicunt in scenis. & quoniam de Choricis erit alibi disputandum, cum agemus de Choro; de Scenicis tantummodo praeceptiones aliquas hoc loco percensebimus.

Donati ergo prima praeceptio, & cautio ea est: ne amplius quàm quinquies eadem persona in Scenam ingrediatur. Dauus tamen in Andria saepius exit. Quamquam enim haec nominatim de Comoedia praecipiuntur, sunt tamen ea, quae debeant cum ipsa quoque Tragoedia communicari. Secunda: vt quamuis in scenam plures simul prodeant personae, tres tantummodo loquantur, ac sermonem inter se misceant, tacentibus alijs.

------------------*Nec quarta loqui persona laboret,*

est apud Horatium. ne videlicet, vt opinor, loquentium multitudo animum auditorum confusione perturbet, & distrahat in diuersa. Sed tamen Diomedes in lib. iij. quatuor in scena personas esse patitur, modò id raro fiat, & prudenter. Plautus in hoc genere liberior est, nec imitandus. Censuerim adeo, satius esse, quartam non inducere personam, nisi paucissima secum, aut cum alijs veluti cursim, strictimque loquentem. quod factum à Terentio videmus in Andr. Act. iij. & iv. atque à Seneca in Troad. & Agamemnone.

Tertia: vt aliqua semper persona sit, quae loquatur, aut agat in prosce-

proſcenio. ſingulas ergo ſcenas ſingulis ſuccedere continenter oportet; ne vacet aliquando locus, vbi recitant hiſtriones. Eſt enim minime ferendus error, ſi vel minimo tempore in proſcenio deſiderentur actores.

Quarta: vt vno quoque ad exitum Actu perducto, Scenicisque perſonis excedentibus, illicò ſubeant in Orcheſtram, & Thymelem Choricae. quamquam non rarò, cum res poſtulat, perſonarum aliqua Scenicarum cum Choro remanet, locutura tamen, non cantatura. niſi fortaſſe quae reſidet in proſcenio, aliqua Praefica ſit, in eam allegata gratiam, vt circa feretrum vnà cum Choro lugeat, & lamentationes proferat emodulatas, vt dicemus in Commo.

Quinta: vt Dij Caelites non inducantur, niſi cum aliquid eſt exponendum, narrandumue, quod homini ſcire non facilè liceat. vt cum futura denunciantur, aut praeterita, & ea, quae ſunt iam obliuione deleta, retexuntur; aut cum ita res implicata eſt, ac tam multis inuolucris implexa, vt expediri, ac ſolui ſine vi diuina non poſſit. Horatianum hoc praeceptum notiſſimum, ac nobiliſſimum eſt.

*Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus*
*Inciderit.*

In Protaſi, de qua dicemus infra, neceſſe interdum eſt huiuſmodi Deos inferre per machinam; vt argumentum explicent Fabulae, cuius cognitio cadere non poſſit in hominem. Eiuſmodi Protaſis, & initium Fabulae eſt apud Euripidem in Troadib. & in Hippolyto Coronato. In Cataſtropha vero, de qua etiam diſputabimus, ſaepiſſime apparent per machinam Dij Caeleſtes, cum aliter euolui Fabula, & expediri non poteſt. Vt apud eundem Euripidem in Hippolyto & in Ione: apud Senecam in Herc. Oetaeo. Dicendum nunc eſſet de Melodia & concentu, quam partem poſtremo loco poſuit Ariſtoteles, & cum Apparatu prope coniunxit. Sed de hac agendum erit, cum Chori partes, & officium explicabimus.

## *De partibus Quantitatis. Ac primo quidem De Prologo. Caput XI.*

PRimum in hoc genere partium locum fecit Ariſtoteles Prologo. Prologum autem appellare ſe ait totam illam Tragœdiae partem, quae primum antecedit ingreſſum Chori; hoc eſt Actum primum. Nam illa Fabulae membra, quae Latini vocarunt Actus, eſſe oportet omnino quinque, ſi fidem habemus Horatio: vel plures aut pauciores, ſi audimus alios: qua de re conſultò diſſeremus in

Com-

Commentario de Comœd.cap.xix. Sed ea membra, vel Actus distinguuntur interuentu Chori: sic prorsus, vt totidem Actus in Tragœdia sint, quot à Choris in Orchestram, & Thymelem ingredientibus designantur. Illa ergo pars, quæ ante primum ingressum Chori præponitur, & agitur, primus dicitur Actus à Latinis; ab Aristotele Prologus nominatur. Nihil enim in hoc habet Tragœdia simile nouæ Comœdiæ; cui Prologus est à Fabula omnino seiunctus: nec agitur à personis, quæ vllam habeant cum actione Comica coniunctionem. Officium nihilominus vtriusque Prologi est prorsus idem. Nam in vtraque Fabula id vnum Prologus agit, vt rerum initia tractandarum, progressiones, nexum, exitum significet leuiter, spargatque actionis exhibẽdæ semina ijs similia, quæ in exordio spargenda præcipit Oratori Quintilianus. Habet, inquam, id commune cum Comœdia hic aditus, ingressusq. Tragoediæ, qui Prologus dicitur: illud tamen habet proprium, ac suum, quòd ipsius Actores Fabulæ interdum singuli, interdum plures hanc partem agunt. Quamquam enim Furiæ, Vmbræ, Dij, qui Prologi huius personam interdum sustinent, non ingrediuntur amplius in proscenium, ad Fabulam tamen pertinent ipsam, & cum ea coniunctionem habent, eamq. perficiunt actionem, quam poëta sibi proposuit imitandam.

## *De Episodio. Caput XII.*

HAec secunda dicitur ab Aristotele pars esse ex ijs, quæ pertinent ad quantitatem. Sic ergo eam definit. Episodium est Tragoediæ pars, quæ Chori modulationibus est interiecta. Quibus verbis ostendit, Episodio contineri quicquid in secundo, tertio, quarto fit, & exprimitur Actu. id enim est, quod Choris modulantibus intercipitur: qui post Actum quartum nihil canunt amplius, adeoq. quintum non terminant, nisi necesse sit aliquid ad extremum complorare. Hinc adeo fit, vt tria sint in plerisq. Tragoedijs Episodia, quia tres Actus sunt, quos vno complectitur Episodij nomine Aristoteles. Sed cur hi Actus Episodia, & egressiones ab eo dicantur, haud facile diuinarim. Ita tamen suspicor. Principio Tragoedia simplici Chorico carmine, hoc est Dithyrambis, & personis tantummodo Choricis constasse fertur. Ad augendum verò poëma, tollendamq. satietatem præpositus est illi Prologus, explicans, & præparans ea, quæ in eo poëmate à Chorico canerentur. Quia tamen hoc ad amplificandam nascentem illam Tragoediam, demendamq. molestiam auditoribus satis esse non videbatur, additi sunt Actus ceteri tres; qui quoniam sæpe continent aliqua extrinsecus accersita, & rei qua de agi-

agitur, argumento apposita ex ingenio poëtæ, egressiones esse dicuntur, & Episodia. Nam in Hercule furente, vt hoc tantum exempli causa dicatur, quæcumq. vel ad Creontis mortem, vel ad Lyci tyrannidem pertinent, digressiones sunt, & diuerticula quædam à re proposita, sed ab eadem re proposita existentia. Itaq. non eodem hic intelligendum est modo nomen Episodij, quemadmodum intelligimus in Epopœia. vbi Episodia ita hærent structuræ totius Fabulę, vt, quamquam ijs demptis, sublatisq. structura operis hiat, & ruinam ducit, maneat tamen illa princeps actio simplex, ac nuda, quę suis Episodijs ornabatur: quod Aristoteles docuit disertissimè in fin. cap.xv.cum principem, & nudam Odysseæ narrationem ita retexuit. Permultos annos, inquit, peregre quidam cum iret, rebus domesticis sic constitutis, vt fortunæ omnes à procis absumerentur, filioque insidiæ iam instarent, iactatus pelago domum peruenit. cum aliquos agnouisset, illos aggressus perdidit, ipse sospes euasit. Hoc itaq. proprium eius poëmatis est. nam cetera ad Episodia pertinent. Sic, inquam, claudit illud caput, & disputationem Aristoteles; Episodia, quæ vere coagmentant Epicum poëma ab ea distinguens, ac separans actione, quæ fundamentum Episodijs suppeditauit. Non igitur Episodia Tragœdiæ sunt eiusmodi. nam in Actu secundo, tertio, & quarto permulta sunt, quæ in principe illa actione collocari debent, vnde nascuntur egressiones. Sed Episodia tamen nominantur, quòd quicquid præter actionem illam interponitur, interponatur in ijs Actibus, non in primo, & quinto; qui sunt initium, ac finis eius argumenti simplicis, ac præcipui, quod poëta suscepit imitandum. In quinto enim accidit obitus, & calamitas eorum, qui commiserationem postulant: in primo proponitur id, vnde calamitas emanat. adeoq. hi duo videntur Actus esse, qui vim contineant omnem argumenti. vt merito Actus ceteri cum his comparati Episodia dici debere videantur.

## De Exodo. Caput XIII.

TErtia pars est Exodus. qui sic ab eodem Aristotele definitur. Exodus est ea Tragœdiæ pars, post quam nullus est amplius Chori cantus. Haç videlicet parte continetur rerum euentus, & exitus Fabulæ; quæ clauditur Actu quinto. hoc enim perfecto, spectatores excedunt, nec amplius prodit in proscenium Chorus, aut canit in Thymele. Immo verò discedit post Actum quartum, nisi fortasse remanere debeat, cum personis ipsis collocuturus scenicis, aut comploraturus: vt videre licet in Hercule Oetaeo, in Oedipo, & in Octa-

nia Senecæ. Illud igitur in summa maneat; quintum Tragoediarum Actum Exodum dici, hoc est exitum: quia Fabulam terminat ipse, nec vllo terminatur Chorici cantu. Quamquam enim interdum in ipso plane Actus quinti fine canitur, vt fit in Hercule Oetaeo: ille tamen Chorus præter ordinem inducitur, proprieq. reuocari debet ad Commos, de quibus infra dicemus. Id verò quod extra ordinem semel fit, nullam ita faciendi legem, aut necessitatem imponit: sed significat tantum, ostenditq. id fieri posse interdum, ac raro. Quamquam non est necesse sic disputare. quia Chorus ille, tametsi Choricis constat personis, non tamen est proprie Chorus, hoc est is, qui solus canat, & Actum claudat extremum.

## *De Choris. Caput XIV.*

CHorus quarta Fabulæ pars est, certo constans personarum numero, ex viris, feminis, rusticis, vrbanis, senibus, pueris, adolescentibus, pro argumenti varietate multiplici. Ac initio quidem communis Tragœdiæ cum Comœdia fuit Chorus: sed à Latina Comœdia demum expulsus, tantummodo retentus in Tragœdia est. Dixi verò certum fuisse numerum eorum, qui agerent in Choro. quia in ipsis Tragœdiæ incunabulis consuetudine, vsuq. receptum accepimus, vt in Tragico Choro quinquaginta saltantes, ac concinentes inducerentur. Sed paulatim ille numerus imminutus est, nec ante desijt imminui, quàm redigeretur ad quindecim: vt docet Iulius Pollux in lib. iv. Ait enim quinquaginta illos vsque ad Eumenidas Aeschyli fuisse retentos; ac deinde ab Aeschylo ipso redactos ad quindecim. Postremò verò secundum obitum Aeschyli ad Sophoclem vsque, qui consecutus est Aeschylum, video in Choro saltasse, ac cecinisse tantummodo duodecim. Qui numerus postea legitimus semper fuit, videturq. hoc etiam tempore probandus: nisi placeret proferre iterum quindecim; quod non improbarim. Affirmaui deinde, Choricas hasce personas fuisse vel viros, vel mulieres, &c. vt Satyros è Tragœdia, Choroq. depellerem. Antiquissimi enim Tragœdiarum Chori, vt tradit Horatius in Arte, constabant ex Satyris, semiuiris illis hirsutis, ac nudis, caprorum in morem inconditè, temereq. saltantibus.

*Mox etiam agrestes Satyros nudauit, & asper*
*Incolumi grauitate iocum tentauit, eo quòd*
*Illecebris erat, & grata nouitate morandus*
*Spectator.*

Sed haud ita diu, multumq. illa Satyrorum obscœnitas hæsit in Scena.

na. Repudiati quippè sunt, aliæque pro ratione Fabulæ fuerunt inductæ personæ, quæ musicè canerent, atque ad numerum mouerentur. Hæc enim duo fuisse Chori munera legimus apud antiquos; modulatum cantum, & saltationem ad numerum: quæ vt diximus, inchoabantur absoluto Prologo, vel Actu primo. Nam præter ordinem communem, præter morem, ac leges Aeschylus in Persis, Euripides in Rheso initium Tragœdiæ fecerunt à Choro. Quam initij rationem proculdubio damnauit Aristoteles, cum definiendo pronunciauit, eum in Tragœdijs esse Prologum, qui primi Chori antecedit ingressum. Neque enim antecederet ingressum primi Chori Prologus, si Chorus initio prodiret, & Prologum anteuerteret.

Peracto igitur Prologo, siue Actu primo iam absoluto, præcedente Choriphæo, hoc est Chori ductore, ac magistro, Choricæ sequebantur personæ à sinistra Theatri parte paulatim egredientes, si ex vrbana multitudine compositus esset Chorus; à dextra, si constaret ex rusticana, vel peregrina. Ad Choriphæi præeuntis normam, legesque mouebantur, & canebant ceteri, consistebant, lugebant, gestum pro rerum, quæ canebantur varietate, varium faciebant. Illo namque incipiente, Chorus in hanc, atque illam mouebatur partem: ac primo quidem à dextra in læuam; vt orbis è cælestibus primi cursum imitaretur, qui ab Oriente voluitur in Occidentem. hunc motum Chori appellabant στροφὴν, hoc est conuersionem. Deinde à læua conuertebantur in dexteram; ad similitudinem stellarum errantium, quæ ab Occidente nituntur in Orientem. quam conuersionem, quia superiori contraria est, nominarunt ἀντιστροφὴν. Has voces Latini retinuerunt in odis, quarum partes ex inopia vocabuli strophas; atq. antistrophas appellarunt. Postremò vbi gemina illa conuersione, sua quodammodo relegissent vestigia, in medio, tamquam in Deorum conspectu, consistebant: & ea quiete immobilem terram esse significabãt. Ac semper quidem cum ita se mouerent, & circumagerent, immo etiam dum quiescerent, modulatè canebant. canticum verò ipsum, quod in stropha flectebatur ad numerum, dicebant ᾠδὴν. quod modulabantur in antistropha, vocabant ἀντῳδὴν. quod denique stantes in medio concinebant, nominarunt ἐπῳδὸν. Et quoniam quæri potest quæ nam esset totius Chori in progrediendo figura, & conformatio, id etiam addo; eam fuisse duplicem ex Polluce: quarum altera dicebatur στοῖχος, hoc est ordo: altera ζυγὸν; iugum. In Tragico Choro cum personæ essent quindecim, στοῖχοι, hoc est, ordines erant tres, quorum singuli quinas continebant personas. Quod si diuidendæ essent in iuga, ζυγὰ fuerunt quinque, quorum singula ternas haberent. Atque ita, vel per ordines, vel per iuga mouebantur ad numerum.

Vtram-

Vtramque formam ingredientis Chori Martinus Delrio in Prolegomenis ad Senecam est conatus exprimere : & quidem eam, quæ versus dicitur,& ordo,siue Græcè στοῖχος, hoc modo .

o o o o o
o o o o o
o o o o o


quinis videlicet personis Choricis per ordines singulos,versusque dispositis . Iugi autem , quod appellatur Græcè ζυγὸν , hanc putat esse conformationem , & schema .

o o o
o o o
o o o
o o o
o o o

ternis nimirum in singulos versus, ordinesq. distributis . Recte adeo auctor Etymologici ait vniuerse , Chori formam fuisse tetragonam . habet enim tam ordo , quàm iugum latera quatuor . Quæret tamen aliquis,cur terni illi quinos per ordines dispositi dicantur iuga. nam cur alij dicti sint versus, & ordines, ipsum nomen satis superque demonstrat : cum ab exercitu, ac militum agmine ductum sit,quod per ordines,versusq. distinguitur. Sed haud minus ea quinorum in ternis ordinibus figura, quàm illa, quæ ternos ponit in versibus quinis,præ se fert agminis formam : ergo vtraq. dici deberet versus , & ordo . Respondet Iul. Scalig. in lib. j. cap. ix. repetens nominis causam ab initio,atq. ab ipso velut exortu Fabularum . Principio enim cum videlicet tota Tragica Actio solo constabat Choro , nullis Actoribus præterea;& antequam haberet personas illas quinquaginta,sicut initio diximus , Chorus ipse fuit monoprosopos , hoc est vnius tantum personæ . Vnus videlicet quispiam prodibat in Scenam,ciuium vitia recensens , & quidem sine cantu . Deinde alter est additus, vt interrogationibus,& responsionibus explerent melius partes suas ; postea quaterni fuere , partitiq. totum sunt Chorum in paria duo ; quæ idcirco vocauere ζυγὰ , iuga . Cum igitur ad extremum plures essent in Choro , & quaternis illis sic accessisset aliorum numerus , vt placuerit non paria facere , & binos , binosq. disponere , sed ternos , ac ternos , retentum est antiquum iugorum nomen, quod pristinam fefellit significationem . In summa factum hac in re ait Scaliger quod in Tribubus euenit Romanis . cum enim Romulus totum populum in tres diuisisset partes , à quibus appellatæ sunt Tribus , aucto partium numero, Tribus nihilo minus appellatæ sunt. Sed cur, inquies, illi quini tres in ordines distributi non sunt etiam appellati ζυγὰ ? Quia multo magis à iugi similitudine, ac ratione discedunt , quàm


terni ,

terni, adeoque ab ordinibus agminis potius, quibus similiores sunt, quàm à iugo nomen sumere debuerunt, à quo maxime differunt. Quæ profecto, vt vere tradantur, haud ita tamen accipienda puto, vt credendum sit, perpetuam ingredientis Chori conformationem fuisse, vel per ordines, vel per iuga dispositam. Diximus enim supra, dicemusque pluribus infra in libello de eleg. cap. v. Chorum habuisse partes illas tres, strophen, antistrophen, epodon: ac propterea se conuertisse identidem tum à dextera in læuam, tum à læua in dexteram, ac demum in medio constitisse. quæ conuersiones, stationesq. quamquam Dithyrambicæ poëseos, & Lyricæ sunt propriæ, cum ipso tamen Tragœdiæ Choro communicantur. In Choris enim Euripidis huiusmodi tituli, indicesq. subinde inueniuntur inscripti. Strophe, Antistrophe: & apud Sophoclem præterea: Epodos. Cum igitur has conuersiones; & status ipse etiam Tragicus Chorus haberet, non potuit semper, & perpetuo motu, iugorum, ordinumue retinere formã, sed debuit in orbem præterea se circumagere, nunc à dextera, nunc à læua principium sumens. Itaq. vt cetera probem, in hoc tamen ipsi Martino Delrio non assentior, affirmãti cyclicum Chorùm, cuius est apud Xenophontem, & alios mentio, quique huiusmodi est,




Tragicum non fuisse, sed tantummodo Dithyrambicum. Si enim, quod ipse fatetur, Tragicus Chorus strophas habet, atque antistrophas, à Dithyrambo, & Lyrica desumptas, orbem etiam circulumque habeat necesse est, qua figura conuersiones illæ continentur, & fiunt. Quin existimo, varios etiam flexus, tractus, & quasi volumina efformasse Tragicum Chorum, dum incederet, aut saltaret ad numerum; cum conuersiones illæ, quas strophas, antistrophasque dixerunt, non modo referrent illum orbium cælestium, & stellarum errantium circumuectum, de quo supra diximus, verum etiam Labyrinthi varias ambages, & inextricabiles flexus. Tradunt enim multi, in primisque Faustus Victorinus in lib. de Comœdia, strophas illas, atque antistrophas inuentas à Theseo fuisse ad commemorandas flexuosi Labyrinthi vias, ex quibus euaserat sospes. Igitur oportuit, eas non solum cyclicas esse, sed præterea flexuosas, implicatas, & varias. quæ profecto varietas multo maiorem spectatoribus affert iucunditatem,

quàm circulus, ambitusque in orbem idem semper, atque perpetuus. id quod paucis ante annis experti sunt ij, qui Stephonij Crispum Neapoli dederunt, Choris in hoc subiectum schema, aliaque huic similia conformatis.



Multa ex hoc genere possunt excogitari præterea schemata, eaque varia; quæ tamen ordines illos, & iuga excludere de Choro non debent:

bent: cum Chorus ipſe à iugis, vt opinor, initium ſumeret, in iuga rediret identidem, in eadem fortaſſe deſineret. Itaq. nihil mirum eſt, ſi præcipua Choricæ formæ diuiſio à iugis, & ordinibus tamquam à principibus quibuſdam petatur partibus, hoc eſt ab ijs, quæ initium Choro faciunt, eiuſdemque progreſſionem comitantur, & expediunt finem. Immò verò ſim auctor, vt etiam per propria, & vera iuga priſcorum more diſponatur, & inchoëtur Chorus, non modo duodecim perſonarum, ſed etiam quindecim, antecedente videlicet Choriphæo, & ceteros ſubinde circumducente, flexu, tractuque multiplici.



Ceterum hanc ſaltationem, & cantum non ſolitarium, ac ſine tibia, citharaue fuiſſe ſcimus. Diſertè quippe docet Horatius, concinentibus Choris adhibitam fuiſſe tibiam, & Ariſtoteles citharisticam, auleticamque, hoc eſt artes pulſandæ citharæ, inflandæque tibiæ, quaſi poëſeos dramaticæ formas facit in capite primo; quia dramati nimirum in Choro ſubſeruiunt: cum quo non tibicinem modo, ac citharœdum fuiſſe ait Scaliger, ſed eos etiam, qui modos faciebant; vt ad eorum leges Choricæ perſonæ voces, cantumq. temperarent. Et fas quidem ſemper fuit, Chorum duas in partes diuidere. quæ diuiſio appellata eſt διχορία: ipſæ vero partes, aut cantica, quæ tunc proferebantur alternis, ἡμιχορία, καὶ ἀντιχορία dicebantur, vt accepimus ex Polluce.

# APPENDIX

## *Ad Chorum, & eiusdem officia.*

HÆ igitur sunt Chori partes duæ: canere modulatè, atq. ad certas leges moueri, conuerti, consistere. sed sunt aliæ magis propriæ, quæq. declarant quid canere, atq. in quam sententiam loqui Chorum oporteat. vt non tam hæ Choricarum personarum, quàm poëtæ scribentis Fabulam dicendæ partes, atq. officia videantur. Ab Horatio, qui ea singillatim exponit, quot & qualia sint huiusmodi officia condiscamus.

*Actoris partes Chorus, officiumq. virile*
*Defendat; neu quid medios intercinat actus,*
*Quod non proposito conducat, & hæreat apte.*
*Ille bonis faueatq., & consilietur amicis,*
*Et regat iratos, & amet peccare timentes.*
*Ille dapes laudet mensæ breuis, ille salubrem*
*Iustitiam, legesq., & apertis otia portis.*
*Ille tegat commissa, Deosq. precetur, & oret,*
*Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.*

Distribuit tamquam in certos locos officia Chori. quos erit operæ pretium perpendere, atq. ordine recensere.

Primo loco iubet Chorum suscipere partes actoris, vel, vt est in multis codicibus, partes auctoris. Quæ scriptura si probatur, significabit, Chorum oportere monitoris, ac suasoris personam sustinere. Monitorem enim, & suasorem sæpe videmus à Latinis auctorem dici. Vnde fluxerunt illæ loquendi formæ. tibi sum auctor, &c. Et profecto Chorus apud Tragicos, hoc monitoris, suasoris, doctoris officio sæpissime fungitur. vt in Thyeste apud Senecam post Actum III.

*Vos, quibus Rector maris, atque terræ*
*Ius dedit magnum necis, atque vitæ,*
*Ponite inflatos, tumidosque vultus.*
*Quicquid à vobis minor extimescit*
*Maior hoc vobis dominus minatur.*
*Nemo confidat nimium secundis.*
*Nemo desperet meliora lapsus, &c.*

Sin autem actoris legendum sit; id sibi velle Horatium credo, quod apud Aristotelem est: Chorum vnius Actoris, aut personæ obtinere locum; hoc est, è quindecim illis, aut duodecim personis, quibus componitur Chorus, vnam tantummodo loqui, tamquam vnum Actorem, tacere ceteros oportere. Non enim Chorus inducitur solum canens,

ac ſaltans ad numerum, verum etiam interdum colloquens; vt videre licet in Electra Sophoclis, & in Thyeſte, atq. in Octauia Senecæ. Quibus in Fabulis Chorus interrogat Nuntium, & ſerit cum eo colloquium. Neque verò probandum eſt, quod ait Diomedes Grammaticus in lib. iij. non modo vnum tantum è Choricis loqui debere, ſed interdum cunctos, & quidem vna quaſi voce confuſa. nam Ariſtoteles ipſe videtur aliter hac de re decernere; & omnium vox illa confuſa eſt à collocutionibus aliena: nec poteſt in alium locum, quàm in tumultum aliquem conuenire. Sed tumultus abhorret à Choro; qui moderationem ſemper, & ordinem amat.

Secundo loco admonet, ne Chorus aliquid vmquam canat, quod cum antecedenti, aut conſequenti Fabulæ parte coniunctum non ſit.

*----------neu quid medios incercinat actus,*
*Quod non propoſito conducat, & hæreat aptu.*

Vnicum videamus exemplum apud Senecam in Troade. In qua primus mulierum Chorus lachrymis ſuis, & eiulatu reſpondet, ac ſubſeruit Hecubæ, quæ in Prologo, vel Actu primo ſuam erat captiuitatem, ac ſeruitutem lamentata.

*Non rude vulgus, lacrymiſq. nouum*
*Lugere iubes. hoc continuis*
*Egimus annis, &c.*

Secundus vero conſolatur Polyxenam: quam eſſe mactandam ad Achillis tumulum in Actu ſecundo iam dictum, & pronuntiatum erat. Conſolatur, inquam, morituram virginem, propoſita illa Philoſophorum quorundam impia de animorum noſtrorum mortalitate ſententia: ne videlicet poſt obitum, atq. immolationem exiſtimaret puella timida, ſibi occurrſurum eſſe Cerberum, aut alia Inferorum monſtra, poëtarum fabulis decantata.

*Verum eſt, an timidos fabula decipit,*
*Vmbras corporibus viuere conditis? &c.*

Reliquos ſi videamus, & conſideremus diligentius, eodem planè modo rei propoſitæ coniunctos, hærentes, & aptos eſſe inueniemus.

Tertio loco ait, Chorum debere bonis fauere, eorumq. tueri partes, qui ſunt innocentes, ac probi. Sic enim apud Sophoclem in ea Tragœdia, quæ inſcribitur Philoctetes, ipſius cauſam Philectetæ ſuſcipit Chorus, eiuſq. commiſeratione capitur ideo, quòd qui Rex olim maximus, longeq. potentiſſimus fuiſſet, ſolus tunc in antro duriter, aſperèq. vitam agere cogeretur.

Quarto confirmat: Chorum oportere conſilium amicis fideliter, hoc eſt ſine fuco, ac fallacijs dare. [& conſilietur amicis]. Id enim eſt eo loco conſiliari, vt periti latinitatis, & docti admonent interpretes. Præſtat hoc apud eundem Sophoclem Chorus in Electra. Hæc

enim accepto de obitu fratris nuncio, lugere cœpit, ac muliebriter eiulare. Cum ergo periculum esset, ne lamenta illa, & eiulatus à Clytemnestra, Aegistho q. adultero exaudirentur, admonet Electram Chorus, ne tam liberè in tanto discrimine vociferetur. μηδὲν μεγ' ἀΰσῃς.

Quinto: iratos, & furore percitos molliri, & placari iubet à Choro. Et regat iratos, inquit. id quod Euripides in Hippolyto absolutè peregit. vbi cum Theseus peteret à Neptuno, vt fugientem Hippolytum excitatis è mari monstris, atque in illum immissis extingueret, Chorus impotentem hominis iram mulcere, ac lenire connititur, affirmatq. ignoscendum esse filio, vt domui iam labenti, ruentiq. familiæ consulatur in posterum.

Sexto loco, non videtur vllum tradi monitum ab eo distinctum, quod expositum est in tertio. Nam fauere bonis, quod tertium præceptum est; & eos amare qui peccatum reformidant, quod dicitur hic, idem planè videtur officium esse; cum is, qui fouet innocentiam, aliorumq. probitatem amoris, & beneuolentiæ significatione complectitur, amet etiam peccare timentes.

Septimo: demandat Choro nominatim temperantiæ, parsimoniæq. laudationem.

*Ille dapes laudet mensæ breuis.*

quod officium explet omnino numeris suis apud Senecam Chorus secundus Herculis Oetaei prope med.

*Pectora pauper secura gerit.*
*Tenet è patula pocula fago:*
*Sed non trepida tenet ipsa manu.*
*Carpit faciles, vilesq. cibos:*
*Sed non strictos respicit enses.*
*Aurea miscet pocula sanguis.*

Octauo: iubet Chorum ipsam quoq. laudare iustitiam, quæ in quadripartita illa virtutum diuisione dicitur obtinere principatum.

*---------- ille salubrem*
*Iustitiam laudet.*

Apud Euripidem in Andromacha id factum potissimum animaduertimus: vbi Chorus explicatè pronunciat, nihil in thalamis, nihil in conclauibus, nihil in vrbibus sine iustitia valere, aut aliquid habere momenti inter mortales. μηδὲν δίκας ἔξω κράτος ἐν θαλάμοις, καὶ πόλει δύνασθαι.

Nono: laudandas Choro proponit leges; quæ iustitiam tuentur, & æquitatem. Demonstrauit hanc Horatio præceptionem fortasse Sophocles. cuius in Oedipo Tyranno Chorus ita leges effert laudibus, vt dicere non dubitet, earum patrem esse cælum; nec mortale hominum ingenium illas peperisse, sed immortalem Deum.

Decimo: pacem, quæ à iustitia, legibusque sanctissimis oritur, à Cho-

à Choro commendandam eſſe docet.

*------------& apertis otia portis.*

Quem locum videas in Thyeſte Senecæ tractatum egregie. vbi Chorum tertium ita canentem induxit.

*Otium è tanto ſubitum tumultu*
*Quis Deus fecit? Modo per Mycenas*
*Arma ciuilis crepuere belli.*
*Pallidæ matres tremuere natis:*
*Vxor armato timuit marito.*
*Iam minæ ſæui cecidere ferri:*
*Iam ſilet murmur graue claſſicorum.*
*Alta Pax vrbis reuocata lætæ. &c.*

Vndecimo. Id Choro præceptum ſeueriſſimè vult, vt arcana conſilia, quæ ſibi commiſſa videt, habeat apud ſe ſanctè, ſeruetq. fideliter: cuius exemplum rei luculentum apud Sophoclem cernimus. Cum enim Chorus Electræ conſilium de matre, adulteroq. perdendo cognouiſſet, admonet quidem Electram, vt videat etiam atq. etiam, ne quid audeat, ac tentet temere: rem tamen ipſam, ac cædem, quam illa moliebatur, non modo non diuulgat, ſed ne commemorat quidem.

Duodecimo. Admonet Chorum præcipui cuiuſdam officij; hoc eſt religioſæ precationis, quæ Chori videtur eſſe propria, vt alibi etiam docuit idem Horatius. Iubet igitur eum in publica, priuataue calamitate precari Deos, vt tandem aliquando ſinant fortunam reſpicere miſeros, deſerere ſuperbos, & contumaces. Hoc item apud Sophoclem obiuit officium Chorus, intuens, per ſummam iniuriam in luctu, & ſqualore innocentem Electram verſari; in delicijs eſſe Clytemneſtram adulteram, & flagitioſam. Fulmina enim poſtulat à Ioue, quibus adulteri feriãtur, ſecundam fortunam expoſcit, & rerum proſperam commutationem, quæ virginem immerentem cura laxet, omnique moleſtia liberet.

## De Commo. Caput XV.

POſtremam partem ex ijs, quæ quantitatis ſunt, ait Ariſtoteles eſſe Commum, ſiue Commos. Quid autem Commus ſit, non poteſt facile dici, niſi repetamus altius quandam Chori partitionem ab eodem Ariſtotele traditam in cap. x. vbi Choricum, hoc eſt omnem Chori rationem diuidit in partes tres, πάροδον, στάσιμον, κόμμον. Parodum appellat primam illam Chori locationem, expoſitionem, ingreſſum, & cantum, quæ poſt Prologum fiunt à Choricis. Itaq. videtur Parodum dicere primum Chorum: & quidem ex eo, quòd ille ingre-

diatur, atque adueniat in proscenium, & in Orchestram primus. πάροδος enim Græcè, vel ingressum significat, vel aduentum. Quem quidem ingressum primum aduenientis in proscenium Chori fuisse concitatum, ac celerem licebit ex ijs conijcere, quæ dicenda de Stasimo sunt.

Stasimon enim ait Aristoteles esse officij nomen impositum Choro à stabilitate, quam habuit: στάσιμον quippè latinè reddere licet immobile, firmum, & propè statarium. Itaque ab hoc Choro iubet idem Aristoteles remoueri trochæum, & anapæstum: qui pedes celerrimi sunt, & saltatorum concitatis motibus accommodati. In hoc enim Stasimo Chorus eodem prorsus hærebat loco; nec vllam in partem conuertebatur, mouebaturque: contrà planè, quam fieret in Parodo, vbi ad trochæi, anapæstiq. numerum per strophas, atq. antistrophas subinde, identidemq. commutabatur, quoad demum personæ Choricæ consisterent in Epodo. Sed quoniam Parodus propriam habuit in Tragœdia sedem, hoc est post Actum primum in primo Choro, vt diximus, videndum est, vtrum Stasimus habuerit etiam suam. Dixerim ergo minime dubitanter, in postremo Choro, post Actum quartum, siue ante Exodum, qui quintus est Actus, fuisse Stasimon. In ceteris enim Choris, qui Episodio, hoc est Actu secundo, & tertio intercipiuntur, sic mouebantur Choricæ personæ per strophen, & antistrophen, quemadmodum mouebantur in Parodo. sed perfecto iam Actu quarto, Chorus sine vllo prorsus motu concinebat. quo tempore officium Chori ab ea stabilitate στάσιμον dicebatur. Hoc demum absoluto, sequebatur Exodus, hoc est Actus quintus, qui cantu Chori non terminabatur, vt aliàs diximus, nisi cum Commi resistebant in Scena, de quibus est hic explicandum.

Antequàm tamen de ipso dicamus Commo, quærendum videtur: an toto tempore, quo peragebatur Fabula, continenter esse debuerit in Scena Chorus, ac nunquam omnino discedere. Sunt enim qui putent, Choricos semper in proscenio fuisse, nec vmquam se recepisse intra Scenam: quia eiusmodi personæ de rebus quæ transiguntur in Fabula, iudicant, eiusq. vrbis, siue incolæ, ac ciues, siue peregrini finguntur esse, vbi ea gesta sunt, quæ scenici peragunt Actores. Sed video Pollucem plane significare, Chorum solitum fuisse interdum excedere de proscenio. Ait enim, reditum Chori postquam discessit, appellari debere ἐπιπάροδον Igitur ostendit haud dubiè, interdum abijsse Chorum; qui nouo cum nomine redit in Scenam: abijsse autem rei fortasse alicuius administrandæ causa, quæ Fabulæ subseruiret. Nominis verò rationem eam puto; quòd cum Chorus rediret, eadem iterum faceret, quæ iam egerat in Parodo; hoc est eodem ordine, ac modo ingrederetur in proscenium, caneret, saltaretq.: adeoq. nihil

vide-

videretur aliud ille nouus ingressus in Scenam, quàm adiunctum, & quodammodo super impositum officium Parodo. Quare Chorus ipse meritò tunc dicitur ἐπιπάροδος.

Nunc ipsum Commum, cuius causa disputauimus hæc, explicemus. Quem in eodem cap. x. sic definit Aristoteles. Commus est lamentatio, siue planctus, & luctus Chori cum ijs communis, qui sunt in Scena. Definitio est ipsa per se planissima, nec eget interprete. Ait enim, Commum illam vltimā esse Tragœdiæ partem, in qua Chorus, officio coniuncto cum Scenicis, calamitatem, & euentum Tragœdiæ terribilem, ac miserandum complorat. Illud potius est à nobis explanandum, videndumq. cur hæc comploratio à superioribus officijs Chori sic differat, vt locum sibi vindicet in Tragœdia proprium à Choro seiunctum, ac separatum. Parodus enim, & Stasimus non distinguuntur à Choro, nec tamquam partes à ceteris separatæ ponuntur, sed tamquam officia Chori. Commus verò dicitur ab Aristotele pars vltima, & separatur à Choro, quemadmodum in partium enumeratione vidimus. Et tamen complorare videtur item esse officium Chori. Cui quidem quæstioni facilis est responsio. Cetera enim officia Chori; hoc est Parodum, & Stasimon in omnibus oportet Tragœdijs esse, neque licet eas partes in aliqua Fabula desiderari. Commus verò, atque ille conflatus è Scenicorum, & Chori vocibus fletus in extrema Tragœdia non semper est. Itaq. non debuit cum aliqua parte coniungi necessaria Commus, qui desideratur in plerisq. Tragœdijs, nec terminat Fabulas, nisi perpaucas. Quarum prima est Euripidis Andromacha. vbi cum Nuntius Peleo significasset, Neoptolemum eius nepotem impetu multitudinis ab Oreste concitatæ interfectum fuisse, Chorus adolescentis cadauer famulorum illatum manibus illico circumsistit. Tum lamentari casum acerbum, nec opinatum Peleus incipit: subsequitur Chorus præeuntem. Altera est Sophoclis Aiax. In qua Fabula, Tecmessa ipsius inuento Aiacis corpore adhuc spirante, mortem illam fortissimi viri Choro item adiuuante deplorat. Accedit ad eandem lamentationem etiam Teucer, vt Commus amplificetur.

## *De alia partium, quæ quantitatis sunt, diuisione. Caput XVI.*

ALias excogitarunt aliqui partes nihil sane ab ijs, quas descripsit Aristoteles, nisi nomine, & quadam quasi contractione differentes: sunt enim pauciores. Sed quia nomine ipso nonnulla designant officia, quæ plurimum habent momenti, eas etiam erit ex vsu recen-

recensere primum, ac deinde singillatim explicare. Sunt ergo eiusmodi partes numero tres. Protasis, quæ Prologo respondet; Epitasis, quæ continetur Episodijs; Catastrophe, quæ comprehenditur Exodo.

## *De Protasi. Caput XVII.*

PRotasis est ea Fabulæ prima pars, in qua proponitur summa rei; sed sine vlla exitus declaratione perfecta. Periculum enim intentat, eiusq. partem aliquam indicat leuiter, aliquam reticet. Ita enim, & argutior est, & animum auditoris ad expectationem exacuit. Breuiter quippe Protasis argumentum indicat, habetq. gerendarum rerum significationem ita curtam, atque præcisam, vt non tam saturet animum, quàm incendat. Non sunt hic iteranda quæ de Prologo dicta sunt: cadunt enim in Protasim omnia: sed addenda duo. primum: Protasim Comœdiæ non in Actu semper primo totam esse, sed interdum ad secundum vsq. pertinere, vt videre licet apud Plautum; præsertim in Milite glorioso; vbi etiam in Actu secundo summa Fabulæ traditur, & argumentum: Tragicam vero Protasim Actu primo semper absolui; quo tota prope contrahitur Fabula, & quicquid ab Actoribus transigendum est, quasi compendio comprehenditur. Alterum, quod hic addimus illud est, quod supra etiam indicauimus; Protasim, siue Prologum Tragœdiæ ex communi quidem vsu à Scenicis ipsis personis agi debere: sed tamen apud Græcos interdum eam partem esse commissam Choricis: vt apud Aeschylum in Persis, apud Euripidem in Rheso: quæ Fabulæ initium capiunt à Choro. Id verò quia insolens est, nec ab Aristotele probatur, qui Chorum ingredi vult in Scenam exacto Prologo, imitandum non censeo. Illud tamen, quod cum hoc initio similitudinem habet aliquam, fieri posse sine reprehensione putauerim; vt pueri cum sacerdote sacrificaturo intrent in proscenium primi, ac prologum agant. quod est apud Sophoclem in Oedipo Tyranno: sed tamen eos pueros à Choro distinctos esse oportet, nec cum eo canere vmquam, aut saltum facere. Neque enim in Oedipo illi pueri Choros ducunt, sed Thebani senes, ex quibus Choricum constat eiusdem Fabulæ. Vidimus hoc etiam in Flauia Stephonij factum egregie. Nam Flamen Dialis litaturus cum pueris, & Camillis ingressus in proscenium primus, summa spectatorum adprobatione fecit initium.

De

## De Epitasi. Caput XVIII.

EPitasis est rerum omnium implicatio, atq. inuolutio. in qua pericula crescunt: & minæ, iræ, turbæq. vel excitantur, vel intenduntur. Continet enim malorum præparationem, rerumq. mutationem iam imminentem, quæ dubia luce se prodit. Hæc Epitasis est fortasse pars illa, quam Aristoteles appellauit δέσιν. Latine dici potest nexus, siue colligatio, & nodus. in qua parte omnia videtur Episodia collocare. Sic enim loquitur in cap. xvj. Vniuersa Tragœdia partim connexione, partim solutione continetur. Connexionem appello totum id, quod à principio ad vltimam vsque pertinet partem: ex qua mutatio fortunæ fit. solutionem autem id dico, quod est à mutationis initio vsque ad finem. vt in Lynceo Theodectæ: vbi connexione continentur quæ facta sunt prius, quæque in filij captiuitate versantur: solutione quicquid ab accusatione mortis vsque ad extremum agendum superest. Hæc Aristoteles ibi de Tragicæ Fabulæ nodo, & colligatione definit, rem illustrans exemplo cuiusdam Tragœdiæ, quæ felici exitu claudebatur. Eripiebatur enim filius Lyncei à præsentissimo interitus periculo, quod imminebat. Sed si nos ab ijs, quæ nunc extant, ac superant Tragœdijs antiquorum, petere velimus exemplum, ab Iphigenia in Tauris non recedemus. In qua Fabula nexu pulcherrimo colligantur omnia, quæ ad Agnitionem vsque proferuntur; hoc est aduentus Orestis in Regnum Thoantis, vbi Dianæ mactabantur hospites, & præparatio sacrificij ad Orestem aduenam immolandum. Solutione vero continetur initium Agnitionis, & ea quæ consequuntur in Exodo.

Id, inquam, fortassis Epitasis est, quod ab Aristotele connexio dicitur, & nodus. Sed tamen existimauerim potius, Epitasim esse postremam connexionis partem. habet enim, vt initio diximus, inuolutionem, & præparationem mutationis, quæ verè tum apparet, cum nexus est absolutus. nisi cum Scaligero sentire velimus: qui nodum iam absolutum, perfectumque Catastasim nominat. Si hunc, inquam, sequi velimus, initium nodi, ac progressionem dicemus Epitasim: perfectionem Catastasim appellabimus. In multis enim Græcorum Tragœdijs, præsertim verò Euripidis, videntur interdum omnia composita, & iam statum nacta esse felicem: sed repente mutatio sequitur. Status ille dici potest Catastasis: inuolutio vero, & rerum implicatio, quæ statum eundem antecessit, appellabitur Epitasis.

## De Cataſtropha. Caput XIX.

CAtaſtrophe conuerſio eſt,quæ argumenti exitum,mutationemq. fortunæ, vel in melius, vel in deterius habet. Itaq. dici poteſt integra demonſtratio, ac totius abſolutio Fabulæ. Hæc eſt ſine dubio pars illa, quæ ab Ariſtotele in cap.xvj. dicitur λύσις, hoc eſt ſolutio. Quemadmodum enim illa rerum perturbatio,inuolutioq.intermedia,connexio appellatur,& nodus,ſic exitus Fabulæ,vbi reuoluuntur,& retexuntur omnia,dici ſolutio debet.

Hæc ergo ſolutio ſiue cataſtrophe, & conuerſio duplex eſt, ſimplex, & compoſita. Quam ego diuiſionem ex duplici Tragœdiarum genere peto: quorum alterum Ariſtoteli ſimplex eſt,compoſitum alterum in cap. ix. Fabularum, inquit, aliæ ſimplices ſunt, aliæ implexæ,atq. compoſitæ: quemadmodum & actiones, quarum ipſæ Fabulæ imitationes ſunt. Simplicem actionem appello, in qua continua vna, abſq. Peripetia, vel Agnitione mutatio fit. implexam, ſiue compoſitam, in qua vel per Agnitionem, vel per Peripetiam, vel per vtramq. conuerſio accidit. Cum,inquam,hæc duo genera Fabularum ſint,duplicem etiam neceſſe eſt Cataſtrophen,& conuerſionem ſtatuere: ſimplicem vnam, quæ Fabulæ ſimplicis ſit, compoſitam alteram, quæ Fabulam conuertat implexam, atq. compoſitam. Et quoniam ea Fabula ſimplex eſt,quæ Peripetiam,Agnitionemue non habet,ea implexa, quæ Agnitionem habet, aut Peripetiam; ſolutio ſimplex erit ea,quæ ſine Peripetia,& Agnitione eſt: compoſita,quæ cum vtraque, vel cum alterutra fit. Quæ quidem percipi cognoſciq. penitus haud poſſunt,niſi ante quid ſit Peripetia,quid Agnitio videamus.

Peripetia, inquit, eodem loco Ariſt. eſt eorum, quæ geruntur in contrarium mutatio. ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραγμάτων μεταβολή. Quæ verba non id tantummodo ſibi volunt, vt peripetia nihil aliud poſtulet, niſi mutationem in contrariam partem,ſed illud præterea; vt ea mutatio præter expectationem, atque opinionem eueniat: ſic, inquam, vt contra res accidat, quàm ſperauerant ij, qui nouam in Tragœdia fortunam nanciſcuntur. Id prorſus ea definitione ſignificari docet Ariſtoteles: qui paulo poſt, eius exemplum mutationis, quæ Peripetia dicitur, à Sophoclis Oedipo mutuatur. ad quem cum Nuntius acceſſiſſet, lætas & ſupra expectationem ſecundas res delaturus, alia omnia fecit, euentumque planè contrarium nactus eſt. Miſſus enim erat Thebas, vt referret, Oedipum Corinthi creatum eſſe Regem, extincto Polybo, qui tenuerat regnum. Oedipus accepto nuncio,delatum imperium reformidat,nec adire Corin-

thum

thum audet, ne,quod ei olim oraculum obnunciauerat, matris incestu se pollueret, quam Meropem esse credebat, vxorem Polybi superstitem. Nuncius hac eum suspicione,metuq. liberare contendens, id omninò fecit, inquit Aristoteles, quod animi consilio contrarium erat,quodq. minime ille facere voluisset. Metum enim,& suspicionem mirum in modum auxit, effecitq. vt Oedipus intelligeret, iam se Iocastæ matri,quam coniugem putabat suam,per errorem intulisse stuprum, & parentem Laium interemisse. Aliud exemplum Peripetiæ producit Aristoteles ex Lynceo, veteri Tragœdia. cuius argumentum coniectura consequi debemus. Ita enim perstringitur ab Arist. In Lynceo, inquit, ductus ille quidem est veluti mox interficiendus. Danaus contrà subsecutus, vt interficeret. Sed accidit ex ijs quæ parata erant, vt hic necem, ille salutem sit nactus. Argumentum, inquam, huius Tragœdiæ, quæ temporum interijt iniuria, diuinando retexere oportet: atq. ita quidem rem disponit Robertellus. Danaus Argiuorum Rex, quinquaginta filias suas Ægisthi Regis fratris filijs totidem despondit. Illæ,iussu patris Danai,maritos dormientes aggressæ, ferro peremerunt, vna excepta Hypermnestra, quæ Lynceo pepercit suo. Danaus cum id accepisset, insectatus Lynceum est, vt eum de medio tolleret. Iamq. Lynceus esse videbatur in manibus, & iam moriturus, cum subitò nihil huiusmodi cogitans interemptus est à Lynceo Danaus; Lynceus certissimo illo vitæ discrimine liberatus. His igitur exemplis intelligi vult Aristoteles, Peripetiam non esse quamlibet fortunæ mutationem, sed eam, quæ accidit non modo nec opinantibus, verum etiam alia omnia sperantibus, expectantibus, & molientibus nobis. Nunc de Agnitione cognoscendum erit, quæ altera nota est distinguendæ Fabulæ compositæ ab ea, quæ simplex appellatur.

Agnitionis definitionem ita tradit Arist. in eodem cap.ix. Agnitio est, quemadmodum ipsum quoque significat nomen, ex ignoratione in cognitionem mutatio, vel ad amicitiam, vel ad inimicitias personarum, quarum vita, vel beatitudine, vel miseria terminatur. quæ tunc est pulcherrima, cum habet adiunctam Peripetiam: qualis in Oedipo Tyranno est. Significat in summa hæc definitio, Agnitionem esse quidem mutationem ex ignoratione in notitiam, sed nominatim in eam, quæ facit, vt certum aliquem hominem, quem antea talem esse ignorabamus, intelligamus amicum nobis esse, vel inimicum. idq. vitæ nostræ, vel afferre felicitatem, vel miseriam,ac perniciem procreare. Ex hac enim Agnitione duplici duplex sequitur exitus Fabulæ, vel felicitate, vel beatitudine definitus. Et quoniam hæc Agnitio potest à Peripetia, & commutatione illa repentina, nec opinata seiungi, addidit, eas optimas Agnitiones esse, atq. pulcherrimas,

rimas,

rimas, quæ cum Peripetia coniunctæ ſic ſunt, quemadmodum coniungitur in Oedipo Sophoclis. qui cum intelligit, Iocaſtam, quam habebat pro coniuge, ſuam eſſe parentem, euentum omnino contrarium illi, quem expectabat, offendit. Omnem quippe mouebat lapidem, & remis, veliſq. quod dicitur, id contendebat, vt inceſtum vitaret, ac parricidium; quæ ſcelera illi obnunciabant oracula. At dum hæc maximè cauet, videt admiſiſſe ſe maximè: adeoq. Peripetia pulcherrima ſocietate cum Agnitione coniungitur.

Ex quibus vnum profecto debet intelligi, quod eſt hoc loco explicatu perdifficile. Dubitari enim poteſt, qua ratione ſeparari queat Agnitio à Peripetia; cum nulla ſit Agnitio perſonarum, quæ non afferat mutationem illam rerum inopinatam, qua Peripetiæ natura omnis continetur, & vis. Sed ego ſequendum puto Alexandrum Piccolomineum. qui confirmat, Ariſtotelem hic eam Agnitionem velle pulcherrimam eſſe, quæ Peripetiam adiunctam ſic habet, vt eodem plane tempore vtraque fiat, eueniatque, ſicut in Oedipo. Eodem quippe temporis articulo Iocaſtam, ac Laium agnoſcit Oedipus, eodem fortunam mutat, & labitur in exitium. Si enim in alia Fabulæ parte accidiſſet Peripetia, non tam probabilis neque tam perfecta ea Tragœdia fuiſſet: at quia tum prorſus incidit, cum Agnitio patefecit errorem, Tragœdiam nobis exhibuit auctor copulatione geminæ partis abſolutam. Itaq. veriſſime dicitur, nullam eſſe Agnitionem ſine Peripetia: at verum eſt etiam illud: fieri facile poſſe, vt vno quidem loco Peripetia, alio verò accidat Agnitio. Quod minime quidem reprehendendum eſt; cum Tragœdia carere ipſa poſſit Agnitione, vt declarabimus: verũ tamen id à perfecta tractandæ Agnitionis ratione diſcedit. Si enim tractandam tibi proponas Agnitionem numeris omnibus abſolutam, eo loco eam ponas oportet, vbi ſtatuis Agnitionem. propterea monendi fuimus ab Ariſtotele, illam eſſe pulcherrimam Agnitionem, quæ Peripetiam habet tum accidentem, cum fit Agnitio. At ſemper, inquies, tum euenit Peripetia, & commutatio, cum accidit Agnitio. non poteſt igitur poëta vno loco Peripetiam ponere, in altero Agnitionem. Id vero negandum puto. in omni quippe Fabula, vbi eſt Agnitio, Peripetiam quidem eſſe oportet (quorſum enim agnoſcuntur ij, qui noti non erant, niſi aliqua mutio conſequatur?) Sed tamen artificio poëtæ Peripetia, & commutatio rerum poteſt ante Agnitionem collocari. quæ accidente poſtmodum Agnitione amplificetur, & eluceſcat magis. Quemadmodum enim in multis Tragœdijs, etiam probatis, ac bonis Peripetia eſt ſine Agnitione, ſic aliquis ita diſponere Fabulam poteſt, vt antequam Agnitio fiat, interueniat rerum commutatio repentina. Quid ergo faciet amplius Agnitio? Augebit noua quadam commutatione priorem.

rem. Itaque ante Agnitionem ipſam cum ſua coniunctam commutatione Peripetia poteſt ea eſſe, quæ Fabulæ propria, ac præcipua eſt; cum qua poſtea illa quæ ab Agnitione ſeiungi nequit, rectè coniungatur; vt Peripetiam iam inchoatam admirabiliorem faciat, & auctiorem.

Ex hac igitur Agnitione, & Peripetia, duplex illud conſtituitur Tragœdiæ genus: ſimplex, & compoſitum, vel implicatum. Simplex enim eſt, quod Peripetia caret, atq. Agnitione. Compoſitum quod vel Peripetiam, vel Agnitionem, vel vtramq. ſimul habet. Simplex, inquam, eiuſmodi Fabula poteſt eſſe ſine Peripetia; quòd nullam contineat à ſuſpicione, atq. ab expectatione alienam fortunæ mutationem. quales pleræq. ſunt apud Senecam: in quibus ij, qui rebus feriuntur aduerſis, initio prope Fabulę demonſtrant, illa fulmina ſe pertimeſcere. Huiuſmodi eſt Octauia, huiuſmodi Troas, huiuſmodi aliæ quædam; vt facile cognoſcere legētes queunt. Quin huiuſmodi etiam eſt Sophoclis Aiax Lorarius, ſiue flagellifer. in qua Tragœdia nullam vides non expectatam ante, prouiſamq. mutationem. nihil adeo ageret qui contra ſic diſputaret. Nulla eſſe probabilis Fabula poteſt ſine Cataſtropha. ergo nulla ſine Peripetia. Nihil, inquam, obtineret, qui ſic diſputaret. quia quamquam Cataſtrophe commutatio quædam, & conuerſio in partem contrariam eſt, non poſtulat tamen eiuſmodi commutationem repentinam, numquam ante meditatam, nec ex eo capite profectam, ex quo proficiſci poſſe minime credebatur. Nam Oedipus timet quidem parricidium, inceſtumq. quorum cauſa exilium ſibi voluntarium indixerat, inde tamen ea illi mala euenerunt, vnde minime ſuſpicari potuiſſet euentura. Quarè Fabularum caſus earum, quibus innexa eſt Peripetia, non modò repentinam habent mutationem, ſed ſingulari illo modo, de quo diximus, repentinam. In Cataſtropha verò, quia non ſemper cum Peripetia coniungitur, ſatis eſt, aliquam eſſe commutationem etiam prouiſam, ac formidatam ex eo fonte, vnde promanat. quæ tamen accidere videtur interdum præter expectationem; quia in ipſa prope Fabula media res componuntur aliquantulum, adeoque ſperare meliora incipiunt ij, qui perniciem extimeſcebant. cum igitur accidit caſus acerbior, accidit repentinus, ſed non ita, vt poſſit in Tragœdia conſtituere Peripetiam: quæ poſtulat præterea, vt extrema illa calamitas, vel numquam prouiſa ſit, vel alio ex capite fluat, quàm vnde timebatur. Hoc ergo Tragœdiæ genus: in quo Cataſtrophe tantum eſt ſine Peripetia, ſimplex dicitur, & probatur ab Ariſtotele; ſed non æquè, ac aliud, quod compoſitum appellat, ſiue implexum, atq. implicatum. cuiuſmodi eſt, cum vel Peripetiam habet, vel Agnitionem, vel vtramque coniunctam. His enim partibus quodammodo componitur, &

qui-

quibusdam quasi nodis implicatur: ideoq. redditur multo magis admirabile, quod potissimum à poëtis spectandum esse docuit Aristoteles, cum delectationem, quam illi sequuntur, & auditoribus afferre volunt, à rebus admirabilibus proficisci maxime pronunciauit.

Ex his verò generibus, vt disputationem referamus ad caput, duplex lysis siue solutio nascitur. quarum altera simplex dici potest, quia est Fabulæ simplicis; altera composita, quia est Fabulæ compositæ, atq. implicatæ. Fabula simplex tum soluitur, cum post compositas in medio cursu res asperas, & quæ pestem comminabantur, sequitur casus, qui ipso iam initio inde timebatur, vnde profluxit. quæ solutio meritò plana dici debet, ac simplex. Altera lysis, & solutio Fabulæ implexæ, complicitæq. plus habet, quàm superior artificij; quia nodum sæpenumero inuenit Gordium, qui expediri facile, resoluiq. non possit. Quare confugiunt sæpenumero poëtæ ad machinam: quæ suppeditat quidem solutionem artificiosam, sed eam non sic probat Aristoteles, quemadmodum laudat naturalem. Solutionem per machinam habet Amphitruo Plauti. qua in Fabula se prodit ad extremum Iuppiter, è nube mortales alloquens. Eandem habet apud Senecam Hercules Oetæus; qui loquitur etiam è machina, & suorum dolorem alloquio consolatur. Eandem denique habuit, vt docet Aristoteles, Medea, vetus Fabula. in qua, Medea ipsa, quantum suspicione complector, ad extremum se proripuit è proscenio Draconibus alatis, per machinam porrò subuectis. Huc, inquam, atque ad hanc solutionem se recipiunt multi: sed ea quemadmodum dixi, non magnopere probatur Aristoteli. cui multo placent maximè solutiones illæ naturales, quæ nascuntur è re, neque necesse habent tam longè, hoc est ab artificio machinæ repetere modum, ac rationem Fabulæ resoluendæ. Non tamen illud genus damnat, cum in tempore adhibetur, ac loco. Quin ipse met argumenta Fabularum, ac tempora designat, quibus vti machina, & Deos inducere soluentes nodum, cum laude possimus. Constat, inquit, in cap. xij. solutiones ex ipsis met potissimum Fabulis proficisci, ac nasci debere: non autem ab aliquo præsidio artificioso; vt in Medea. quo sanè artificio vti debemus in ijs, quæ extra Tragœdiam sunt. hoc est in ijs, quæ vel prius fuere, vel alio modo ad hominum peruenire notitiam nequeunt, vel diuinatione indigent aliqua, & futuri denunciatione. Intelligunt enim vniuersi; à Dijs omnia conspici. Quibus verbis ostendit, duabus ferme de causis vsos fuisse machinis probatos poëtas in Tragœdijs. primo quidem; vt exponerent res præteritas, & ante iam actas, quas ipsi nos aliunde, quàm à Dijs cognoscere nequeamus. deinde: vt res denunciarent futuras, quas intelligere, ac prouidere non possunt, nisi Dij, mortales nesciunt penitus, ac prorsus ignorant. Ceterum quia

lau-

laudantur maximè ab Aristotele naturales solutiones, quæ sine machina fiunt: eæque pulcherrimè accidunt, ac iucundissimè ab Agnitionis certo quodam genere; de Agnitione dicendum erit, quæ varia,& multiplex est.

## *De Generibus Agnitionum varijs.*
## *Caput XX.*

MVltiplicem quidem Agnitionem facit Aristoteles: sed diuisionem quandam bipartitam ab eo traditam prætermittere tamen hoc loco libet; quæ genus potius Agnitionis designat aliquod, quàm varium Agnitionis explicat modum. Dixit enim vnam esse, cum è duobus, inter quos intercedit Agnitio, vnus tantum noscitur ab altero, alter quia notus iam erat, non tunc primum agnoscitur. Vlysses enim agnoscebat suos; à quibus tamen non agnoscebatur. itaque cum facta est Agnitio, Vlysses tantummodo cognitus est, alij qui noti iam erant, eo tempore non sunt repente cogniti. Alteram euenire tum ait, cum agnoscitur vterq. ab vtroq. prorsus ignoratus. vt Iphigenia, & Orestes. quippe personæ inter quas inopinata accidit Agnitio, ignotæ erant vtriq.: cum nec Orestes Iphigeniam, nec Iphigenia Orestem ipsum agnosceret. De hac, inquam, partitione non dico: sed de alijs in quibus varios expressit modos Aristoteles: quorum beneficio varia personarum notitia comparetur. Eos igitur modos sic enumerabo per partes, quemadmodum ab eo positi sunt in cap. poëtices xiij.

Primam Agnitionem, quam parum ingeniosam, parumq. artificiosam appellat, eam esse ait, quæ per signa quædam accidit, vel ingenita, atq. innata, vel aduentitia, atq. extrinsecus accersita. Inter innata signa connumerat lanceam Terrigenarum: sed quid hæc lancea sit, non conuenit inter omnes. Robertellus existimat, eam esse, quam terræ filij Titanes semper gerunt, cum exprimuntur, aut inducuntur. cui possis addere clauam, aut spolium Herculis, hastam Palladis, & Gorgonem: alia ex eo genere complura. Quæ quidem ingenita, & innata nominari putat, quia numquam ab illis absunt personis; videnturq. ijs similia, quæ natura singulis rebus inseuit, & fecit propria. Numquam enim illi Dij sine huiusmodi notis insignibus effinguntur. ex quibus facillimè, nulloq. prorsus artificio existere potest Agnitio; cum nemo lanceam illam, aut clauam, aut Gorgonem repentè conspiciens, non agnoscat eos, qui nobilissimis signis, & numquam fallentibus demonstrantur. Hæc igitur innata Robertello sunt, atq. ingenita signa. Verior tamen est aliorum prope omnium interpretum

ſententia, exiſtimantium, hanc lanceam fuiſſe notam aliquam, aut maculam in corpore Terrigenarum, nõ quidem Titanum, qui pugnarunt cum Ioue, ſed eorum, qui nati ſunt è Cadmi ſerpente, lancea ab eodem Cadmo confoſſo, cum Thebas fundabat. Conſecutis quippe tẽporibus, Thebis ea familia, quæ ortum ducebat à Terrigenis illis, habuit in corpore eiuſmodi maculam, aut notam in lanceæ figuram conformatam, quæ ſingulis ex ea gente ſponte naturæ innaſcebatur. Cum enim in primis illis extitiſſet ea lancea, vt eſſet indicium eorum originis, multis exinde ſæculis eſt per propagationem in poſteris conſeruata, quod teſtatur ex Plutar. Petr. Victor. qui rem illuſtrat præterea ſimilitudine petita ab næuis, alijſq. huiuſmodi notis, cum quibus ſæpe in lucem excipimur: quales præſertim ſunt illæ, quas feminæ vterum geſtantes tactu putantur imprimere pueris naſcituris. His enim notis ſimiles exiſtimat Victor. has inſitas, & ingenitas, de quibus loquimur. Laudat idem Ariſtoteles ſtellas à Carcino poëta fictas in Thyeſte: quæ Fabula deſideratur. Autumant tamen aliqui, Thyeſtem in ea Fabula filios, quos commanducabat, agnouiſſe demum ex aliqua eiuſmodi corporis ingenita nota, quæ ſtellæ ſpeciem, formamque referre videretur. Hæc de ſignis ingenitis Ariſtoteles. Extrinſecus adſcita vult eſſe duplicia: alia quidem in corpore, extra corpus alia poſita. In corpore ait eſſe cicatrices, aliaq. huiuſmodi, vel morbi veſtigia, vel vitia naturæ: extra corpus, monilia, torques, anulos, & ſimilia quædam ornamenta, vel inſtrumenta corporis, ac vitæ, quæ perſonam aliqua ratione diſtinguere, ac demonſtrare queant. Itaque apud Homerum, vt idem ait Ariſt. Vlyſſes cognitus eſt ex ſigno, quod erat in corpore, hoc eſt ex cicatrice, quam ei reliquerat aper in latere, dum in Parnaſſo venaretur feras. In veteri verò Fabula, quæ dicebatur Tyrus, accidiſſe docet Agnitionem à ſcapha, ſiue à cunis; quæ ſcaphis ſimiles ſunt; vt locum illum Victorius interpretatur. Argumentum Fabulæ neſcimus, ſed videtur ſe prodere per ſe. Multæ quippe Agnitiones apud Plautum ſunt, exiſtentes à cunis, à crepundijs, atq. ab ornamentis, inſtrumentiſq. corporis, quæ ſunt tamen extra corpus, atq. ab ijs diſtincta ſignis, quæ in ipſo corpore ſunt impreſſa.

Secundum Agnitionis genus, & ſuperiori proximum eſſe vult, quod fit, & excogitatur à poëta, ac propterea dicitur πεποιημένον, factum. Sic enim Ariſtot. loquitur. δεύτεραι δὲ αἱ πεποιημέναι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ hoc eſt. Aliæ Agnitiones ſunt illæ, quæ fiunt à poëta. Quòd cum dicit, non ſignificat, aliquas Agnitiones eſſe, quæ poëtarum ingenio non excogitentur, & fiant (omnes enim inuenta poëtarum ſunt) ſed hanc, de qua loquitur, non eſſe depromptam ex ipſa rerum ſerie, & textura Fabulæ, verum à poëta propemodum extra Fabulam licenter excogitatam, ac propterea carere artificio, vel parum artis habere, quemadmodum

modum ipse docet, de huiusmodi Agnitionibus hæc verba subiungens. διὸ ἄτεχνοι. quarè artis expertes sunt. Quæ vt probe intelligantur, animaduertendum est, artificiosissimum Agnitionis genus, atque ingeniosissimum ab Aristotele illud haberi, ac dici, quod nascitur ex ipso contextu Fabulæ, & ex rerum, quæ tractantur, visceribus prope ducitur necessariò: sic prorsus, vt alio modo res euenire non potuisse videatur. quod profectò tum cernitur, cum res ita compositæ, dispositæque in Fabula sunt, vt poëta cogatur quodammodo certam quandam Agnitionem confingere, videaturque non posse modum illum Agnitionis præterire. Huic agnitionis generi, modoque perfectissimo eum opponit, quo de agimus in præsentia. Is verò tunc apparet, cum Agnitio non petitur à rebus, quas ipsa suppeditat Fabulæ necessitas, aut compositio, & series earum rerum, quæ tractantur, sed ab ijs, quas pro arbitratu suo poëta comminiscitur, & excogitat. Vt enim in illo perfecto Agnitionis genere non potest poëta quibuslibet ex rebus Agnitionem ducere, sed cogitur in certis quibusdam consistere; ita in hoc vtitur arbitrio suo, & ex aliquibus Agnitionem petit, quam facilè petere posset ex alijs. Vtriusque Agnitionis exempla proponit Aristoteles ex Euripidis Iphigenia in Tauris. Est enim in ea Fabula duplex Agnitio. vna quidem perfectissima, atq. artificiosissima; qua nimirum ab Oreste cognoscitur Iphigenia soror, ab ea non dum cognitus: altera imperfecta, qua Orestes ab eadē Iphigenia cognoscitur. Illa petitur ab epistola, quā Iphigenia Pyladi Orestis socio committebat, & mittebat in Græciam ad Orestem ipsum, quem præsentem esse non intelligebat. Ita quippe se res apud Euripidem habet. Duo illi hospites, Orestes, & Pylades, Tauricā ingressi regionem, Dianæ, ex Thoantis domini lege, ipsius Iphigeniæ manu erant immolandi. quæ cum cognouisset esse Græcos, eorū alteri parcere decreuit, vt per eum literas in patriam mitteret ad suos. id quod etiam ab Ouidio canitur, & narratur his versibus in eleg. ij. lib. iij. de Ponto.

*Par fuit his ætas, & amor: quorum alter Orestes,*
*Alter erat Pylades; nomina fama tenet.*
*Protinus immitem Triuiæ ducuntur ad aram,*
*Euincti geminas ad sua terga manus.*
*Sparsit aqua captos lustrali Graia sacerdos,*
*Ambiat vt fuluas infula longa comas.*
*Dumq. parat sacrum, dum velat tempora vittis,*
*Dum causæ tardas inuenit ipsa moræ:*
*Non ego crudelis, iuuenes ignoscite, dixit;*
*Sacra suo facio barbariora loco.*
*Ritus is est gentis. qua vos tamen vrbe venitis?*
*Quodq. parum fausta puppe petistis iter?*

*Dixit, & audito patriæ pia nomine virgo,*
*Consortes vrbis comperit esse suæ.*
*Alter vt è vobis, inquit, cadat hostia sacris,*
*Ad patrias sedes nuncius alter eat.*
*Ire iubet Pylades carum periturus Orestem,*
*Hic negat, inq. vicem pugnat vterq. mori.*
*Extitit hoc vnum, quod non conuenerat illis,*
*Cetera pars concors, & sine lite fuit.*
*Dum peragunt iuuenes pulcri certamen amoris,*
*Ad fratrem scriptas exarat illa notas.*
*Ad fratrem mandata dabat, cumq. illa dabantur,*
*(Humanos casus aspice) frater erat.*

Ita canit Ouidius: sed Euripides in illo amoris certamine victorem facit Orestem; qui Pyladem reuerti iubet in patriam, ipsum se supplicio addicit, & sacrificio Deæ. Itaq. Pylades apud Euripidem reseruatur, & decernitur in Græciam nuncius; Oreste interim ictum securis ad aram expectante. Cum ergò scriptas iam litteras Pyladi traderet Iphigenia, verita, ne quid ei grauius in itinere, ac bene longa nauigatione contingeret, ipsæq. perirent litteræ, earum argumenta retexit, & Pyladi recitat his pene verbis. Oresti Agamemnonis filio sic nunciabis. In Aulide interfecta mittit has litteras viua Iphigenia; quæ illis qui istic viuunt non viuit amplius. Deduc me Argos frater antequam moriar ex hac terra barbara, &c. Cum Aulidem audit Orestes, seq. Agamemnonis filium appellari, sororem illico agnoscit, & complectitur Iphigeniam, quæ cum ei fidem non haberet, aliquod postulat signum. Multa illi signa proponit Orestes, in primisque duo; vestem, quam Iphigenia texuerat ipsa; & hastam Pelopis, quæ domi seruabatur in eiusdem Iphigeniæ conclaui. Orestis verba sunt hæc, vestem commonstrantis. Non ne scis hæc te pretioso subtegmine contexuisse, & in tela imaginem solis deficientis expinxisse? Quibus illa sic respondet. Texui hanc ego imaginem subtilibus filis. Alijs verò signis enumeratis plurimis, hastam illam ita describit Orestes. Sed & ea quę ipse vidi certissima signa pręterea commonstrabo: hoc est, Pelopis antiquam in ædibus hastam: quam manibus vibrans, puellam adeptus est Hippodamiam, Oenomao interfecto. hanc, inquam, hastam in tuo conclaui conditā ego vidi. Quibus inauditis, victa, sic exclamat Iphigenia. O carissime. nihil enim es aliud. es, inquam, carissimus. Teneo ne te Orestes? &c. Priorem igitur illam Agnitionem per epistolam ait Aristoteles ingeniosissimam, atque artificiosissimam esse: quia necessariò nascitur ex ipsis Fabulæ visceribus, ipsoque rerum contextu, nec ingenio poëtæ licenter excogitatur, & fit. Ita quippe dispositæ res sunt, vt Iphigenia, nisi planè desipiat, & amens sit, occasio-

casionem nacta pulcherrimam, de mittendis in patriam litteris cogitare debeat, & pericula maris reputans, argumentum earum hospitibus recitare. Posteriorem dicit imperfectam, & artificio carentem: quia tota pendet ex arbitrio poëtæ comminiscentis liberè signum. Quemadmodum enim hastam illam commemorantem facit Orestem, sic potuisset facere aliquid aliud indicantem: cum ex ipsa rerum textura, & serie ad aliquod certum signum non adigatur. De hasta verò hic dico, nihil de veste: quia puto Aristotelem hic de signo illo à veste petito non loqui. Vestis enim illa, quamquam imperfectam etiam facit Agnitionem, pertinet tamen ad primum Agnitionis genus, quod fit ex instrumentis corporis externis: cuiusmodi monilia sunt, vestes, aliaq. de quibus diximus, ornamenta. Quarè cum hoc velit esse genus Agnitionis ab eo distinctum, de alio signo verba facit, & sine dubio de hasta illa Pelopis; quemadmodum pleriq. putant interpretum. Neque enim id in codice declaratur. immo verò lacuna quædam offenditur in quibusdam libris hoc modo. Secundæ Agnitiones sunt, quæ fiunt à poëta: quarè expertes artis sunt. Ceu Orestes in Iphigenia: qui & sororem agnouit, & agnitus ab ea est. Illa quidem ex epistola agnita est: ille vero..... Hæc, inquam, lacuna in quibusdam offenditur codicibus: quam inuenias in alijs sic expletam, ἐκ τῶν ὑφασμάτων, ex vestimentis. Sed hoc esse commentum alicuius, qui ex ingenio locum corrigere voluerit, putemus necesse est, nisi velimus hanc Agnitionem à superiore non differre; quæ tamen differre plurimum debet. In alijs reperias διὰ τῆς λόγχης, ex hasta: quod planè conuenit. nisi tamen adiunctum id etiam ex ingenio sit. In alijs διὰ σημείων, ex signis, & indicijs: quod magis probatur, nobisq. liberam relinquit optionem arbitrandi, eligendique ex tanta signorum multitudine id, quod huic loco congruentius est. videtur autem congruentior esse hasta, quæ corporis non est ornamentum, vt monilia, aliaque signa superioris Agnitionis. In hunc igitur modum declarauit Aristoteles hoc Agnitionis genus; comparans nimirum illud cum perfectissimo, atq. absolutissimo: quod quia necessariò nascitur ex Fabulæ contextu, videtur à poëta non excogitatum, & inuentum: hoc autem quia ex illo contextu necessariò non oritur, factum dicitur, & fictum à poëta, non natum ex Fabula. Sic enim loquitur ipse de Oreste, signum illud describente, ex quo vult agnosci. Hæc igitur ipse dicit, quæ vult poëta, non quæ Fabula.

Tertiam Agnitionis formam ait fieri beneficio recordationis, & memoriæ. Vt cum is, qui debet agnosci, audiens, aut videns aliquid, veteris suæ recordatur fortunæ, dicitque, aut facit quidpiam, ex quo facile cognoscatur. Memoria enim, vt idem docet Aristoteles in libello de Reminiscen. certis quibusdam excitatur locis, notisque: vt,

à ſimili, à contrario, à proximo, alijſque huiuſmodi. Huius generis Agnitionem ait Ariſtoteles quandam fuiſſe in Cyprijs, veteri Diocænogenis Fabula. Argumentum, & ſumma eius Agnitionis hæc eſſe videtur Petro Victorio. Iuuenis quidam tabulam inſpiciens pictam, ſuæ recordatus fortunæ, illico lacrymari cœpit: ex qua collacrymatione ſtatim cognitus eſt. Erat enim in tabula expreſſum aliquid ijs ſimile figuris, quas in templo Didonis offendit Æneas, cum lacrymas effudit vberrimas, eius recordatus excidij, earumque calamitatum, quarum ipſe pars maxima fuerat. Exemplum verò eius Agnitionis, quæ accidit ex auditu, repetit Ariſtot. ab Vlyſſe apud Alcinoum: vbi cum citharœdum Demodocum canentem audiret, ſuorum recordatus malorum, quæ pertulerat in bello Troiano, fleuit: adeoq. agnitus eſt ab Alcinoo. Canebat enim citharœdus ea, quæ tam longo tempore, tantoq. labore geſta erant à Græcorum ducibus in expeditione Troiana.

Quartam fieri docet per ſyllogiſmum. vt cum ratiocinando, colligendo, & quaſi compoſita quadam argumentandi forma aliquem demum agnoſcimus. Aliquot hanc rem illuſtrat exemplis Ariſtoteles. quorum primum petit à Chloëphoris, ſiue Choëphoris: quæ Tragœdia, vt ſe deprehendiſſe teſtatur Victorius, eſt Æſchyli, confuſa librariorum fortaſſe vitio cum Agamemnone. Agnitionis verò ratio ſic eſt. Cum Electra ad buſtum, ſiue ad tumulum veniſſet Agamemnonis patris ſui vnà cum ancillarum grege, omnia comportans, quibus placari poſſent parentis Manes, reperit ibi cæſariem, & capillum, antiquorum more detonſum, honoriſque, ac doloris ergò ſupra ſepulcrum impoſitum. Quam illa cæſariem, quia ſuæ ſimilem videbat eſſe, argumentando coniecit, germanum Oreſtem illuc aduenisse, quem adhuc abeſſe procul, & in longinquis verſari prouincijs exulem exiſtimabat. Sic enim, vt diſertè ait Ariſtoteles, rationem ſyllogiſmo ſubduxit. Venit huc aliquis ſimilis mihi. mihi autem præter Oreſtem, nullus planè ſimilis eſt. Venit igitur Oreſtes. Alterum huius Agnitionis per ſyllogiſmum proponit exemplum à Polyde Sophiſta, qui Tragœdias olim ſcripſerat, accerſitum: quod eſt huiuſmodi. Cum Oreſtes in eas intraſſet aliquando terras Thoantis, vbi Dianæ humanis hoſtijs litare mos erat, captuſq. ab incolis, immolandus iam eſſet ex Regni legibus, quæ Deæ mactari nominatim iubebant hoſpites, ac peregrinos, ita lamentari ſub mortem cœpit infortunium ſuum. O domus, ac gentis noſtræ fortunam peracerbam. O Dianam noſtræ familiæ iam fatalem: cui litata quondam ſoror eſt: cui germanus ipſe mactandus item, atque immolandus accedo. Hanc vocem Iphigenia Dianæ ſacerdos cum excepiſſet, ſuſpicari confeſtim cœpit, eum, qui ſic expoſtularet, Oreſtem eſſe fratrem ſuum. atque

inde

inde originem per ratiocinationem, ac syllogismum duxit Agnitio. Putabat enim Orestes, occisam iam in Aulide, ac Dianæ sacrificatam fuisse olim Iphigeniam: sed seruata erat, atq. in regnum illud asportata; vbi Dianæ sacerdos facta, & tam tristi, crudeliq. ministerio addicta fuerat. Itaque fratrem cognouit ratiocinando, & colligendo: immo etiam colloquendo: vt indicare videtur Ouid.in lib. Trist. iv. Eleg.iv.

*Et iam constiterat stricto mucrone sacerdos,*
*Cinxerat & Graias barbara vitta comas:*
*Cum vice sermonis fratrem cognouit, & illi*
*Pro nece complexus Iphigenia dedit.*

Quintam esse vult huic ita similem, vt vix secernatur. Ait enim accidere per paralogismum.paralogismus autem est ratiocinatio;sed captiosa,aut falsa; qua plerique decepti solidis se,optimisque putant argumentationibus de re iudicare. Laudat verò in hoc genere Agnitionem Vlyssis, Falsi Nuntij. Sic enim appellabatur vetus aliqua Fabula; cuius hoc tantummodo superest nomen. Argumentum ex aliquorum suspicione,& coniectura sic informatur. Falsus Nuntius,qui se Vlyssem esse comminiscebatur, ad Penelopen venit: atq. vt feminæ fidem faceret,affirmabat, se cogniturum esse Vlyssis arcum si mōstraretur. Quo factum est,vt & Penelope,& alij qui aderant falso decepti syllogismo, omnino crederent illum hominem Vlyssem esse: perinde ac si nemo posset eum arcum, nisi Vlysses agnoscere. Ita,inquam,aliqui putant accidisse Agnitionem in Fabula, cui nomen erat Vlysses, Falsus Nuntius. credunt nimirum, aliquem inductum, qui Penelopi vellet imponere. Sed credunt alij, in primisque Vincentius Madius, eum fuisse verum Vlyssem: qui quoniam ab vxore non agnoscebatur, optionem dederit periculi faciundi: adeoq. arcum petierit, quem se cogniturum esse profitebatur. Verumtamen vtcumq. se res habeat, paralogismi vis in eo posita est, quòd nullus præter Vlyssem crederetur eum arcum cognoscere: cum verè multi esse possent,quibus æquè atque ipsimet Vlyssi cognitus esset. Quo loco animaduertendum est etiam illud: hanc ratiocinationem prauam, perperamq. dispositam appellari ab Aristotele paralogismum Theatri,siue spectatorum.quia non Penelope modò,verum etiam ipsi,qui aderant cum Penelope, ac fortasse Chorus, eum, qui arcum posset agnoscere, Vlyssem omnino esse existimarunt. Chorus autem dici potest in Fabulis obtinere vicē spectatorum. qui quoniam loqui non possunt, videntur partes suas demandare, ac permittere Choro: ideoq. Chorus pro spectatoribus loquitur, ac de actione tota, hoc est de Fabula iudicat. Quamquam enim supra diximus, Chorum obtinere locum ciuium, nihil tamen hìc contrarium affirmamus: quia spectatores ipsi videntur ciues,aut

certè aliqua ex parte etiam peregrini, in eam vrbem profecti, vbi geritur res. Ex peregrinis quippe interdum ipse quoque componitur Chorus, vt docuimus alibi.

Ex his tam multis, varijsq. Agnitionum formis eas ait Aristoteles optimas esse, quæ magis sunt verosimiles, quæq. ampliorem pariunt admirationem: cuiusmodi sunt, inquit, in Oedipo, atque in Iphigenia. Nam quia metuebat incestum Oedipus, credibile, ac verosimile est, eum multa quæsisse. cum autem exquisitius scrutatus omnia, intelligeret iam, suam non esse matrem eam, à quâ sibi tantopere metuebat; agnoscit demum, veram se matrem habere pro coniuge. vnde summa quædam oritur admiratio. Iphigeniam verò Euripidis verosimile est voluisse litteras in Græciam dare; quibus de statu suo certiores propinquos faceret. eas verò dum Pyladi ferendas daret, qui seruabatur à nece; & argumentum earundem litterarum euolueret, agnoscitur ab Oreste. quæ res incredibilem parit auditoribus admirationem. Secundum has probat omnium maximè quæ fiunt sine monilibus, alijsue signis, sed tantummodo per syllogismum. δεύτεραι δὲ αἱ ἐκ συλλογισμοῦ. Secundæ verò sunt, siue secundum obtinent locum, quæ nascuntur ex syllogismo.

## *De alia quadam Agnitionum partitione.*
## *Caput XXI.*

CVm omnem omnino Agnitionem error aliquis antecedat eorum, qui personam agnoscunt, quam prius ignorabant; ex erroris huiusmodi varietate variam etiam esse Aristoteles intelligi vult Agnitionem. Quapropter quatuor ait esse modos exponendi erroris Tragici, hoc est eius errati, peccatique, vnde calamitas, & pernicies oritur extrema, quæ vel timetur, vel deploratur in Fabula: quorum duo Agnitionem habent, duo eadem carent Agnitione.

Primus igitur errandi, peccandiq. modus est, cum aliquis suo iudicio, ac voluntate labitur in exitium, vel, vt planius id declaretur, cum volens, ac prudens re ipsa patrat flagitium aliquod; intelligens exempli gratia, eum, quem interimit, suum filium, amicum, propinquum, aut parentem esse. qualis est apud Euripidem Medea, filios occidens, atq. discerpens, quos suos esse non ignorabat. Hunc modum ait Aristoteles vsitatum maxime fuisse apud poëtas veteres, sine Agnitione, ac sine Peripetia. Exponebant enim factum aliquod atrox, aut cædem immanem simpliciter, & explanatè, satisq. se putabant artificiose scripsisse Tragœdiam, si hoc modo argumentum per collocutiones, inductionesq. personarum explicassent. Huc nimirum perti-

net ſcelus Atrei; qui ſciens, ac prudens fratri filios comedendos propoſuit: huc ira Phædræ, quæ priuignum de induſtria in diſcrimen capitis vocauit: huc Oreſtis, huc Alcmæonis parricidium, qui ſuo iudicio, volenteſq. matres interfecerunt.

Secundus errandi modus, ac ratio eſt, cum aliquis ignorat quidem vim, grauitatemque flagitij, quod in præſentia perpetrat, ſed paulo poſt intelliget, quantum ſceleris imprudens admiſerit. Cognoſcet, inquam, neceſſarium ſe, parentem, propinquumue occidiſſe, aut alio ſe crimine contaminaſſe. cuiuſmodi Oedipus eſt apud Sophoclem, qui parricidium, inceſtumq. iam ante commiſſum per ignorantiam, in ipſa intelligit Fabula, quæ peragitur. Hoc enim quod perpetratum eſt ſcelus, vel in eadem actione Tragœdiæ, & admittitur, & agnoſcitur; vel admiſſum iam eſt extra Tragœdiam, extraq. illius actionem diei, quam imitatur poëta, ſed in ea detegitur, & cognoſcitur ab auctore. Superioris Agnitionis exemplum expreſſerat Aſtidamus in Thelegono: qui in eadem Tragœdia inducebatur interimens ex ignoratione patrem, & in eadem agnoſcens.

Tertius eſt, cum quis per ignorantiam paratus eſt ad faciendum ſcelus, ex quo reddatur miſerrimus: ſed mox agnoſcens, intelligenſq. facinus, non perficit, quod aggreſſus erat, & iam affecerat. Huiuſmodi eſt Iphigenia illa tam ſæpe laudata, quæ prope fuit, vt fratrem ignorans, ac neſciens immolaret.

Quartus deniq. modus erroris in eo ponitur, vt paratus item aliquis ſit ad perpetrandum facinus malum, ſciens, intelligenſque; non tamen efficiat, aut ad exitum perducat inchoata, quia vel impeditur, vel pœnitentia capitur.

Ex quatuor hiſce modis duo tantum, vt initio diximus, Agnitionem habent, ſecundus, ac tertius: reliqui duo, primus, & quartus omnino carent Agnitione. dicuntur tamen errores, quia etiam ij, qui ſcelus agnoſcentes peccant, aberrant à legibus, & recti vim videntur penitus ignorare. Sed eiuſmodi ignoratio non eſt ea, quæ conſtituere poſſit Agnitionem in Fabula. Cum verò ex his erroribus duobus, qui verè, ac propriè dicuntur errores propter ignorationem perſonarum, quæ notæ non ſunt, duo naſcantur Agnitionum genera, vnum cum patrato iam ſcelere, alterum cum ſolo ſceleris apparatu, & quaſi procinctu; quæri poteſt, quod nam præſtantius, ac melius eſſe videatur Ariſtoteli. Sed hæc explicabimus in cap. xx. vbi non de his erroribus modò, qui habent Agnitionem, ſed de alijs etiam eſt decernendum.

An

## *An extra scenam cædes proferre fas sit.*
## *Caput XXII.*

QVoniam in capite proximè superiori atq. in eo, quod antegreditur, id tamquam certum, exploratumq. posuimus ex Aristotele; aliquod esse Tragœdiæ genus idoneum, ac probatum, in quo cædes re ipsa perpetrentur, & fiant, dubitare possit aliquis, num ideo probemus cædes, & atrocia quædam spectacula populo extra Scenam exhibita. Occupemus igitur hunc dubitandi locum, dicamusq. non propterea cum hæc docentur, ipsas à nobis probari productas in Scenam cædes, dilaniationesq. corporum, quas à spectatorum oculis porrò submoueri oportere sic monet Horatius.

*------------------- non tamen intus*
*Digna geri promes in scenam, multaque tolles*
*Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.*
*Nec pueros coram populo Medea trucidet,*
*Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.*

Non, inquam, datur venia, vt tam atrocia facinora spectatorum subijciantur oculis, cum dicitur aliqua esse Tragœdia probabilis, in qua cædes re ipsa patretur, & perficiatur scelus. Nam idem Aristoteles in poét.cap. xj. iubet poëtam petere commiserationem, & terrorem (quas perturbationes excitare contendit) à sua ipsius compositione, siue scriptione, ac carmine, non ab apparatu & scena, hoc est à cædibus in scenam prolatis. Terrificum verò illud, inquit, ac miserandum cum ab apparatu scenæ proficiscitur, tum à rerum com positione. id verò multo præstantius est, & melioris poëtæ. Differt tamen Aristoteles ab Horatio duplici nomine. Primum, quia ille causam omnem, cur nolit eiusmodi atrocitates oculis spectatorum proponi, refert in ampliorem aliquam laudem, quam inde consequitur poëta: cum scriptoris peritissimi sit, commiserationem, terroremq. permouere narrationis tantummodo vi, sit autem etiam imperiti, easdem perturbationes commouere apparatus beneficio, hoc est exhibendis in scenam cædibus, & lacerationibus corporum. Hæc, inquam, est causa, cur ea spectacula summota velit Aristoteles. Horatius verò eadem idcirco putat arcenda, quòd exprimi perfectè ipsa histrionum, actorumq. imitatione non possint. Est enim perdifficile imitari cædes illas, lacerationes, & vulnera: adeoq. spectator indignè fert, ea sibi proponi tamquam ignaro, ac stulto. Itaq. versum hunc subiungit Horatius, quem alio loco laudaui.

*Quodcumque ostendis mihi, sic incredulus odi.*

Ducitur quidem spectatoris animus, & delectatur aliarum imitatione rerum, vt alibi diximus, amatq. prudens, ac sciens deceptionem suam, quia videt in ficta causa quasi lacrymas veras, odium, dolorem, reliquas perturbationes, & actiones humanas quodammodo veras. Sed imitatione cædis haud delectatur, cuius similitudinem idoneam nullam videt; adeoq. tantum abest, vt eam intuens, commiseratione moueatur, & terrore, vt indignetur potius ijs, qui tam stultam sibi proponunt imitationem; in qua nulla rei veræ similitudo sit. Viderunt difficultatem hanc vetustissimi Tragœdiarum inuentores: qui quoniam Nuntiorum illas narrationes non dum excogitarant, & commiserationem tamen ab atroci facinore contendebant petere, occidebant re ipsa, & verè aliquos homines in scena ex ijs, qui alioqui plectendi capite, ac damnati postremo supplicio erant. Quem morem tam immanem, ac barbarum sustulit primus Æschylus Athenis, vt docet ex Philostrato Gyraldus in Histor. poëtarum; reuocaruntq. postmodum in scenam Romani quidam Principes veteribus illis immaniores. Nam Domitianus cum Fabulam daret, in qua Laureolus quidam latro luebat pœnas in crucem actus, & bestijs, vt laceraretur obiectus, iussit è damnatis vnum in crucem verè tolli, atq. à feris discerpi, vt est apud Martial. lib. j. epig. vij.

*Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus*
*Assiduam nimio pectore pauit auem,*
*Nuda Caledonio sic pectora præbuit vrso,*
*Non falsa pendens in cruce Laureolus.*
*Viuebant laceri membris stillantibus artus,*
*Inque omni nusquam corpore corpus erat.*
*Denique supplicium dederat necis ille paternæ,*
*Vel domini iugulum foderat ense nocens.*
*Templa vel arcano demens spoliauerat auro,*
*Subdiderat sæuas vel tibi Roma faces.*
*Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ:*
*In quo quæ fuerat fabula pœna fuit.*

Cuius supplicij geminum ponit exemplum in viij. de Dædalo. Exposuit enim idem Imperator in alia Fabula vrso dilaniandum quendam: qui personam sustinebat Dædali, ob stuprum Pasiphaës, cuius ipse machinator fuerat, supplicium exsoluentis. Sunt alia eiusmodi crudelitatis tam diræ spectacula in scenam prolata propemodum infinita, quæ perstringit vniuersim in Apologetico Tertullianus. Nisi quòd & ipsos Deos vestros, inquit, sæpe noxij induunt. Vidimus aliquando castratum Atyn illum Deum ex Pessinunte; & qui viuus ardebat, Herculem induerat, &c. Alterum discrimen inter Aristotelem, & Horatium est: quòd hic omnino damnet eos poëtas, qui audeant

deant has cædes, & res tam atroces ſpectatorum oculis proponere, Ariſtoteles prorſus damnare non videatur, ſed id tantummodo dicere, eiuſmodi poëtas imperitiores eſſe; nec tantum artificij præ ſe ferre, quantum præ ſe ferunt ij, qui cædes, & immania facinora intra ſcenam abdunt, & per nuntios, alioſque ſic referunt in ſcenam, vt commiſerationem, ac terrorem nihilo minus excitent. Scio locum hunc Ariſtotelis longe aliter interpretari Iaſonem de Nores. Sed nihil eum afferre tam validum video, vt in ſuam pertrahere alios ſententiam debeat. Ex his id intelligi, & conſequens eſſe neceſſe eſt, Senecam, qui Medeam occidentem filios facit in ſcena, & Græcorum aliquos, qui ſimilia facinora inducere non dubitarunt coram populo, reprehenſione liberari non poſſe. Si enim conſulatur Horatius, ſummè peccarunt, ſi Ariſtoteles audiatur, ſunt alijs poëtis deteriores. Nihil verò de illis hìc dico, qui cæſorum corpora, aut diſcerpta membra inferunt in ſcenam ad complorandum. id enim fecerunt probatiſſimi poëtæ, vt diximus in cap.xj. de Commo. adeoque faciendum idem proponunt etiam alijs, qui ex hoc poëticæ genere laudem petunt.

Fateor equidem, vnum apud Ariſtotelem eſſe locum in cap.ix. vbi videtur adprobare maxime neces, & cruciatus in ſcenam productos. Sic enim loquitur de partibus Fabulæ. Partes igitur Fabulæ duæ hic habentur: Agnitio, & Peripetia. tertia ſupereſt, perturbatio. Perturbatio verò eſt actio lethifera, ſeu doloris plena: veluti cum neces, cruciatus, vulnera, ceteraque huius generis palam fiunt. Nomine perturbationis hìc, quæ in Græco codice eſt πάθος, non affectum, & animi morbum intelligit, ſed perpeſſionem cædis, aut alicuius acerbitatis, quemadmodum ipſe rem declarat. Et profecto in eam ſententiam illam vocem πάθος interdum à Græcis accipi, oſtendit D. Athanaſius; qui orationem de Chriſti nece pulcherrimam inſcripſit περὶ πάθους κυρίου. De paſſione Domini: hoc eſt de perpeſſione cruciatuum, &c. Quapropter illa Tragœdia habebit huiuſmodi πάθος, quæ continebit perpeſſionem necis cruciatuum, &c. At Tragœdiæ, quæ habent cædes re ipſa perpetratas, & vulnera, ac propterea patheticæ nominantur, maxime ab Ariſtot. probantur in cap.xj. Ergo probantur maxime illæ in quibus cædes palam fiunt, vt dicitur hoc loco. Sunt enim maxime patheticæ.

An Ariſtoteles Tragœdias patheticas exiſtimet optimas, decernemus in capite proxime conſecuturo. Videamus nunc, an ijs verbis, quæ produximus, probet cædes palam, & in ſcena factas. Victorius quidem ita planè arbitratur: nec alias credit eſſe poſſe cædes palam factas, niſi eas quæ fiunt in proſcenio. eſt enim in Græco codice, οἷον, οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ. cuiuſmodi ſunt quæ in aperto fiunt neces. Sed

alij

alij omnes interpretes, cædes palam factas, aut in aperto positas volunt esse, quæ spectatorum, non quidem oculis, sed cognitioni per Nuntios, per collocutiones, & lacrymas Actorum subijciantur. Itaq. rectè Robertellus, & Piccolom. autumant, id solum sibi voluisse Aristotelem cum dixit ἐν φανερῷ; vt illæ cædes, cruciamenta, mala denique atrocia, quæ Fabulam faciunt patheticam, incognita, & occulta non sint. non erunt autem incognita, immo verò palam fient, si Nuntij rem explicatè, ac flebiliter euoluant, eorumque, qui mala patiuntur, lamenta, & conquestiones exaudiantur.

## *E superioribus errandi modis quisnam in Tragœdia præstantior sit. Cap. XXIII.*

QVartum illum modum, qui tum accidit, cum quis prudens, ac sciens aggreditur facinus, vel paratus ad aggrediendum iam est, sed, vel mutato consilio, vel inhibitus, impeditusq. minimè perficit, ait Aristoteles in eodem cap. xj. omnium esse deterrimum. E quibus, inquit, facinus aliquem aggredi prudentem, scientemq. sed minimè perficere, maximè videtur absurdum. neq. enim hoc Tragicum, atq. patheticum, sed scelerosum est. Quam quidem rationem, vt planius intelligamus, duo nosse nos oportet, de quibus admonemur à Petro Victorio. primum quidem, πάθος, quod commotionem animi, perturbationemque significat, interdum ab Aristotele dici vulnus, aut cædem ipsam: quia hæc maximè perturbant nos, & commouent affectus animi nostri. quod quidem πάθος, hoc est vulnera, cædes, funera, si desiderentur in Tragœdia, id sine dubio Fabula desiderabit, quod ei potissimum, ac præcipuè conuenit; cum ad misericordiam, terroremq. commouendum instituta sit: qui quidem affectus vulneribus omnino concitantur, & cædibus.

Alterum, quod animaduertere hoc loco debemus, illud est: homines eximiè, insignitèque scelestos non esse personas accommodatas Tragœdiæ, vt idem docet Aristoteles, & nos alibi disputabimus. non enim eiusmodi personæ, quæ supplicium commerentur, & mala postrema, possunt in audientium, ac spectatorum animis commiserationem aliquam inuenire, quæ commouetur eorum calamitatibus, qui minimè digni calamitatibus sunt. Ex his ergò, quæ certissima sunt Aristoteli, hanc ipse rationem ducit, quæ demonstrat, quartum illum peccandi, errandiue modum esse deterrimum. Qui sciens, ac prudens scelus facere conatur, aut aggreditur facere, sed impeditus non perficit, scelestissimus est. nullam ergò commiserationem merebitur. Ad hæc: ne timorem quidem vllum afferet, ac terrorem; cum nullæ

in

in hoc flagitio cædes ſint, nulla vulnera, quæ metum, ac pauorem incutiant. Igitur huiuſmodi peccatum, & error nihil habet pathetici, neq. Tragici, ſed tantummodo plurimum ſceleris, quod à Tragœdia, hoc eſt à Tragica perſona, quæ miſericordiam, terroremq. commouere debet, eſt alienum.

Ceterum quamquam hæc ita ſunt, non tamen hunc modum erroris, atq. hanc commutandæ fortunæ rationem prorſus explodit Ariſtoteles. Affirmat enim tantummodo, vſurpatum eſſe à poëtis rarò; quemadmodum intelligi poteſt ex verbis eo loco cõſequentibus, quæ ſunt huiuſmodi. Quapropter, vel nullus poëtarum hunc ſequitur modum, vel certè rarus: velut in Antigona Æmon. In hac enim Tragœdia Sophoclis, Æmon Creontem parentem conatur occidere; non tamen occidit; quia magna celeritate ictum irruentis filij Creon declinauit, ſibiq. conſuluit fuga.

Primum verò modum, qui tum adhibetur, cum aliquis intelligens, ac ſciens peccatum re ipſa committit, ac perducit ad exitum, ait Ariſtoteles eſſe quarto meliorem; quia pathos habet, hoc eſt cædem, atq. atrocitatem illam, quæ commouet timorem, & miſericordiam; qui ſunt affectus Tragœdiæ propoſiti. Videndum tamen eſt, ne is qui peccat, ita ſceleſtus ſit, vt propter eximiam improbitatem omnem omnino commiſerationem extinguat. debet enim talis eſſe, vt excuſari poſſit, & aliqua culpæ parte liberari. cuiuſmodi ſanè videtur Oreſtes; qui ad patris vlciſcendam mortem, interfecit matrem; ratus, pium ſe aduerſus patrem eſſe, dum illam occideret. Itaq. in Areopago variantibus Iudicum ſententijs, vt ait in Miloniana Cicero, iudicio Palladis eſt abſolutus. Alcmæonis item cauſa non omnino viſa eſt antiquis flagitioſa, & ſceleſta, propterea quòd ad placandos patris Manes matrem Eriphylem, à qua ille fuerat perditus, interemit; in ipſo flagitio, vt falsò veteres exiſtimabant, quodammodo pius. Quo loco operæ pretium puto id dicere, quod monet Ariſt. in eod. xj. cap. non eum modò dignum eſſe commiſeratione, qui cædem, vulnera, calamitatem patitur, ſed ſæpe illos quoque ipſos, qui cædem afferunt, & vulnera. videntur enim ad hæc adigi neceſſitate. Nunc autem, inquit, pulcherrimæ Fabulæ in paucis omnino familijs verſantur, vt ſunt Alcmæonis, Oedipodis, Oreſtis, Meleagri, Thyeſtis, Telephi, ceterorumq. generis huiuſmodi: quos vel facinora grauia perpetraſſe, vel ipſos pertuliſſe contigit. Quibus verbis quamquam diſertè non dicit, etiam eos, qui ſcelus admittunt, eſſe interdum miſeratione dignos, id tamen abditè, tectèq. ſignificat, cum ait, Tragœdias pleraſq. omnes circa eos verti, qui non modò patiuntur, & perferunt cædem, verum etiam eandem moliuntur, & perpetrant. Illi enim circa quos vertitur, & in quorum actionibus verſatur præcipuè Tragœdia, ſunt

ij,

ij, qui misericordiam, & timorem spectatoribus afferunt. Id verò suspicor eum propterea dicere, quòd necessitate quadam, vt antiqui perperam putabant, fatali, aliqui committere crederentur cædes, & scelera: quales erant illarum homines familiarum, quas supra commemorauit. videbantur quippe suorum maiorum vmbris, & furijs agitari ad scelus, & ad flagitium non incitari solum, sed impelli.

Secundum errandi modum, qui tum esse dicitur, cum aliquis ignorans quidem peccat, sed paulo post erratum agnoscit, docet Aristoteles esse probabiliorem, & meliorem primo. Est enim patheticus propter cædem, ac vulnera, & minimè scelestus propter ignorantiam sceleris. quin admirationem habet præterea magnam, vt videmus in Oedipo. Melius, inquit Aristoteles, est, imprudentem egisse, & cum egerit, agnoscere. id enim immane non est, & Agnitio parit admirationem.

Tertium, qui tum accidit, cum aliquis facturus est cædem, aut aliter peccaturus, non tamen cædem facit, aut peccat, quia rem, ac personam agnoscit; hunc, inquam, tertium modum ait Aristoteles, optimum esse, ac reliquis omnibus antecellere. Ipsum Aristotelem præstat audire. Optimum autem est postremum: dico autem vt in Cresphonte. Merope quippe parata iam erat ad filium occidendum, non interemit verò: quia eum agnouit. Et in Iphigenia, soror fratrem, & in Helle filius matrem dediturus item cognouit. Sic eo loco disputat: vnum decernens, ac docens, quod à multitudinis opinione vehementer abhorreat: quæ sic censet, & sic animum iam induxit suum: eas non esse verè Tragœdias, quæ felici exitu terminantur, & successu fortunæ melioris. Tantum enim abest, vt è numero Tragœdiarum expungi debeant, vt eas omnium etiam optimas appellet Aristoteles.

Sed emergit hinc difficillima quæstio. Nam alio loco, in ipso tamen vndecimo capite, Aristoteles omnibus omnino Tragœdiarum formis anteposuit eam, quæ cædes habet, aliaq. eiusmodi facinora re ipsa, hoc est absolutè, perfecteq. patrata. hinc autem exitus existit infelix, & lamentabilis Fabulæ determinatio. Non igitur illæ sunt optimæ, quæ secundum, & prosperum exitum nanciscuntur. Antequam ipsa profero Aristotelis verba, quę necesse erit interpretari, hoc vnum ponendum existimo: diuisisse eum illo loco Tragœdiam partitione quadam noua, in simplicem, & compositam; longè alio consilio, atq. in aliam sanè sententiam, quàm cum Fabulam in simplicem siue explanatam, atq. in compositam, complicitamq. diuiserat. Non enim eam appellat ibi compositam, quæ Peripetiam, aut Agnitionem habeat, simplicem, quæ careat vtraque: sed compositam dicit, quæ duas contineat fortunæ mutationes; felicem vnam, alteram infelicem; simplicem, quæ vna tantum fortunæ mutatione perficiatur. Duplex

plex apparet in Electra Sophoclis: in qua Fabula Ægisthus, & Clytemnestra, qui occiduntur, fortunæ mutationem habent aduersam; Orestes, & Electra, qui eorum cæde Manes vlciscuntur parentis, eiusdem fortunæ obtinent mutationem secundam. Cui similem prorsus ait Aristoteles esse Fabulam, & constitutionem Odysseæ. in qua Telemachus, & Vlysses fortunam secundam inueniunt, proci eandem offendunt aduersam. Simplex autem est in plerisq. Tragœdijs: vt in Oedipo, in Thyeste, in Iphigenia. vbi vna tantum est mutatio, vel à felicitate ad infortunium, vel ab infortunio, periculoq. præsentissimo ad felicitatem.

Quibus in hunc modum expositis; dico, duo esse, quæ ibi docet Arist. Primum: Tragœdiam illam videri pulcherrimam, quæ simplex est, & vnam tantummodo continet mutationem fortunæ. Necesse est, inquit, pulcram Fabulam ex vno potius genere constare, quàm ex duplici. Sed quia mutatio gradum habere potest, vel à felicitate in perniciem, vel à pernicie in felicitatem, adiungit secundum, quo docet, Fabulam illam pulcram ex vno constantem genere, hoc est vna tantum mutatione, eam esse, quæ commutata fortuna, infelicitate, ac miseria definitur. Sic enim dicere pergit. Cuius quidem non ex miseria ad felicitatem, sed contra ex felicitate transitus ad infelicitatem sit. Itaq. totius illius orationis hic est integer, perpetuusque contextus. Necesse est igitur pulcram Fabulam constare potius ex hoc vno genere, quàm ex duplici. cuius quidem non ex miseria ad felicitatem, sed contra ex felicitate ad miseriam mutatio sit. Paulo verò post Fabulam hanc simplicem infelicitate terminatam, non modò pulcram appellat, sed addito superlatiuo, pulcherrimam. eosq. reprehendit, qui Euripidem eo nomine minus probarent, quòd plerasque Tragœdias eiusmodi fecerit multas: cum propterea existimari, haberiq. debeat τραγικώτατος, hoc est, maximè Tragicus. Sed quoniam in eo sumus, vt verba, syllabasq. perpendere debeamus, ipsam item Aristotelis proponamus orationem, & textum verborum. Est igitur, inquit, illa Tragœdia pulcherrima, quæ facta sic fuerit. quamobrem ij decipiuntur, qui propterea damnant Euripidem, quòd hunc seruet, retineatq. suis in Tragœdijs modum; quarum pleræq. ab infelicitate inueniunt exitum. id quod maximè fit ex arte. argumento id esse potest; quòd in scenis hæ Fabulæ, si rectè recitentur, maximè Tragicæ videntur. Euripides autem ipse, quamquam Fabulas interdum minus benè contexit, maximè tamen Tragicus videri potest. Hæc verba pugnare procul dubio videntur cum ijs, quæ supra in medium produximus, cum ostendimus, Aristotelem præstantissimas omnium appellasse Tragœdias, quæ felicem exitum postremò nanciscantur. Ibi enim, hoc est in fine cap. xi. varijs expositis Tragœdiarum generibus, ab

Agni-

Agnitione, aut ab eorum errore, ac peccato vario petitis, qui labuntur in aduersam fortunam, ita loquitur. Optimum autem est postremum genus. dico autem, vt in Cresphonte: vbi Merope filium interficere debet, non tamen interficit. ita etiam in Iphigenia, soror fratrem: & in Helle filius matrem dediturus agnoscit. Repugnantiam, inquam, habere videntur hæc: quia vno loco certum Tragœdiæ genus appellat pulcherrimum; in altero præstantissimum, optimumque dicit contrarium genus.

Sed tamen repugnantiam in ijs esse nullã intelligemus, si animaduertamus vnum, quod viri quidam doctissimi monuerunt: non idem Aristoteli in loco priore pulcherrimum esse, quod in posteriore optimum est. Nam quid ibi pulcherrimum sit, postrema declarat eius loci clausula. qua dicitur, ac decernitur, Fabulas exitu absolutas infelici esse maximè Tragicas; & Euripidem esse maximè Tragicum: quia plerumque Tragœdias suas fine terminat infelici. Erit igitur Aristoteli eo loco μῦθος καλὸς, & καλλίστη τραγῳδία, hoc est pulcra Fabula, & Tragœdia pulcherrima, erit inquam, ea, quæ maxime Tragica est. Ea verò quæ maxime est Tragica, est pathetica, hoc est illa, quæ cædes habet re ipsa patratas, atque infortunium absolutè, perfectèq. consecutum, vt ante iam diximus. Neque vero sequitur hinc, huiusmodi Fabulas debere etiam dici optimas, quia maxime Tragicæ sunt. Nam esse maxime Tragicum non est habere omnia, quibus absolui omnium optima Tragœdia possit, sed habere πάθος, hoc est atrocitatem, interitus, vulnera, cædes. Quid igitur est Aristoteli optimum, & quid ille significat cum enumeratis omnibus omnino Tragœdiarum generibus, ait ad extremum, κράτιστον δὲ τὸ τελευταῖον; vltimum autem optimum est; exponitque vim optimi in Iphigenia in Cresphonte, ceterisque Fabulis huiusmodi, quæ mutationem fortunæ felicem habent? Responderim, Aristoteli eo loco, genus optimum id esse, quod absolutione rerum perficitur omnium, quæ non in probabili tantum, & bona, sed in perfectissima Fabula postulantur. cuiusmodi est dispositio, nodus, solutio, Agnitio, Peripetia, aliaque longè plurima, quæ laudatissimam faciunt, ac perficiunt Fabulam: in primisque id, quod facere possit, vt facilius purgentur affectus, atque illi restituantur mediocritati, quam Tragœdiæ propositam esse declarauimus. Hoc nimirum ex ipso intelligimus Aristotele planissime; cum Eripidem dicat esse maxime Tragicum, sed malè contexere, ac disponere Fabulas. consequens enim est, id etiam Aristotelem significare, ac dicere; eundem Euripidem esse quidem maxime Tragicum, sed non optimum; cum illam dispositionem, & contextum Fabulæ non habeat, quæ optimæ Tragœdiæ deesse non debet.

Igitur, vt breuissime comprehendamus omnia, genus Tragœdiæ

maxime Tragicum est genus patheticum. patheticum genus est, in quo cædes, vulnera, aliaque huiusmodi crudelitatis, atrocitatis, infortunij postremi re ipsa accidunt argumenta. Hoc ipsum maxime Tragicum, & patheticum genus appellatur quidem pulcrum, sed non necessariò dicitur etiam optimum: cum sæpe careat ijs rebus, quæ genus faciunt optimum. optimum enim illud est, quod felicitatem in exitu reperit. est autem optimum quia multa sanè habet, quibus carere solet plerumque id, quod infelici fine concluditur. Habet quippe dispositionem elegantiorem, nodum, solutionem, Agnitionem, & cum Agnitione Peripetiam; quas sæpenumero patheticæ Fabulæ non habent. quod si habeant, deteriores tamen his sunt, quæ felicitate, fortunaque in melius commutata clauduntur. Illa enim terminatione felici, ac læta temperatur acerbitas rei, faciliusque commiseratio, terrorque purgantur, hoc est, ad eam rediguntur mediocritatem, ad quam affectus illos redigere conatur Tragœdia, quæ in hanc gratiam, vt huius initio libelli disseruimus, est instituta. Huc accedit, quòd spectatores hauriunt multo maximam è spectaculo voluptatem, cum vident, viros infelices ex eo periculo demum euasisse. Itaque fit, vt huiusmodi Tragœdiæ, non modo voluptatem afferant imitationis beneficio, quod est commune cum omnibus, verum etiam exitu illo felici, & eius depulsione periculi, quod terrore animos, & commiseratione maxima conturbauerat.

Neque verò in his Fabulis ea miserationis, timorisque commotio desideratur, quæ singulis necessaria Tragœdijs est. Impelluntur enim, & concitantur affectibus illis maxime spectatores, cum eò rem, atque in illas angustias adductam vident, vt qui versatur in discrimine, nulla elabi ratione posse videatur: Sunt igitur in hisce Tragœdijs eiusmodi commotiones; & est præterea secundus exitus, quo commotiones illæ temperentur, atque ad iustam mediocritatem redigantur. Id vero non ideo dicimus, quòd ea mediocritas negligi debeat in pathetico genere; sed quòd in hoc læto, felicique multo facillime comparetur.

## *An insigni, vel probitate, vel scelere præditi homines idonei Tragœdiæ sint. Caput XXIV.*

EX ijs quæ pronunciauimus, quæstiones suboriuntur aliquæ, quas tractare singillatim oporteat, & explicare. Sit igitur hæc prima. Num insignitè boni, aut eximie flagitiosi homines depelli prorsus è Tragœdia debeant. In quo tamen animaduertendum id est: non hic de singulis personis, quæ in Tragicis Fabulis inducuntur, sermo-

nem

nem eſſe. multos quippe in ijs videmus agere, ac loqui Tyrannos, & profligatos homines: ſed de ijs nominatim, qui vel ſuo, vel alieno peccato, atque errore in aduerſam lapſi fortunam, aut è periculo repente ſubducti, commiſerationem, terroremque ciere in ſpectatorum animis facillimè debent.

De his ergo in cap.xj.id primò decernit Ariſtoteles: excellenti probitate, iuſtitia, & ſanctimonia viros non eſſe eos, qui principes agere partes in Tragœdia poſſint, hoc eſt illas, quæ commiſerationem exprimunt, ac terrorem. Rationem reddit obſcuram, atq. oppidò difficilem; quæ perpendenda, exponendaq. diligenter eſt. Torſit enim omnes interpretes; nec Latinos modò, ſed etiam Arabes in diuerſa diſtraxit. Nam Auerroës ipſe Ioſephum illum ſacris nobilitatum hiſtorijs, accomodatum eſſe argumentum Tragœdiæ confirmat, cum hunc Ariſtotelis locum per paraphraſim explicat. At hoc homine nihil fieri melius, nihil ſanctius, nihil iuſtius, nihil innocentius poteſt. Itaque ne ille quidem, qui Ariſtotelis oracula ſe profitetur imperitis euoluere, potuit hoc loco eiuſdem Ariſtotelis, non dico rationem ſententiæ ſubiunctam, ſed ſententiam ipſam interpretari.

Ratio igitur eſt huiuſmodi. quòd aduerſa innocentium, ac ſanctiſſimorum hominum fortuna, neq. commiſerationem, neque terrorem queat excitare; cum ea res nihil miſerandi, aut terribilis habeat, ſed impij plurimum, ac ſceleſti. Primum, inquit, certiſſimum eſt, minime decere, bonos, & æquos viros ex felicibus infelices factos in ſcenam proferre: hoc enim neq. formidoloſum eſt, neq. miſerabile, ſed ſceleſtum, & odio dignum acerbiſſimo. Ita quippè placuit extrema huius rationis interpretari verba, & latina facere, quæ Græca ſic ſunt. οὐ γὰρ φοβορὸν, οὐδὲ ἐλεεινὸν, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν. Quibus ſanè verbis quid ſibi voluerit, ac ſignificauerit Ariſtoteles, haud ſatis liquet. Varij enim interpretes de germana ſententia iudicarunt variè. Ac Robertellus quidē, ratus, propter ea, quæ docet idem Ariſtoteles in ſecundo Rhetoricorum, viros bonos idoneos eſſe maxime ad miſericordiam concitandā, quippè qui calamitate videntur indigni, eaq. fortuna, qua feriuntur aduerſa; confirmauit, eumdem Ariſtotelem nihil hic ijs, quæ docuit in Rhetoricis contrarium dicere: ſed expungere viros eximiè bonos à Tragœdia, non quòd ad miſericordiam ſua calamitate commouendam accomodati non ſint, ſed quòd timorem ſpectatoribus incutere non poſſint. Neq. enim omnis omnino commiſeratio, inquit, Tragœdiæ propria eſt, ſed nominatim ea, quæ cum timore coniuncta, copulataq. ſit. Verùm ſine dubio fallitur hic interpres. Nam Ariſtoteles ait diſertiſſimè per diſiunctionem, huiuſmodi tam ſanctos, & iuſtos viros neq. terrorem, neq. miſericordiam commouere. οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐ δὲ ἐλεεινὸν. neq. terribile, inquit, hoc eſt, neq. miſerabile. non igitur coniun-

git cum commiseratione terrorem, sed potius abiungit, affirmans, nullum ex ijs affectibus in ea Tragœdia commoueri, cui optimi sanctissimiq. viri præbeant argumentum. Itaq. non modo vult in ea Fabula non posse commoueri terrorem, sed ne misericordiam quidem.

Alij putarunt idcirco viros huiusmodi ab Aristotele repudiari, nec in Tragœdiam admitti, quòd periculum sit, ne spectatores impiam de Dijs animo consignent opinionem, si videāt, tam iustas immerentesq. personas improborum exponi contumelijs, & iniquè vexari. Suspicabuntur enim facilè hæc intuentes spectatores, Deum, vel non intelligere res humanas, & quæ geruntur in terris, vel easdem, si noscit, negligere, ac pati terrarum orbem cæca fortunæ temeritate, casuq. administrari. Hæc ratio valere fortassis ijs tēporibus potuit plurimum: sed longissimè distat ab ijs quę loquitur hic Aristoteles. Nullam quippè religionis, aut Deorum mentionem facit, cum hæc innocentissimorum, ac iustissimorum hominum in exitium incidentium exempla dispungit: sed ait tantummodo, id neq. miserandum esse, neq. terribile, sed scelestum. Nam quod aliqui velint id intelligi debere ex voce illa Gręca μιαρὸν, minimè probandum existimo: cum ei nulla huiusmodi notio subiecta sit, quæ significare possit, Aristotelem velle, periculum subesse, ne nos irascamur áduersum Deos, cum immerentes, & sanctissimos homines afflictari conspicimus. Est enim μιαρὸν improbum, scelestum, execrandum, & quod dignum odio capitali putatur: ac propterea verba illa latinè sic reddere sumus ausi. Non enim hoc est miserabile, vel terribile, sed scelestum, & odio dignum acerbo, vel detestabile.

Audiendus igitur est, & probandus Alexander Piccolomineus; qui veram eius rationis, solidamq. sententiam è postremis illis Aristotelis exprimit verbis, ita coniunctis, vt in oratione sunt. Docet enim, cur eiusmodi exemplum infelicitatis dixerit, nec terrificum esse, nec miserandum. Docet autem, affirmans, id Aristotelem velle: eorum animum, qui spectandæ Fabulæ dant operam, sic exardescere odio aduersus eorum scelus, atq. improbitatem, qui iustissimos, atq. innocentissimos viros per non ferendam iniuriam vexant, vt misericordiæ, terroriq. nullus omnino locus relinquatur. Etenim res est commiseratione, ac terrore dignissima; cum & misericordiæ motus ex immerentium pœna incrementum capiat, & terror augeatur ex eo, quòd nobis ipsis, qui tam pij, iustique non sumus, eiusmodi malum multo magis timere debeamus: sed tamen odio, quod è scelestissimo conceptum est facinore, ita totus occupatur animus, vt de miseria illa, deque periculo sibi etiam imminente cogitare non possit, nec locum ceteris affectibus inuenire, vna regnante iam ira ex detestabili flagitio concitata. Itaque frustra laborat Casteluitrus,

cum

cum Aristotelem premere se putat rationibus longè grauissimis, quæ demonstrent, innocentes, quo maiore præditi virtute, ac sanctimonia sunt, hoc magis inserere spectatorum animis metum, & commiserationem posse. Non enim hoc negat Aristoteles; ex innocentissimorum hominum miseria nasci posse, si ea miseria solitariè spectetur, nec animus de illius auctore calamitatis cogitet: sed contendit, in Theatro, vbi non modò illa exhibetur iustissimorum hominum pernicies, sed improbitas auctorum detestabilis, spectatores ita occupari odio, iraque, vt terrorem, & commiserationem depellere, ac prope dispungere cogantur ex animo. Hæc de viris eximiè bonis, ac iustis decreta sunt.

Sequuntur homines insignitè improbi, ac scelesti. quos Tragœdiæ aptos non esse intelligi ex eadem ratione vult Aristoteles: quòd nimirum, neq. commiserationem, neque terrorem excitent, sed odium potius pariant, & execrationem. Et quoniam huiusmodi homines improbi commutationem fortunæ duplicem nancisci possunt, vel ab aduersa in secundam, vel à secunda in aduersam; alterum profert in hac quæstione sancitum huiusmodi. Scelestissimos homines inducere ab exitiosa fortuna euectos ad prosperam, à Tragœdiæ ratione maximè alienum esse. Ratio, vt diximus, eadem est: sed roboratur tamen, ac magis amplificatur. Confirmat enim, non modò nullam ea fortunæ mutatione misericordiam, aut timorem in animis excitari, sed ne illam quidem commotionem, quam Græci dicunt φιλανθρωπίαν. hæc verò animi quædam affectio est, sic insita naturę, vt euelli non queat, nisi à nobis extirpetur humanitas; atq. ideò latinè reddi non potest, nisi humanitas appelletur. Vt autem dicamus hæc explanatius; philanthropia est commiserationis quædam forma, & species, qua mouemur etiam erga inimicos priuatos, hostesq. publicos, si eos fortè aliquo inusitato, inauditoq. tormentorum genere videamus excruciari. Nam quia odio eos prosequitur animus immortali, commiseratione propria prosequi non potest: quæ tum commouetur cum aliquos aspicimus cruciamento, aut alio malo vexari, quo illi digni minimè putentur à nobis. At inimicos omnibus dignos malis existimamus. nihilo minus tamen eorum quoque, quos odimus, acerbissimis cruciatibus permouemur: quia philanthropia illa, quæ vox amorem erga homines nobis insitum, & naturalem significat, debilitari quidem potest, ac minui, tolli omnino, & euelli non potest. Itaque videtur hæc philanthropia nihil aliud esse, nisi misericordia quædam remissior, & quodammodo debilitata. Contendit igitur Aristoteles tantum abesse, vt ea commutatio fortunæ, misericordia vlla possit afficere spectatores, vt ne mouere quidem queat philantropiam; quæ misericordiæ quidam quasi gradus est remissus, maximeq. debilita-

tus. Hæc autem affectio moueri non poteſt,quia nulla mala ſunt,quæ doleat philanthropia, vbi fortuna flagitioſis aſpirat.

Tertio loco pronunciat, ſceleſtiſſimos item homines, & palmari aliquo notatos flagitio à florente fortuna in incommodam, aſperamque prolapſos diſpungi à Tragœdijs oportere. Ratio eadem eſt,& ex eodem fonte petita, hoc eſt à fine, qui Tragœdiæ propoſitus dicitur. Neque enim eiuſmodi perſonæ commiſerationem vllam, terroremq. ciere poſſunt. non commiſerationem; quia propter inaudita ſcelera, mortalium omnium miſericordia ſunt indigni: non terrorem; quia nobis minimè ſimiles ſunt,inquit Ariſtoteles. Ex eo enim oritur terror,quòd metuamus,ne nobis etiam is caſus accidat,quem alijs,probitate nos,vel vincentibus, vel æquantibus eueniſſe conſpicimus. At qui ſceleris tantam habent exuperantiam, flagitio, atq. improbitate nos vincunt.

Quarto itaq. loco, reliquum eſſe ſtatuit, vt Tragœdijs idonei tantummodo ſint,qui ſuperioribus hiſce, hoc eſt,ſanctiſſimis, ſceleſtiſſimiſq. quadam quaſi probitatis mediocritate ſunt interiecti. Huiuſmodi autem ſunt,inquit,qui nec virtute, iuſtitiaue antecellunt alijs, nec prauitate, vitioue aliquo inſigni præditi ſunt, ſed humano quodam errore ex magna dignitate, ac fortuna in magnam ſint infelicitatem delapſi:qualis eſt Oedipus, Thyeſtes, alijq. generis huius illuſtres,ac nobiles viri. Ita decernit Ariſt.

## *An illæ Tragœdiæ felici exitu terminatæ dici potius Tragicocomœdiæ debeant.* Caput XXV.

GEnus quoddam dramaticæ Fabulæ nouiſſimè fuit à noſtris ipſorum poëtis excogitatum in Italia, quod Tragicocomœdiam appellarunt. Et quoniam læto illud exitu concludunt, in animum vulgus induxit ſuũ,omnes omnino Fabulas Tragicas, quæ felici terminantur fine,Tragicocomœdias eſſe dicendas.Videndum eſt igitur, quid habeat hæc noua Tragicocomœdia proprium: vt intelligamus, an his ſimiles illæ ſint exitu proſpero perfectæ Fabulæ, quas non modo Tragœdias,ſed Tragœdiarum primas appellat Ariſtoteles: cuiuſmodi fuiſſe ait Iphigeniam.

Hæc noua poëtarum Italorum Fabula ex Tragœdia, Comœdiaque compoſita, quemadmodum indicat nomen, felici quidem, lætoq. abſoluitur exitu: ſed lætus,& felix Fabulæ finis non poteſt per ſe Tragicocomœdiam conſtituere, niſi cetera, quæ Tragœdiæ, Comœdiæque ſunt magis propria,coniungantur; vt ex ijs tertia componatur Fabula. Lætus enim exitus Tragœdiæ aduentitius eſt; adeoq. in pleriſq.

sine reprehensione desideratur: & si ab Iphigenia occideretur Orestes, sua laude illa Tragœdia non careret. Itaq. Fabula dici non debet habere aliquid ex Tragœdia proprium, quia læto successu actioni dramaticæ finem imponit. Immo verò felix exitus ne Comœdiæ quidem omnino proprius dici deberet: cum interdum etiam in Tragœdia reperiatur. Neq. enim ea, quæ verè propria sunt, communicantur cum alijs. Quæ nam igitur erit ea rerum propriarum communio, coniunctioque, quæ mediam, ac tertiam conflare Fabulam possit ex Comœdia, Tragœdiaq. compositam? Respondeo breuissimè: duo componi oportere; hoc est vtriusq. Fabulæ finem; & personas. His enim duabus notis omnino certis, minimeq. fallentibus illæ Fabulæ secernuntur. Finis autem à nobis hic dicitur, non exitus, & clausula Fabulæ, sed scopus, & id, quod Fabulæ, Fabulæque scriptori propositum est. Huiusmodi finis, si Tragœdiam spectes, est commiseratio, & timor; si Comœdiam, risus. Vt enim Tragœdia, perturbandis affectibus illis grauioribus, eos purgat, demonstrans quid timere, quid prosequi misericordia debeamus, ita Comœdia, commouendo risu, docet nos ineptias, & stultorum insanias irridere: ostenditq. quid risu dignum sit è tam multis humanæ vitæ negotijs, quæ quotidie mortalium infinita contentione transiguntur. Personæ haud minus inter se differunt, quàm fines vtriq. Fabulæ propositi. Nam Tragicæ sunt illustres, vt alibi diximus, & dominatum aliquem, aut imperium obtinentes: Comicæ sunt mediæ, ac plebeiæ, vt in libello de Comœdia demonstrabimus.

Itaq. Tragicocomœdia nō poterit iure vlla Fabula dici, quæ finem Tragœdiæ, Comœdiæq. tam varium non vnà coniungat; quæq. personas non permisceat omnes, faciatque, vt ordines primi cum infimis, medij cum vtrisq. proferantur in scenam: eo prorsus modo, quo Plautus in Amphitruone Mercurium, & Iouem gregalibus illis medijsq. personis adiunxit. Quamquam ea Fabula Comœdia dici debet, quia risus, ac ioci tantummodo tractationem habet: affectus illos Tragicos non attingit. Quod si eam Plautus ipse Tragicocomoediam appellat in prologo; per iocum appellat, non seriò: ad occupandum videlicet locum, & reprehensoribus eripiendam ansam; qui mirari poterant, cur poëta Comicus induceret Deos. His enim accusatoribus per iocum respondet: dare ijs se veniam, vt si minus eam dicere velint Comoediam, Tragicocomoediam nominent.

His ergò constitutis, affirmatè pronuncio, veteres illas Fabulas antiquorum poëtarum, Euripidis, Sophoclis, Æschyli, aliorumque, quæ redeunte fortuna terminantur, non Tragicocomoedias appellandas esse, sed Tragoedias. Nam præterquamquòd ita nominantur ab Aristotele, simplex ipsa Fabula, hoc est actione Tragica, Comicaq. mini-

mè composita, plane declarat, nihil eas habere cum Comoedia commune, cuius causa dici Tragicocomoediæ debeant. Non enim in ijs finis vtriusque Fabulæ committitur: cuiusmodi est commiserationis terrorisque, ac risus commotio; non personæ Regiæ, plebeiæq. permiscentur. quæ profecto necessaria sic sunt, vt si vel vnum ex ijs desideretur, Tragicocomoediæ constitutio esse vlla non possit.

Quæret hic ad extremum aliquis: an licuerit nostris nouum hoc Fabulæ genus extundere. Sed hanc ego quæstionem explicabo in libello de Comoedia: vbi præsidia designaturus sum, quibus tueri se possint, qui hoc poëticæ dramaticæ genus vel instaurarunt, vel inuenerunt. Placet hic tantum adscribere Aristotelis locum ex cap. xi. paulo ante medium, in quo videtur quidem mentionem eiusmodi poëmatis facere, sed illud non omnino probare. Cum enim varias enumerasset Fabulas, de quadam non ita probabili sic loquitur. Sequitur ea, quæ à non nullis primo loco collocatur, ex duplici genere compositio. quo ex ordine Odyssea est: quæ diuersa ratione partim ex præstantioribus personis, partim ex humilioribus constat. Huic sanè primas tribuit theatralis imperitia. quippe poëtæ hanc auram sequuntur: ceterum voluptas illa non Tragoediæ, sed Comoediæ propria est: in qua qui fuerunt inimicissimi, velut Orestes, & Ægisthus, reconciliata gratia demum discedunt, nullusq. obtruncatur ab altero. Videtur, inquam, his verbis Aristoteles, illud hoc loco genus indicare: sed quia rem non probat, istorum poëtarum causam alio tueri præsidio conabimur in ea, quam de Comoedia disputatione molimur.

## *An Argumentum Tragœdiæ possit esse planè confictum, & commentitium. Caput XXVI.*

HÆc verò quæstio percelebris est, & grauissima. Quæritur enim an quemadmodum in Comoedia, & res ipsa, quam imitatur poëta, & eorum nomina, quos inducit, ex ingenio planè finguntur, sic etiam in Tragoedijs comminisci liceat argumentum illud, quod datur in scenam, atq. Actorum imitationi subijcitur. Multa pronunciat in hanc sententiam Aristoteles, quæ sunt à me proferenda per partes, vt de quæstione facilius, clariusq. constituatur.

Ait ergò primum in cap. viij. non esse poëtæ, ita res gestas exponere, vt omnino sunt gestæ; sed quemadmodum vel verosimile, vel necesse est eas geri potuisse, aut debuisse. Hoc differt, inquit, ab historico poëta; quòd hic generalia sequitur, & vniuersa, ille propria quædam, & peculiaria consectatur. Significat nimirum, poëtæ propositum, & consilium esse, non Achillem describere, aut res gestas Achil-

lis, ſed in Achille, fortiſſimi ſpeciem Imperatoris exprimere: hiſtorico verò, ipſas nominatim, ac propriè res exponere, quas geſſit Alexander, eoq. planè modo, quo geſtæ ſunt. Atq. hinc intelligi vult; hiſtoria nobiliorem, & præſtantiorem eſſe poëſim: quippe quæ generalia perſequens, & communia, proximè ad philoſophiam accedat; hiſtoria verò peculiaria tractans, & propria, à ratione ſcientiæ, ac philoſophiæ diſcedat. Quo fit, inquit, vt ſapientius quiddam poëſis, quàm hiſtoria ſit. ſiquidem in aliqua re generali, atque communi, hæc in propria, & peculiari verſatur. eſt enim generale, quæ cuiq. conueniat dicere, vel facere veroſimiliter, aut neceſſariò; id quod ſpectat poëſis, cum nomina imponat: contrà verò peculiare aliquid eſt, exponere quid ipſe fecerit Alcibiades, tuleritq. Apud Comicos manifeſtum id eſt: qui Fabulas ex veroſimilibus conſtituentes, nomina pro arbitratu comminiſcuntur. Sed ex his Ariſtotelis verbis conſequens eſſe dicet aliquis, Comoediam videri Tragoedia præſtantiorem; cum Comoedia confingat nomina, quæ fingere, atq. imponere ex ingenio, Tragoediæ non licet. Si enim ficta, atq. impoſita nomina argumento ſunt, poëtam ſequi quod eſt generale, ac propterea anteponendum hiſtorico eſſe, cui fingere nomina non licet, ſequitur, Comoediam, quæ comminiſcitur, & fingit perſonarum nomina, eſſe præſtantiorem Tragoedia, quæ nomina retinet vera, eaq. fingere, & comminiſci non debet. Sic enim ipſe ratiocinatur, ac diſputat Ariſt. Poëſis multo præſtantior eſt, quàm hiſtoria; quia ſequitur vniuerſa quædam, & generalia in veroſimili argumento. quarè ipſa etiam imponit nomina pro arbitratu; quod potiſſimum fieri videmus in Comoedijs. Reſpondendum cenſeo, illam nominum ex ingenio fictorum impoſitionem argumento eſſe, poëtam generalia ſequi: adeoq. poſſe oſtendere, poëtam vniuersè hiſtorico nobiliorem, ac præſtantiorem eſſe, qui peculiaria tractat, atque in ſingulari verſatur argumento; quod erat Ariſtoteli propoſitum. ſi tamen poëtices variæ formæ, ac genera, non quidem cum hiſtoria comparentur, ſed conferantur inter ſe, non poſſe illam eandem nominum impoſitionem efficere, vt ea poëticæ ſpecies, quæ nomina comminiſcitur, magis generalia ſequatur, ac propterea præſtãtior, quàm ceteræ ſit. Quamquam enim Tragoedia nomina retinet vera, quæ ſumit ab hiſtoria, in certis tamen illis perſonis, non peculiaria quædam exprimit, ſed generalia, hoc eſt, rerum terribilium, ac mirabilium formas illas perfectas, quas intuemur animo, non cernimus oculis. Quarè Tragoedia haud minus generalia complectitur, quàm Comoedia, nec ex eo fonte maior peti, minorue præſtantia poteſt, ſi poëticæ genera inter ſe comparentur. Ceterum videamus quid de hac nominum impoſitione loquatur, ac ſtatuat Ariſtoteles. Poſſumus enim aliam quoque reſpondendi rationem inire,

inire, si fortasse Tragœdiæ nomina interdum comminisci fas sit.

Ait igitur secundo loco: in Tragœdijs vera personarum nomina retineri, & eam potissimam, ac validissimam esse rationem, cur retineri sic debeant, quòd Tragicum poëtam proferre verosimilia prorsus oporteat, ad mouendos auditorum illos graues timoris, & commiserationis affectus. Non est autem ita verosimile, fuisse Reges, quorum nomina ignorentur, vt est credibile, fuisse gregarios aliquos ciues, obliteratis iam nominibus, quos Comœdia possit imitari. Itaq. veteres Tragœdiæ, vt idem monet Aristoteles, in paucissimis omnes versatæ familijs sunt, quarum Heroës, ac Reges ex notissimis populo nominibus agnoscebantur. Sed hic illud est intelligendum: vnà cum nominibus aliquid etiam rei gestæ retineri: nec mutari quod de Oedipo dicitur: occidisse nimirum patrem; ac matrem ignoto stupro violasse. Quia tamen huic rei gestæ adduntur infinita, quæ poëtarum excogitat ingenium, idcirco dicuntur sola personarum interdum nomina ex historia retineri.

Ait tertio Tragœdias esse quasdam, in quibus vnum aut alterum nomen retineatur ex veris, cetera confingantur. Sed tamen hic etiam est animaduertendum, quod modò diximus; cum hoc vno, aut altero nomine sumi præterea ab historia, & inseri Fabulæ aliquam rei gestæ perexiguam partem: quæ figmentis sic amplificatur, commutaturque, vt sola personarum nomina ab historia desumpta esse videantur. Et quoniam in tanta Tragicorum varietate poëtarum, hoc etiam ausi fuerant nonnulli, vt, & nomina, & argumentum totum comminiscerentur;

Ait quarto loco; Tragœdias aliquas esse, quæ, tum nomina, tum etiam rem ipsam, & argumentum confingant totum: sic prorsus, vt nihil ab historia mutuentur, nihil habeant veri. Huiusmodi fuisse confirmat Agathonis Tragœdiam, quæ Flos dicebatur. Aliæ, inquit, Fabulæ tamen sunt omnino commentitiæ: qualis est Flos Agathonis: quæ tametsi res ipsas planè omnes fingunt, & nomina omnia, placent tamen, & auditores oblectant. Itaq. probat quidem magis Aristoteles Fabulas illas, quæ veris vtuntur nominibus, verèq. rebus gestis, veluti fundamentis innituntur, has tamen omnino non improbat: additq. rationem, cur improbandæ non videantur. Ait enim etiam illa nomina vera, & res veras, quæ retinentur in perfectioribus Fabulis, esse multis ignotas; qui tamen earum spectaculo moueantur, & delectentur: ex quo debeat intelligi, fictis hisce Tragœdiarum argumentis, fictisq. nominibus posse, non quidem æquè, sed tamen posse spectatorum animos ad misericordiam, timoremq. compelli.

Quapropter ex his, quæ docentur ab Aristotele, ita profligari atq. ad exitum perduci tota quæstio potest. Tragœdiarum genera, si va-

rium earum, ac multiplex ſpectemus argumentum, eſſe tria: primum abſolutiſſimum omnium, ac perfectiſſimum, maximeq; ciendis affectibus accomodatum; hoc eſt illud, in quo vera nomina retinentur, & res ipſa eſt etiam vera, quæ Fabulæ fundamentum ſuppeditat: ſecundum, minus abſolutum perfectumque; in quo nimirum nomen vnum, aut alterum perſonarum verum eſt, cetera commentitia, & ficta omnia: tertium imperfectiſſimum, nec cum alijs de præſtantia, & dignitate contendens; hoc eſt illud, in quo, non ipſa modo nomina, ſed etiam res planè omnes ingenio poëtæ ſunt excogitatæ. Hæc eadem ſententia fuiſſe videtur Horatij; cum laudet maximè argumentum vetus, de medio ſumptum, atq. notiſſimum; ſed longè alia ratione diſpoſitum quàm tractatũ prius ab alijs ſit. Poſſunt enim Medea, Iphigenia, Thyeſtes, aliæ veterum Tragœdiæ peculiari aliquo artificio ſic diſponi, vt earum argumentum nouum eſſe videatur. quod idem docet Horatius.

*Rectius Iliacum carmen producis in actus;*
*Quam ſi proferres ignota, indictaq. primus.*
*Publica materies priuati iuris erit, ſi*
*Non circa vilem, patulumq. moraberis orbem.*

Hæc, inquam, cum dicat Horatius, videtur velle, perfectiſſimæ argumentum Tragœdiæ peti debere non modo à re vera, vel ab hiſtoria, ſed nominatim ab ea, quæ nota ſit, vt & facilè percipiatur ab omnibus, & eam habeat fidem, quæ poſſit commiſerationem, & lacrymas excitare.

## *An Tragœdia ſit Heroico Poëmate præſtantior.* *Caput XXVII.*

QVoniam in proximè ſuperiori diſputatione fuit Tragœdia cum hiſtoria, & cum ipſa quoq. Comœdia comparanda, conferamus eandem etiam cum Epica, illamq. tractemus compendio quęſtionem, quam Ariſtoteles explicat in cap. poëtices xxiv. quod eſt extremum. vbi eorum primò rationem, atque argumentationem proponit omnem, qui Tragœdiæ anteferebant Epicam, in hunc modum. Ea poëſis eſt præſtantior, quæ paucioribus indiget adiumentis, atq. præſidijs extrinſecus accerſitis ad imitationem ſuam. Epica paucioribus eget, quàm Tragica: cum hiſtrionibus vtatur leuiſſimis, apparatu, ſaltationibus, harmonia. Quæ profecto nihil ſignificant aliud, niſi Tragoediam comparatam eſſe in gratiam ſpectatorum minus intelligentium, atq. imperitorum; Epicam in gratiam doctorum hominum, atque prudentium, qui neceſſe non habent ab hiſtrionibus,

atque

atque à Choricis discere, vel nosse facilius ea, quę poëta versibus imitatur.

Quibus ita propositis, hoc modo respondet Aristoteles: Tragoediam habere vim suam sine apparatu, atque harmonia. quæ partes quamquam adnumerantur inter eas, quæ dicuntur qualitatis, externæ tamen sunt, atq. ipsi aduentitiæ Tragoediæ. Quare si legatur tantum, histrionesq. remoueantur omnes, atq. apparatus Theatri, commiseratione tamen, ac timore legentem afficiet ipsa per se. vt ex hoc facilè intelligere debeamus, Chori cantum, Actorum gestum omnem, ac motum, ceteraq. huiusmodi, additamenta quædam esse, ac præsidia extrinsecus accidentia: quæ ipsi etiam interdum adiungebantur Epopoeiæ; cum à Rhapsodis voce, ac cantu recitaretur, aut ageretur etiam ab histrionibus ipso gestu corporis, ac scenico motu: vt ibidem docet Aristoteles, ea, quæ ab istis obijciuntur ita confutans. Primum, inquit, huiusmodi accusatio non poëticæ, sed histrionicæ est. Nam ipsi quoq. Rhapsodi, dum munus obeunt suum, hoc adiungunt opificium Epicæ, vel recitantes, hoc est modulatè canentes hexametros, quod Sosistratus facere solitus erat, vel etiam agentes, addito gestu, motuque; quod Mnasitheus faciebat Opuntius. Ita placuit ex interpretum auctoritate reddere per paraphrasim Aristotelis verba non nihil obscura; quibus egregiè tela regerit in aduersarios. Reprehendunt enim illi leuitatem actionis scenicæ, qua careat Epopoeia. At hæc, inquit, non est poëtæ, sed histrionum. Contendunt, Tragoediam multis vti præsidijs externis, quæ demonstrent quandam quasi poëmatis inopiam, aliunde petentis adiumenta. At eadem præsidia ipsa quoq. sæpe numero poscit à Rhapsodis Epopoeia: de quibus lege quæ disputauimus in Virgilianis Vindicijs, loco primo lib. Æneid. iij. Non potest igitur illo nomine despici Tragoedia, quin ipsa etiam Epica contemnatur. Habet hoc quidem amplius Tragoedia, quòd in eam gratiam facta est, vt agatur. Sed tamen id facere non potest, quin actio Tragoediæ quiddam externum, atq. aduentitium sit. Vel illud argumento est, quòd cum legitur, ad eosdem animum impellit affectus, ad quos commouet, cum agitur in proscenio.

His summotis obicibus, explicatè docet Aristoteles, Tragoediam esse præstantiorem Epica, & meliorem. docet autem duabus potissimum permotus rationibus, quas ita disponit.

Tragoediæ suppetunt omnia, quæ habet Epopoeia. Est enim Tragoedia quoq. versibus expressa, perfectaq. numeris imitatio, quemadmodum est Epopoeia. igitur in illo genere pares sunt. Sed accedunt illi præterea multa, quibus caret Epopoeia: vt Peripetiæ, Agnitiones, nodi varij, solutiones, spectaculum, apparatus, harmonia; quæ delectationem afferunt ampliorem. ergo Tragoedia debet haberi

præ-

præstantior. Hic tamen vnum animaduertere necesse est: Petrum Victorium, & Alexandrum Piccolomineum existimasse, Aristotelem in hac ratione, quam exposuimus, dare veniam Tragoediæ, vt versibus vtatur Heroicis. quod si verum esset, euerteretur quod huius operis initio diximus. Sed re ipsa nihil huiusmodi apud Aristotelem hic est. Putant autem illum hac ratione tractanda sic esse locutum. Habet Tragoedia quicquid habet Epica; est enim imitatio per metrum hexametrum, vel Heroicum. Id, inquam, censent, Aristotelem dixisse: nihil tamen apud eum hic huiusmodi reperias; sed tantummodo metrum, ac versum. Tragoedia, inquit, habet omnia quæ habet Epopoeia. vtitur enim metro. Quam eandem sententiam ijsdem vocibus, & eodem metri nomine protulit in cap. ij. vbi cum Tragoediæ retexuisset ortum, progressiones, accessiones, statum; de versibus demum dixit, vsam eam olim octonarijs fuisse: sed reiectis ad extremum octonarijs, adsciuisse senarium, atq. in eo conquieuisse. Et quoniam ita de Tragoedia disputabat per comparationem cum Epopoeia, de vtraque postmodum hæc verba subiunxit. ἡ μὲν οὖν ἐποποιΐα τῇ τραγῳδίᾳ μέχρι μόνου μέτρου μετὰ λόγου μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν. Quem locum, verbum prope verbo reddens, ita latinum fecit ipse Victorius. Epopoeia igitur Tragoediam comitata est vsque adhoc solum, quòd metrica oratione virorum excellentium imitatio sit. Ita, inquam, hunc locum latinè vertit Victorius: verumtamen contendit, in antiquis codicibus non metrum vniuersè scriptum esse, sed metrum magnum: vt sententia sit: Tragoediam eo nomine similem esse Epopoeiæ, quòd imitatio quædam sit, metro vtens magno, hoc est, Heroico, vel hexametro. Scripturam illam antiquam hanc ait fuisse. ἡ μὲν οὖν τῇ τραγῳδίᾳ μέχρι μόνου μέτρου μεγάλου μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν. hoc est. Itaque Epopoeia Tragoediam eo vsque comitata solum est, quòd virorum præstantium imitatio sit per magnum metrum. Cum ergo in hoc etiam loco cap. xxiv. in metro similem esse dixerit Tragoediam Epopoeiæ, existimat, metri nomine intelligi debere non metrum vniuersè, sed nominatim illud magnum, hoc est, Heroicum cap. ij. Denique tota istorum ratio in antiqua illa scriptura posita est, in qua sit, non ἐποποιΐα μέχρι μόνου μέτρου μετὰ λόγου: sed μέχρι μόνου μέτρου μεγάλου.

Respondeo verò primum: versum magnum dici posse etiam iambum senarium. Vt enim diximus in cap. de Dictione, multi fuerunt, in primisq. Terentianus Maurus, qui versum Tragoediæ appellarint Heroicum: non quòd hexameter sit, sed quod referat in proscenio res gestas Heroum, quemadmodum extra scenam eorundem præclara facinora canit hexameter, qui dicit solet Heroicus. Sit ergo magnum metrum, versus Heroicus, sed sit is, qui versatur in rebus gestis Heroum,

roum, non qui à Grammaticis appellatur hexameter.

Deinde contendo: scripturam illam non esse probandam, si id significet, quod significare Victorius vellet. Pugnat enim cum ijs, quæ ante dixerat Aristoteles de octonarijs. Quid enim oportuit dicere, Tragoediam reiecisse octonarios, & in senarijs conquieuisse, si vsa olim fuisset hexametris, & ijsdem hexametris vti posset? Meritò igitur omnes scripturam illam expunxerunt. nec eam ego in aliquo codice legi ex ijs, quos typographi nobis exponunt: immo verò ne Victorius quidem ipse ausus est castigare locum in suo. Habet enim, non quidem μέτρου μεγάλου: sed μέτρου μετὰ λόγου. Et profecto vel ex eo cõstat, mẽdũ aliquod ibi fuisse, quòd in eodem cap. ij. Heroicum versum Aristoteles à Tragoedia dixerit alienum esse, vt nos demonstrauimus supra in cap. de Dictione. In hoc autem cap. xxiv. metrum non esse versum Heroicum, aut hexametrum ipsemet etiam apertissimè declarat auctor, qui in cap. xxij. Tragoediæ discrimen ab Epopoeia petiuit ex metro. Differt, inquit, Epopoeiæ contextus à Tragico longitudine, metroq.

Hæc ergò ratio primum Aristotelem impulit, vt diceret, præstantiorem esse Tragoediam quàm Epicam; quòd cum Tragoedia imitatio poëtica sit numeris vtens, ac versibus, nihil desideret eorum, quæ in Epica sunt, & habeat præterea multa oblectationis instrumenta, quibus careat Epica.

Alteram ducit rationem ab illa actionis vnitate, quam diximus esse cum vtraq. communem. Hanc ergò ait Aristoteles esse maiorem in imitatione Tragica. quippe quæ rerum claudatur limitibus earum, quas vnius tantummodo spatio diei geri potuisse, ac transigi verosimile sit. Epopoeia enim in hoc genere tam libera est, vt ei fas sit actionem vnam complecti, quę longo tempore perfici atque ad exitum perduci potuerit, vt docuimus in dissertationibus Virgilianis ad lib. xij. in fine. & ad lib. ij. loco j. Et quoniam quod angustiores habet temporum, ac locorum terminos, quodq. magis contractum est, multo magis vnum videtur esse, quàm quod protrahitur longius, multo magis habenda est vna, & simplex actio Tragoediæ, quæ limites sibi circumscribit exiguos vnius diei, quàm Epicæ; quæ multorum annorum spatia complectitur.



# TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV

## *DE ANTIQVORVM COMOEDIA COMMENTARIVS*

### PROOEMIVM.

In quo definitio traditur.



COMOEDIAM in cap. poëtices secundo sic definit Aristoteles. Comoedia deteriorum imitatio est: non quidem secundum omne vitij genus, sed nominatim secundum illud, quod ridiculum est. porro illud est ridiculum vitium, quod sine dolore turpitudinem habet, hoc est deformitatem minimè nos interimentem; illi prorsus similem, quæ in praua distortaque facie, cum subitò cernitur, risum ciet. Sic Aristoteles. Et quoniam præter hanc definitionem, vix aliud quidpiam de Comoedia scriptum reliquit, eam hoc initio quasi proludentes explanabimus: vt quæ deinde quæstiones existent, expeditum, ac vacuum salebris inueniant locum.

Primò quidem Comoedia dicitur imitatio. quia forma quædam poë-

poëseos est: poësis enim est imitatio, vel expressio, effictioq. actionum humanarum verosimilium; pictorum artificio similis: qui coloribus tum imitari dicuntur aliquid, cum illud sic effingere, atq. exprimere conantur, quemadmodum fuisse, vel esse, verosimile est. quæ item apud Arist. sunt in poëtices cap.j. atq. à nobis explicabuntur in Comment. de Elegia. cap. iv.

Quia verò actiones illas, & res hominum verosimiles, quarum poësis est imitatio, vel eorum esse oportet, qui summi, ac principes in Republica sunt, vel eorum, qui medij habentur, aut infimi, addidit Aristoteles amplius aliquid, dixitque, Comoediam imitationem esse deteriorum, hoc est, mediorum, infimorumque. Tres enim illos humani generis ordines sic distinxit, vt primos, illustresq. viros, inter quos etiam Semideos censuit, meliores dixerit, infimos, atque interiectos appellarit deteriores. Igitur, vt à Tragoedia, cuius est, meliores, hoc est, Reges, ac viros principes imitari, Comoediam certa nota secerneret, deteriores illi assignauit, qui sunt homines partim infimorum ordinum, partim etiam mediorum. Ceterum, siue primos, ac summos, siue medios, atq. interiectos imitetur poësis, eorum imitetur necesse est actiones, ac mores, qui vel boni honestique, vel turpes, ac mali sunt. Itaque illud etiam sibi vult, cum ex hominibus deteriores imitandos Comoediæ reseruat, vt hæc Fabula ex omnium moribus sibi seponat, & eligat peiores. non tamen in omni genere turpitudinis, ac vitij, sed in eo tantum, quod risum commouere propter leuitatem queat. Illa verò vitia risum ciere confirmat, quæ turpitudinem quidem habent aliquam, sed minimè detestabilem, aut execrandam. Hanc enim cernimus in vitijs longè grauissimis: vt in parricidijs illis, ac cædibus, quas Tragoedia proponit, & deploratione prosequitur. Quarè Comoedia peccata minora quædam, & errata leuiora complectitur, hoc est ea, quæ sunt imprudentium iuuenum, seruorum corradentium ab auaris dominis aurum, lenonum decipientium adolescentes, & senes; atq. huiusmodi multa, quæ turpitudinem habent, sed horrenda non sunt. Pulcherrima quippe illa similitudo est, quæ petitur ab enormi, distortaq. facie, ad animi vitium leue, ex ipsa corporis prauitate significandum. Nam quemadmodum non omnia corporis vitia deformitatesque concitant risum, sed illæ tantummodo, quæ dolorem magnum, aut interitum habenti non afferunt, sic non animi peccata omnia, erroresq. ridiculi sunt, sed ij solum, qui vel nullum, vel minimè graue pariunt detrimentum. cuiusmodi est, vt diximus, senis auari deceptio, parasitorum fames, atq. delusio, iuuenum amantium insania, serui calliditas, aut stultitia, oratio vel fatuorum confusa, vel barbara peregrinorum. Si enim animi peccantis errata malam aliquam pestem afferunt, orbitatem, exilium,

lium, egestatem, aliena sunt à risu, & grauiorem aliquem sensum postulant, illi similem, quem postulant vitia corporis magna; qualia sunt vulnera, vel vlcera, quæ sine commiseratione, aut horrore quodam intueri non possumus. Nihil igitur est causæ, cur Alexander Piccolomineus affirmet, nullam ab Aristotele tradi veram, absolutamq. suis partibus Comoediæ definitionem; sed traditurum fuisse in ea Commentarij parte, quam ex poëtica desideramus. Cum enim hæc definitio ducta sit à genere, quod est imitatio: à differentia; quæ continetur effictione hominum deteriorum: à fine; qui positus est in ridiculis, ac iocis; non video, quid ad absolutionem, perfectionemq. requiri præterea possit. His adeo prætermissis, ea, quæ indicata iam sunt, & leuiter in definitione perstricta, diligentius, accuratiusq. perpendamus.

## *De Etymologia Comœdiæ. Caput I.*

QVærendum videtur initio, cur hoc scenicæ poëseos genus Comoedia dictum à veteribus sit. Quatuor nobis huius appellationis aperit causas Diomedes Grammaticus de hac etymologia, & notatione vocabuli sic disputans. Dicta Comoedia est ἀπὸ τῶν κωμωδρίων; hoc est à viculis: quòd ea Fabula humilium domorum fortunæ comprehendantur, non vt in Tragoedia publicarum, Regiarumque: vel ἀπὸ τοῦ κώμου. id est à commessatione: quòd olim in huiusmodi Fabulis amantium iuuenum comi, hoc est, comessationes agebantur. vel ἀπὸ τῶν κωμῶν: nam κῶμαι pagi rusticorum sunt. aut certe à vicis vrbium. His, inquam, verbis Diomedes quatuor huius nominis explicat etymologias, & causas. Priores duas repetit à duabus notionibus subiectis huic voci κώμη. quæ pagum significat rusticorum, & præterea vicum, hoc est partem aliquam vrbis. Diuiditur enim vrbs in vicos tamquam in membra: sic prorsus, vt quemadmodum vicus ex multis coagmentatur domibus, ita vrbs pluribus constet, & componatur ex vicis; quod in Politicis tradit Arist. Docet ergo, Comoediam, vel dictam fuisse à pagis, qui Græcè dicuntur κῶμαι; vbi nimirum principio genus hoc poëmatis ab Attica iuuentute ad quæstum faciendum recitari soleret: vel à vicis vrbium; qui dicuntur item κῶμαι; vbi exhiberi melius coepit hæc Fabula, institutis liberis, ac licentibus ludis, statim atque ex agris conuenerunt Athenas ij, qui ante conditam illam vrbem, mapalia coluerant, & siluas. Putat enim primos Athenarum incolas fuisse conuenas aliquos ex agris, ijs similes, quos è circumiectis nemoribus, ac pascuis ad vrbemRomam exędificandam fama est in Palatium confluxisse. Igitur vt à Romanis, simul ac Vrbs excitata est, & concurrentibus vndiq. pastoribus impleta, ludi quidam excogitati sunt liberi à feriatis illis incolis exercendi per vicos, ac regiones

Vrbis,quos dixere propterea Compitalia;ita conditis iam Athenis,& ex ruſticis ciuitate conflata,credit Diomedes,decretos ab Athenienſibus fuiſſe ludos aliquos ; in quibus,per ipſius diſcurrentes vrbis vicos coeperint quidam poëma ridiculum, petulans , ac ioculare proferre: quod ἀπὸ τῶν κωμῶν , hoc eſt à vicis vrbanis Comoedia dictum ſit, vocabulo compoſito ab ᾠδῇ, quæ ſignificat cantum,& κώμῃ, quæ vicus eſt:quaſi Comœdia nihil aliud ſit,quàm cantus in vicis vrbium emodulatus.eſt enim Græcè κωμῳδία. Poſteriores duas etymologias ducit Diomedes à duobus Græcorum vocabulis,longè varia, longèq. inter ſe diſtracta ſignificantibus. Primum eſt τὸ κωμόδριον: quam vocem ſi latinè reddas,dixeris viculum,ſiue particulam vrbis aliquam,& regionē:eſt quippè diminutiua;deducta ἀπὸ τῆς κώμης.Etymologia hæc à proximè ſuperiori diſtare longiſſimè intelligetur , ſi non ipſum tantummodo vocabulum, ex quo deducta ſit appellatio, ſed etiam ratio cur ab illo deducta ſit attendatur.Non enim hìc à viculis vrbanis dictam idcirco Comœdiā putat,quòd in ijs initio cantaretur; ſed propterea, quòd hæc Fabula ab ædibus Regijs, à Prætorijs , & Baſilicis continet ſe,atq. humilium domorum,quibus viculi conſtant, fortunas ſibi ſeponit imitatione tractandas . Quæ profecto tametſi verè dicuntur , haud tamen benè videtur etymologia inueſtigari : cum κωμόδριον ſcribatur per omicron in antepenultima , κωμῳδία per omega cum iota ſubſcripto.Alterum vocabulum eſt κῶμος,hoc eſt,comeſſationis Deus, vel ipſamet comeſſatio, vt idem docet Diomedes . Dicebatur autem comeſſatio intempeſtiuum cōuiuium,quod iniri ſolebat à cœna.Epulas enim antiqui partiti quadrifariam ſunt; in ientaculum, prandia, cœnas,comeſſationes. Exiſtimat ergo Diomedes, in primis illis conditarum vrbium ludis iuuenes intemperantes eiuſmodi comeſſationes exercuiſſe multas , atq. inter comeſſationes ipſas egiſſe Fabulas, quas ἀπὸ τοῦ κώμου,hoc eſt à comeſſatione Comœdias dixerint.Quin hæc intempeſtiua conuiuia , & comeſſationes recentæ etiam poſtea fuiſſe videntur in aliqua Fabula : vt cernere licet in ea Plauti Comoedia , cui nomen eſt Bacchides. Compotat enim alieno tempore filius cum meretricibus,acceditq. comeſſationi turpiſſimæ pater nequam,& nihili;vt rei deformitas amplificetur .

Ab his etymologijs haud longè diſceſſit Iulius Scaliger in lib.poët. j.cap.v.vbi de notatione huiuſce nominis ita decernit. Iuuentus, inquit,vacui temporis otio, atq. licentia noctis abuſa,ſecura imperiorum, vel patronū, vel parentum,per pagos (non dum in vrbes conuenerant) diſcurrere coepit.qui mos cum ipſo nomine ſimul ad nos deductus eſt.Legimus enim apud Liuium comeſſationes.inde eos luſus, quos vicatim agerent, παρὰ τὴν ᾠδὴν, καὶ τὰς κώμας, aptè Comœdiam dixere.

Nunc,quoniam hæ nominis impoſiti cauſæ petūtur ſingulæ ab ipſo

Co-

Comoediarum exortu, eum intueri nos oportet accuratius, & varias huius Fabulæ formas inuestigare ab incunabulis.

## De varijs Comœdiarum generibus apud Græcos. Caput II.

GRæcorum Comœdia sic à tempore diuidi debet, vt alia dicenda sit vetus, alia media, alia noua. Veterem dico maledicam illam Comoediæ formam, quæ prima omnium in vsu fuit: eo videlicet tempore, quo summum ciuitatum ius penes populũ erat. Fas enim illius sæculi poëtis fuisse accepimus, risum ex quocumque iocorum genere aucupari, siue illi conditi salibus essent, siue dictis amaris, atq. acerbitatibus aspersi. Non enim æquo tantum animo, sed perlibenti excipiebat populus ea, quæ in Iudicum iniquitatem, in mala Prætorum facinora, in improborum ciuium, diuitum præsertim, ac nobilium corruptos, & profligatos mores, certis etiam ex ipso nomine designatis hominibus, maledicta, & scommata iacerentur. Ita enim fieri facilè posse credebant, vt flagitiosi malæ famæ deterriti metu, & publicis cõscissi cõtumelijs ad bonã frugem, atq. ad iustitiæ castra reuocarentur.

Roget fortasse quispiam: in toto ne, integroq. Fabularum tractu, an in aliqua certa parte, atq. in transcursu ea maledicta contorquerentur in improbos. Respondet Iul. Scaliger, affirmans, vexationem illam, & exagitationem vitiorum sparsim quidem, atq. vt se se res dabat, adhibitã fuisse in perpetuo Comoediæ ductu, argumentoq. primario; sed tamen illud munus creditum propriè, commissumq. fuisse potissimum Choro. cuius videlicet erat, ea maledicendi licẽtia in omnes ordines, sexus, ætates impune, liberèq. grassari. De veteri Comoedia diximus.

Mediam sublata veteris illa maledicendi libertas inuenisse videtur, ac peperisse. Redacto enim populi dominatu ad oligarchiam, hoc est ad iniquum paucorum imperium, & quasi Tyrannidem, poenis illico coërcita est illa Comicorum licentia. atq. ideo inductus, expunctusq. de Comoedia Chorus est: cuius præcipuæ videbantur illæ partes esse, vt quos potissimum vellet, dictis lacesseret, ac laceraret acerbissimis. Quarè cum cetera mutata nihil essent, mansit species illa prior totius Fabulæ, vna tantum Chori parte obliterata. Chori autem loco quædam παραβάσις, hoc est transitiones, ac digressiones fiebant: in quibus aliorum scripta poëtarum, aut dicta sine vlla suspicione, aut timore pœnæ licebat irridere. Itaque Cratinus, qui veteres multas fecerat vniuersè maledicas, vnam huiusmodi mediam scripsit, appellauitque ὀδυσσεῖς. in qua nominatim percelebrem illam, nobilissimamque tantummodo carpebat Odysseam Homeri.

Restat noua, eaq. postrema: quam florere cœpisse aiunt sub Alexan-

dro Magno . huius enim ætas oligarchiam consecuta est . Hæc ergo noua Comœdia multis profectò nominibus à superioribus differt . Nam primo quidem caret maledicendi licentia, tum illa veteri, quæ debacchabatur in omnes , tum ea etiam Comœdiæ interiectæ , quæ nominatim in poëtas inuehebatur . Quare non ex qualibet materia risum captat , sed ex eo prorsus argumento, quo generatim, vniuerseq. notentur mores; certi tamen homines nulli describantur . Deinde solis Iambicis,ac Trochaicis contenta, repudiauit infinitam prope versuum varietatem , quibus aliæ pro arbitratu olim vtebantur . Tertio loco: ipsum veteris Comoediæ depulit Chorum ; & digressiones illas mediæ sustulit , quæ poëtas maledicentissimis dictis insectabantur .

Et quoniam ad hunc locum aliquid afferre momenti potest eorum cognitio scriptorum,qui singulas excoluerunt,ne id quidem,quod dicere facile possumus, sileamus . Igitur in antiqua illa , & veteri scribenda Comoedia floruerunt Eupolis,Cratinus, Aristophanes, Phrynicus,Theopompus,Archippus,Plato,Pherecrates,alij. In media Philippides,Strato,Anaxilas,Mnesimachus, Epicrates Ambraciota, Nicostratus; idẽ Cratinus : qui relicta veteri,scripsit,vt diximus ὀδυσσεῖς. sed ad pristinam ausus licentiam aliquando reuerti , Fabulam edidit βάπται: à qua demum ei contigit interitus. Ab ijs enim,in quos fuerat inuectus,ad extremum captus,vinculisq.constrictus,atq.in mare proiectus , illa demersione suæ nomen imitatus est Fabulæ . Nam βάπται vel mersi sunt, vel mersiones, à verbo βάπτω , quod lauo vel immergo apud Aristophanem est . Noua verò tractanda Comoedia , Philemonem, Diphilum, Apollodorum , Menandrum scimus esse nobilitatos, quos Terentius,ac Plautus æmulantur .

## *De Comœdiarum alia partitione apud Latinos . Caput III.*

AD Latinos cum Græcorum alijs præclaris artibus aliquando traducta Comoedia , nouum illud tantummodo complexa est genus, sine maledictis vllis, & sine Choro . Tradit tamen Plinius, sua ipsius ætate veterem vnam è Græcis Latinam factam fuisse,ac recitatam.Quia verò ea de re nihil prętere a legimus apud antiquos,id statuere necesse est:Latinos neglexisse ceteras formas,operamq.in nouo tantum illo genere posuisse .

Inuenerunt tamen ipsi quoq. Latini discrimen ætatum in Comœdia noua:quæ pro temporum varietate textum varium nacta est orationis , & stylum . Quamquam enim singuli Fabulas scriberent nouæ Græcorum Comœdiæ consentaneas , alius tamen alio vel rudiorem attu-

attulit ſtylum,vel politiorem. Itaq. Liuij Andronici Fabulas,qui non ætate modò, verum etiam incompoſito ſtylo ceteros anteceſſit,dicere poſſumus apud Latinos Comœdias veteres:cum præſertim docuerit ipſemet hiſtriones, & Græcorum veterum more, dum Fabula recitaretur,in ſcena fuerit, Actorum vitia reprehendens. Pacuuij medias appellare fas erit: qui & abſtinuit à ſcena, & inconditum Andronici ſtylum, quantum ea tempora patiebantur, expoliuit. Plauti denique, ac Terentij, quoniam poſtremo ſæculo, hoc eſt, elegantiſſimo floruerunt,dicendæ ſunt nouæ Comœdiæ: cum ſic alias Latinorum cultu, atque artificio vincant, quemadmodum illæ Græcorum poſtremæ,veteres,ac medias longo poſt ſe interuallo reliquerunt.

Partiti ſunt iterum Romani Comœdias ſuas in genera tria: quam partitionem à veſtitu, quo vtebantur hiſtriones vario, petiuerunt. Nam quia in Romana ciuitate pro triplici ciuium ordine triplex etiam erat veſtis, qua ordines ipſi diſtinguebantur, tres illi excogitauerunt etiam Comœdias, atq. ab illo corporis cultu triplici diuiſerunt, in Prætextatas, Togatas, Tabernarias, ſiue Tunicatas. Prima, inquam, fuit ea,quam Prætextatam appellarunt à Prætexta,qua induti erant Actores. Hæc Fabula omnium habita eſt nobiliſſima: quia Prætexta Senatorum gerentium Magiſtratum toga fuit, faſcijs diſtincta purpureis: ac propterea qui ſic inducebantur ornati, & Senatores, & Magiſtratus fuere, hoc eſt viri principatum obtinentes, atque in ciuitate primarij: ſed minimè tamen Reges, aut ditionem aliquam prouinciarum, vrbiumque dominatum habentes. hi enim ad Tragœdiam pertinent. Ab hac forma Comœdiæ nobilis,ac primæ ſeiungenda non eſt Trabeata: quam C.Meliſſus,is, qui fuit ab Auguſto præfectus Bibliothecæ in Octauiæ porticu, dedit primus; vt dicitur à Suet.vel ab alio ſcriptore in libello de claris Grammaticis.Trabea enim, à qua dicta Trabeata Fabula eſt, Conſulum in pace veſtis fuit,vt docet Auſonius; in victoria, triumphantis Ducis. Quod ſi legimus interdum, equites quoque vſos fuiſſe Trabea,meminiſſe debemus vſos ea non eſſe, niſi in pompa funebri ex inſtituto maiorum. Id quippè videmus in funere Germanici factum fuiſſe apud Tacit.in tertio Annalium libro.

Secunda Comœdiæ forma deterior prima, ſed tamen etiam ipſa præſtans,& nobilis fuit. Inducebat enim Senatores,non quidem magiſtratum adminiſtrantes, ſed priuatos cum Senatorijs togis, à quibus ea Comœdia dicta Togata eſt.

Tertia humilis fortunæ imitabatur homines, tunicis indutos, à quibus tamen non ſumpſit nomen, nec Tunicata dicta eſt: ſed appellationem inuenit idoneam ab habitaculis humilibus,ac tabernis,quę diſponebantur in ſcena. Itaq. Tabernaria eſt nominata.

Addi poſſet etiam quarta, quàm dixerunt Atellanam ab Atella Oſcorum oppido in Campania, vnde Romam translata eſt. Sed hæc argumento potius, quàm perſonis diſtingui videtur ab alijs. Fuit enim omnium maxime iocoſa, nec aliud præter iocum ſequebatur, ac riſum. Quas autem produceret in ſcenam perſonas, haud facile diuinauerim. Video tamen à Liuio traditum in lib. vij. à Romana iuuentute ita Fabulam hanc Atellanam actitatam ſemper fuiſſe, vt numquam ſe paſſa ſit ab hiſtrionibus pollui. Comparanda videtur eſſe cum Græcorum illa veteri libera, & licenti. Non tamen idcirco nouum poſtulat ordinem: quia Choro abſtinuit, & certarum deſcriptione, ac deſignatione perſonarum, quæ fuit in veteri: nec aliquid habet diſtinctum à ceteris, præter argumentum petulans, ac ioculare. Quòd ſi pro varietate argumenti variæ conſtituendę formæ eſſent, totidemq. faciendæ Comœdiæ, quot argumenta ſunt, infinita propemodum haberemus genera, quæ huius beneficio notæ diſtingui poſſent. Nam aliæ ſunt amatoriæ totæ; vt Andria: aliæ calumnioſæ; vt Nubes Ariſtophanis, quæ Fabula Socratem carpit, quaſi nubes fecerit Deas: aliæ turbulentæ, & negotioſæ, quas dixere motorias, propter Actorum in agenda Fabula motum, excurſumque; vt Adelphi: aliæ ſedatiores, quas appellauere ſtatarias ob eorumdem Actorum quietem, rarumq. diſcurſum: vt Hecyra, & Aſinaria.

Ceterum quia ſæpè mentio eſt Comœdiæ Palliatæ apud Latinos ſcriptores, quam in ea partitione à veſtibus petita, præteriuimus, quæret aliquis, quæ nam fuerit, aut qualis hæc Fabula Palliata. Reſpondent Grammatici, Latinam quidem eam fuiſſe; ſed quæ conuerſa eſſet è Græca, vel res Græcorum geſtas, Græcaſq. perſonas contineret. Nam vtrumq. fecerunt Latini Comici, Menandri Apollodori, Diphili, aliorumque Fabulas integras interdum producentes in ſcenam: interdum argumentum tantummodo, perſonaſq. fingentes Græcas; ſyntheſim totam, & conſtitutionem addentes de ſuo. Siue igitur illi Comicorum Fabulas, Græcorum argumento, aut textu minimè mutato, Latinas facerent, ſiue argumentum promerent ex ingenio; modò Græcas inducerent perſonas; Palliatas dare Comœdias dicebantur, quia, vt Romani toga, ſic pallio vtebantur Græci: adeoque hiſtriones, qui hanc agebant Fabulam, eſſe palliatos oportebat. Non tamen hæc Palliata fuit cum illo triplici Latinæ Fabulæ ordine coniungenda: quia pallium illud certi cuiuſdam ordinis fuiſſe non accepimus: accepimus autem Prætextam, Trabeam, Togam certorum ordinum apud Romanos indumenta, atq. inſignia fuiſſe.

## An ex hisce Comœdijs quælibet sit imitata deteriores. Caput IV.

NVnc verò videndum est, an definitio Comœdiæ ab Aristotele tradita cadat in singulas illas tam varias Comœdiæ formas, de quibus huc vsq. diximus. Et quia duo potissimum ea definitio continet, imitationem deteriorum, & commotionem ad risum, à primo capiemus initium. Quærimus ergò: an illa peiorum imitatio sic propria Comœdiæ sit, vt Deos, Heroasq. aut Reges, & Principes, dominatum vrbium obtinentes, funditus, atq. omnino repudiet. Dubitandi causam præbet idoneam Plautus; qui Iouem, ac Mercurium induxit in Amphitruone. Quin seriem benè longam texere possumus eorum, qui testari videntur, in Comœdijs quoq. versatos Heroas esse, ac Deos apparuisse per machinam. Tertullianus enim in Apologet. sic loquitur. Ne Tragici quidem, aut Comici parcunt; vt non ærumnas, vel errores domus alicuius Dei præ se ferant. Quibus ea respondent, quæ Clemens Alexandrin. habet in paræenesi ad Gent. Deorum nuptiæ, inquit, & liberorum procreationes, & puerperia, & adulteria, quæ canuntur, & conuiuia, quæ à Comicis recitantur, & risus, qui in potu inducuntur, incitant me, vt vociferer. ò impietatem. scenam cælum fecistis, & Deus nobis factus est Actus: & quod sanctum est, Dæmoniorum personis in Comœdia ludificati estis, verum Dei cultum, ac religionem Dæmoniorum superstitione libidinosè inquinantes, & obscœnè. Horatius verò in libello de Arte poët. personas enumerans Comicas, Heroas ab eorum ordine non expungit.

*Intererit multum Dauus ne loquatur, an Heros.*

His accedit auctoritas permultorum poëtarum apud Græcos: qui personis Comicis viros etiam ipsos falsa diuinitate donatos admiscere non dubitarunt. Nam de Nicophrone, vt alios mittam, ita scribit Suidas. Nicophron Comicus poëta Atheniensis, Aristophanis æqualis, has Fabulas fecit: Natalem Veneris, Pandoram, & Syrenes. Docet eadem Suidas de Nicochare. Nicochares Atheniensis, inquit, poëta Comicus ætate par Aristophani has scripsit Comœdias; Ammimonem, Pelopidam, Galateam, Herculem sponsum, Herculem Choragum, Cretenses, &c. Tradit eadem de Ophelione hoc modo. Ophelion poëta Comicus; cuius Fabulæ sunt hæ: Deucalion, Centaurus, Satyrus, Musæ, Solitarij. De Sophilo verò ita commemorat. Sophilus nomen est proprium poëtæ Comici Sycionij, vel Thebani. cuius Fabulæ sunt; Citharœdus, Tindareus, Leda. De Teleste poëta Comico hæc testata reliquit. Huius Comœdiæ sunt Argus, & Æscu-

lapius. Hæc de Cheremone. Cheremon poëta Comicus, fecit has Fabulas: Traumatiam, Alphesiboeam, Centaurum, Bacchum, Vlyssem, Thyestem, Minios. De Chionide autem hæc. Comœdias fecit, Heroa, Mendicos, Persas, vel Assyrios. Nullus sit finis, si Comici huiusmodi poëtæ, & Comicorum huiusmodi Fabulæ, quarum est apud Suidam mentio, numerandæ sint singulæ. Scribit enim eadem de Phlisco; eiusq. Comœdias fuisse docet has: Adonem, Iouis partum, Themistoclem, Olympium, Partum Panis, Mercurij, Dianæ, Apollinis. Eadem de Philetero Atheniensi; cuius Comicas recenset Fabulas vnã & viginti: quarum in numero sunt, Achilles, Cephalus, Tereus, Antillus, Atalanta. Eadem de Æraro Aristophanis filio: quem ait scripsisse Comoedias centum, in ijsque Cenea, Partum Panis, Adonem, Hymenæum. Eadem de Epigene: cui Comoedias adscribit omnino tres ex Athenæo: Heroinam, Sepulcrum exiguum, & Bacchas.

Hæc, inquam, istorum testimonia doctorum hominum, & poëtarum exempla veterum faciunt, vt dubitare debeamus, num rectè Aristoteles existimarit, & dixerit, deterioris tantum fortunæ imitationem esse Comoediam; cum videamus à grauissimis viris Comoedias dici Deorum Fabulas, & à tam multis poëtis in Comicam scenam inductos etiam Heroas, ac Deos. Sed dubitationis causam amoliemur omnem, si dicamus, Aristotelem hæc omnia, quæ commemorauimus haud ignorasse: sed eorum poëtarum, de quibus diximus, non probasse Fabulas. Significat ergo cum alia omnia præcipit, melius, præstantiusq. fecisse Comoediæ genus, qui has tam graues ex illa Fabula personas depulerunt: adeoque vult, omnino depelli ab ijs, qui contendunt perfectam exhibere Comoediam. Quod si quæras, an illæ veterum Fabulæ iam commemoratæ, in quibus Deos inducebant, & Heroas, dici aliqua ratione Comoediæ possint; responderim, eiusmodi Fabulas habendas pro Comoedijs esse, quia tametsi Deos, Heroas, ac Reges inducebant, id tamen sequebantur vnum, vt risum mouerent: in quo posita est intima quædam Comœdiæ natura, & vis. sed quia personæ illæ abhorrent à conditione Comœdię, imperfectam eam Fabulam faciunt, & eam, quam corrigendam putat Aristoteles. Itaq. Terentius, qui nunquam induxit Heroas, aut Deos, præstabilior videtur esse, quàm Plautus, qui eos interdum admisit in Comicam scenam: nec reprehensionem effugeret hoc tempore qui vellet eiusmodi Comœdias, inducendis Pincipibus, aut Dijs, imitari, rursusq. recudere quod & consuetudine obliteratum, & improbatum ab Aristotele est. nisi fortasse facere se velle Pastoritias illas Tragicocomœdias aliquis profiteretur, quas populari lingua scribere quidam ex poëtarum Italorum natione sunt ausi; de quibus hoc loco nõ disputo.

Quapropter, vt eò reuertamur, vbi quæsitum est: an imitatio deterio-

teriorum in omnes omnino Comœdiarum formas ex definitione conueniat, affirmo primum, eam cadere in plerasq. Græcorum, hoc est, in bonas atq. probabiles. illas enim, quæ Deos, Heroasq. coniunxere cum infimis, explosit Aristoteles. Dico deinde, in Latinorum ferme omnibus eandem deteriorum imitationem esse, ac reperiri: cum illæ quoq. Prætextatæ, ac Trabeatæ intra limites tenerentur suos, nec nisi deteriores imitarentur. Neq. enim ij tantum deteriores existimantur, qui sunt in Repub. postremi, sed ciues etiam excellentioris ordinis: qui comparati cum Regibus, ac Dijs, quos imitatur Tragoedia, deterioris fortunæ sine dubio sunt. Et quia eorum aliqui mores habent ad risum ciendum accõmodatos, argumentum Comoediæ suppeditant opportunum. Aristoteles verò ipse non docet, Comoediam imitari deterrimos, sed deteriores per comparationem cum prestantissimis illis Tragoediæ propositis ad imitandum. Itaq. in ipso genere deteriorum personarum quidam sunt gradus, quos complectitur omnes multiplex Comoediæ forma, Trabeata, siue Prætextata, Togata, Tabernaria, siue Tunicata.

## *Cur ex omni mortalium numero Comœdia sibi seposuerit imitandos deteriores. Caput V.*

AB institutione ludorum Theatralium, siue scenicorum repetenda est huiusce rei pulcherrima, eaq. verissima causa. Illud ergo ponendum est: Legislatores Rerumpublicarum, ratos ita ciuitates esse beatas, si tranquillitate fruerentur, & pace; contraq. illicò ruere, funditusq. subuerti, vbi ciuilibus agitari discordijs inciperent, voluisse beneficio scenicæ poëseos his occurrere malis, ac publicæ felicitati consulere. Duo quippè hominum genera turbas in ciuitate faciunt: vnum eorum, qui potentia pollent, atque opibus florent; alterum eorum, qui rerum inopia, & solitudine, qui æris alieni pondere, qui desperatione laborant. Carthago florentissima quondam ciuitas, vt quidam ait, huius rei locuples est testis: quam haud minus turbarunt Hanno, & Barca potentissimi ciues, quàm Mato, & Spendius, homines angustissimæ fortunæ, ac desperatissimi. Quid Vrbs ipsa Roma, gentium domina, & Regina terrarum? cuius Rempub. haud sanè plus concussere Marius, ac Sylla, ciuium principes potentes, ac magni, quàm deploratæ fortunę vir Catilina, & seruili conditione Spartacus audacissimus. Igitur ad continendos in officio, atq. ad instituendos vtrosq. hominum ordines, duabus poëticæ dramaticæ formis, Tragoediæ, Comoediæq. datus est locus. Tragoedia quippè admonet primarios, & principes, vt intueantur in exitus infeli-

felicissimos virorum potentium, qui limites æqui, rectique per vim egredi voluerunt: Comoedia docet inopes, ac destitutos de felici rerum deploratarum, inuolutarumq. successu benè sperare: monetque, ne rationibus diffidant suis, cum vndiq. se circumseptos, vallatsoq. difficultatibus vident.

Sed cur hunc exitum rerum fortunatum, ac secundum exprimere voluerunt viri sapientes in ijs, qui modicis præditi fortunis, atq. vt loquitur Aristoteles, deteriores sunt? Non ne poterat inexpectatus ille fortunæ melioris euentus etiam in potentibus, magnisq. viris demonstrari, qui premuntur interdum angustijs, & veluti quibusdam ambagibus implicantur? Respondent aliqui prudenter, ac verè: multo magis accommodatam esse mediocrem inferiorum hominum fortunam ad demonstrandum hunc transitum in melius, quàm amplam primariorum. Vt enim pluribus docet Aristoteles in lib. iv. Politicorum, viri principes fortunam plerumq. mutant in deterius. Itaq. videtur magis fuisse consentaneum rationi, successum illum exprimere in ordinibus deterioris fortunæ, qui sæpissime solent à rebus aduersis gradum ad secundas, ac prosperas facere, quàm in Principibus, & potentissimis viris, qui plerumq. à statu vitæ secundo corruunt in aduersum.

## *An ridiculum conueniat in omnes Comœdiæ formas. Caput VI.*

QVamquam de risu iam diximus in definitione Comoediæ, illud tamen hoc loco repetendum videtur, & velut exploratum, compertumq. ponendum: Comoediam eo nomine à Tragoedia differre, quòd huic misericordiæ, terrorisq. commotio, illi risus, iocique tractatio proposita sit. quod non Aristoteles modo, verum etiam Plato in libro septimo de legibus docuit. vbi disertè deformiũ corporum, actionumq. turpium propriam imitationem esse Comoediæ pronunciauit. Quærimus ergo: an singula Comoediarum genera, de quibus est disputatum, ridiculum tractent, ac iocum. Sunt enim in ijs aliquæ tam graues, vt à risus, iocique leuitate abhorrere videantur.

Antequàm de quæstione constituo, partior in duo quasi capita ridiculum ipsum. sic, inquam, vt aliud dici debeat latissimè patens, hoc est, vndiq. petitum; à maledictis, à petulantia, ab obscoenitate, à rebus impudicis, atq. subturpibus; aliud contractius, atq. restrictius, hoc est honestum, liberale, in errore, & deceptione quadam animi, in acuto ioco, in dicto aliquo, euentuq. positum inexpectato.

Con-

Confirmo adeo nunc, illud ridiculum subturpe, impudens, ac maledicum à veteri Comoedia tractatum esse; alterum esse proprium nouæ, & eius nominatim, quæ ab Aristotele probata est. Ex quo sequitur, nullam Fabulam esse verè Comoediam, in qua ridiculum, & ioci tractatio desideretur. Cum enim hæc prima, & propemodum vna sit nota, quę à ceteris eam seiungat Fabulis, ac potissimum à Tragoedia, non potest in ea requiri, & desiderari risus, quin ipsa Comoediæ vis, & natura requirenda videatur. Quare, si quæ fuerunt antiquæ, si qua in præsentia est sine ridiculo; Fabula quidem dici poterit, Comoedia propriè, verèq. appellari non poterit.

Neq. vero graues illæ Prætextatæ, ac Trabeatæ suo risu caruerunt. Vt enim effusum risum, & quodammodo vulgarem non habuerint, habuerunt tamen eum, qui deceret personas, satisq. posset, ac super Fabulam illam à Tragœdia, ceterisq. Fabulis certa quasi nota separare.

## *Quorsum Comœdia risum excitet.* *Caput VII.*

EX Aristotele intelligere conijciendo necesse est, quorsum Comœdia in risus, iociq. tractatione versetur. Cum enim in definitione Tragœdiæ dixerit, id concitanda misericordia, & metu Tragœdiam agere, ac sequi, vt duos illos purget animi motus, videtur etiam haud dubiè significasse, Comoediam ea gratia, ideoque risum mouere, vt hunc ipsum affectum risus attemperet, & purget. sed qua ratione id consequatur videamus.

Affectum animi purgare nihil est aliud, vt diximus, in libello de Tragoedia, quàm eundem affectum abstergere, ac vitio liberare. Vt enim in humano corpore vitiatur humor, sic affectus in animo corrumpitur. Tum autem dicitur habere vitium, ac morbum affectus, cum ob eas commouetur, & concitatur res, ob quas eum perturbari minimè oporteret. Purgat igitur risum Comoedia, quia eum abstergit quodammodo, & vitio, morboque liberat, docens quas ob res ridere necesse sit, quatenus, & quo tempore deceat. Ex quo duplex sequitur opportunitas. Prima quidem longè maxima; quæ posita est in recta æstimatione rerum: de quibus nimirum, risu purgato, atq. correcto, facilius, ac rectius iudicamus. Quemadmodum enim, cum eas ridemus ineptias, quas irridendas meritò Comoedia proponit, discimus quid iure ridendum sit, sic intelligimus etiam quid æstimandum sit plurimi, quid grauiter, ac seriò sit è mortalium tam multis, ac varijs rebus excipiendum. Rectè quippè grauissimi dicunt Philosophi, quicquid verum est, ex contrariò facillimè, certissimèque cognosci.

Ex-

Explicat hæc egregie Plato in lib. vij. de legibus his verbis. Deformium verò corporum,& cogitationum motus, qui in Comœdia verbis, cantu, ſaltatione, alijſq. huiuſmodi imitationibus ſignificantur, intueri diligenter, & cognoſcere debet is, qui prudens futurus eſt. Nam ſeria ſine ridiculis, atq. omnino contraria ſine contrarijs intelligere non poſſumus. Et poſtmodum enucleatius eam vtilitatem explanans,hæc in eandem planè ſententiam addit. Sed has res Comœdiarũ ridiculas eius rei gratia nos oportet intueri; ne propter ignorantiam ridiculum aliquid agatur, dicaturue, cum minimè decet. Ita Plato purgationem hanc,& riſus correctionem expoſuit,cum ſumma quadam vtilitate, hoc eſt cum animi ſanitate coniunctam. Atq. hinc extiterunt amplæ illæ deſcriptiones potius oratoriæ, quàm veræ,propriæq.definitiones. Nemo enim vnus ignorat,à M.Tullio Comœdiam dici vitæ quandam imitationem, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis: à Donato, Fabulam inſtituta continentem affectuum ciuilium, & priuatorum; qua diſcitur quid in vita ſit vtile, quid contra videatur euitandum.

Alteram aliqui contendunt ex hac purgatione riſus opportunitatem exiſtere, quæ aliorum quorundam affectuum moderatione contineatur. Nam vt in Tragœdia ex purgatione metus,& miſericordiæ, audaciæ quoq. correctio ſequitur,& crudelitatis; (hoc enim ipſo affectiones illæ prauæ curantur,& vitio liberantur, quòd miſericordia, & timore commotis,ad iuſtam rediguntur mediocritatem) ita ex Comœdia, purgato iam riſu, neceſſariò ſubnaſcitur ipſius triſtitiæ mœroriſque moderatio; qui ſic riſu ipſo caſtigatur, atque corrigitur, quemadmodum grauiſſimi quidam affectus, & perturbationes animi ſedantur Muſica: quod docet Ariſtoteles in lib. Politicorum viij.

Alia permulta quæ poſſent in hoc argumento diſputari, expoſita iam ſunt à nobis in libello de Tragœdia, cum ageretur de fine, qui Tragœdiæ propoſitus eſt.

## *Quæ ſint cauſæ ridiculi, quibuſque ſit è fontibus petendus riſus. Caput VIII.*

QVantum attinet ad primam quæſtionis huiuſce partem, reuocanda ſunt in memoriam quæ principio diximus in definitione Comœdiæ. Diſertè quippè, planeq. ibi docuit Ariſtoteles,ridiculum,hoc eſt,rem,dictumue concitans riſum,nihil aliud eſſe, niſi vitium,& turpitudinem ſine dolore.Hoc tamen loco illud addendum eſt; imprudenter aliquos Ariſtotelem reprehendiſſe, quòd non omnem complexus ſit ea definitione ridiculi vim, & naturam: cum qui-

quidam sit in vsu quotidiano risus, qui nulla excitatur aliena turpitudine corporis, aut animi. qualis est qui tunc in ore statim apparet, cum amicos repente conspicimus, aut nuntium aliquem læta omnia subitò deferentem excipimus, & loquentem exaudimus. Fecerunt, inquam hi minus prudenter: quippè qui non viderint, Aristotelem non de illo hic risu disputare, qui nostra voluntate, ac iudicio nascitur ad indicandum animi sensum, & voluptatem, cum lætæ res accidunt, ac iucundæ; sed de illo propriè, ac nominatim, qui nobis propemodum excidit inuitis, aliqua re visa, vel audita praua, enormique, hoc est, à decoro longius aberrante.

Quibus ita decisis, affirmo, risum hunc è turpitudine citra dolorem existentem, duos habere fontes, & causas: vnam accersitam, atq. accidentem extrinsecus; in eorum videlicet positam personis, qui voce, habitu, actione corporis Fabulam agũt: alteram magis propriam, atq. coniunctam, immo vero etiam intimam, & hærẽtem rei; hoc est, illam, quæ non in aduentitijs Actorum adminiculis sita sit, sed in ijs, quæ aptè finguntur, aguntur, acutèq. dicuntur ad captandum risum. Prior illa causa certos quosdam continet homines per se ridiculos, eorumq. habitum, vel peregrinum, vel rusticum, ac plebeium, vel alienum, atq. alioqui ab vsu communi ciuitatis abhorrentem: continet laruam, hoc est, illud integumẽtum vultus, quo personæ variæ, variæq. significantur habitudines prauæ, risum mouentes: continet deniq. vitium corporis multiplex; gibbum, diuaricationem, aut enormitatem crurum, claudicationem, aliaq. propemodum infinita. Posterior eos comprehendit errores omnes, ac deceptiones animi minus perniciosas; quæ propter ineptias, & leuitatem, fatuitatemque, audientibus hominibus, & spectatoribus illico risum mouent. cuiusmodi sunt auari senis exquisitæ sordes, stupidi vernæ quædam errata plumbea, sententiæ parasitorum adipales. Erit igitur operæ pretium de vtraq. ridiculi causa, secretis quasi sedibus, ac locis, aliqua diligentius, & ex industria tradere.

## *De Personis ridiculis.* Caput IX.

PErsonarum agentium varietas spectari potest, ab ætate, atque ab officio. Nam habitus, siue cultus corporis, & insignia partim cum ætate, partim cum officio coniuncta sunt, ac propterea tertium genus constituere non debent.

Vt ordiar ab ætate, senes maximè videntur in tota mortalium vita, & ratione ridiculi. Fuere adeo apud antiquos Comicos senum genera permulta, de quibus disserit Iulius Scaliger in poët. sed ex his duos,

duos, hoc est primum, & secundum senem communi quodam nomine dixere πάππον. Quorum prior, vt pro auo haberi posset, capite fingebatur raso, leni supercilio, decora barba, maxillis modicis, & subtristis, colore candido, facie nitida: cuiusmodi fortasse fuit Crito Terentianus, vt ait idem Scaliger. Alter haud multum absimilis, sed habitudine meliori, interiore obtutu, tristis item, ac subpallidus, barba composita, rufus colore, auribus flaccidis. Tertium senem nominarunt ἡγεμόνα, hoc est ducem. fortassè ideò, quòd moderator erat adolescentium, & pædagogus, vt quidam putant. quem facie finxerunt ampla, & quodammodo sparsa, adeoq. maximè ridicula, aquilino naso, dextro supercilio elato, capillo in coronæ modum attonso. Quartum fecere barba promissa, & densa, quam agitatione menti identidem, ac subinde succuteret: capilli habitu eodem, supercilio immoto, facie flaccida, & vieta. hunc proprio appellarunt nomine πρεσβύτην. Quintum Hermonium: sed nominis causam Grammatici non dicunt. Obtutus ei fuit acer, protensa supercilia, barba cuneata, & ipse recaluaster. Postremus à cura, & actu dictus Lycomedius est: quia multa curiosè negotia transigebat. Erat huic barba crispa, mentum oblongum, alterum supercilium protensum, & corrugatum. In his igitur senibus, duobus illis exceptis, quos primo loco posuimus, apparet planè ridiculum, tametsi nihil omnino loquantur: in ceteris ætatibus non apparet. Nam adolescentium fecere quatuor ordines. vnum frugi; qualis est in Trinummo; coma in orbem composita, colore viuido, corpore prorsus exercito, corrugata leuiter fronte: vt optimi animi eminerent in vultu notæ. distenta enim in fronte cutis remissæ vitæ, ac vecordis indicium est, corrugata prudentis, & actuosæ. Secundus erat iunior, remissis supercilijs, corpore nihilominus exercitato, & sciens litterarum. Tertius crispus cum eleganti capillorum dispositione, cirrisque contortis, elatis supercilijs, colore diluto: cui frontis tractus vnica tantum ruga distinguebatur. Quartus mollior, omnium natu minimus: cui eadem dabatur coma, quæ datur frugi, & candor, qui vitam indicaret vmbratilem, & educationis indulgentiam significaret. cuiusmodi esse putatur Æschinus in Adelphis. Sed è quatuor his ordinibus, vt dixi, nullus ridiculus est: nec in hominum ætate varia, præter senes habemus aliquos, qui vel ipsa facie, & corporis habitudine moueant risum.

Sequitur officium: quod latius patet, ampliоremq. suppeditat numerum personarum excitantium risum, & voluptate perfundentium spectatores. Hæ igitur, vt in summa dicamus, ab officio distinguuntur in Comœdia personæ, quæ turpitudinem ridiculam habeant: agrestes; quibus in orbem attonsa fuit coma, ater color, facies insolata; multi inter hos ab antiquis effingebantur labeones, frontones, capi-

tones,

tones, ſimi, naſuti, ceruicoſi, alijq. aſpectu ipſo riſum, & cachinnum commouentes: milites glorioſi; quibus longa dabatur cæſaries, quam nunc ſuperbo quaterent inceſſu, nunc euentilandam permitterent auris; itaque ab ea dicti Græcè ſunt ὀπισθοσείστοι, comam, aut cæſariem ventilantes: Paraſiti; hoc eſt epularum, cibiq. venatores, aut menſarum aſſeclæ, quemadmodum nominantur ab auctore illius orationis in Salluſtium. Dicti verò hi ſunt Paraſiti à παρὰ, καὶ σίτος. Nam σίτος ſignificat cibum: vel à σιτεία. quæ vox apud Græcos ſagina eſt, aut ſaginatio. Sunt nimirum Paraſiti illæ notiſſimæ Comœdiarum perſonæ, quæ ſtudioſiſſimè menſas ſequuntur alienas, atq. ad voluntatem, ac nutum eius, à quo cibum quæritant, omnia loquuntur, & faciunt, nihil repugnantes, nihil contradicentes, turpiter, atq. inuerecundè in omnibus aſſentantes. Quare ſolent adiungi militibus glorioſis; quæ natio vna omnium maximè delectatur aſſentationibus impudentiſſimis. Rectè quippè, ac ſapienter, in libello de Amicitia ſic loquitur Cicero. Aſſentatio Paraſitorum in Comœdijs faceta nobis non videretur, niſi eſſent milites glorioſi. Quin prouerbium fuiſſe videtur apud antiquos huiuſmodi: Suadet militi Paraſitus: vſurpatum ab eodem Cicerone in epiſtol. lib. j. ad Lentulum, epiſt ix.

Varia Paraſitus apud Græcos nactus eſt nomina, quæ officium demonſtrant. Dictus enim interdum eſt κόλαξ, quod vocabulum adulatorem ſignificat: ſed deducitur à cibo, paſtuque: παρὰ τὸ κόλον. cibus quippè non ſolum dicitur Græcè σίτος, verum etiam κόλον. Dictus interdum eſt Gnatho, à maxillarum vſu aſſiduo, & buccarum exercitatione perpetua. Nam maxilla, ſiue mala, ſiue bucca γνάθος eſt apud Græcos, adeoque τὰς γνάθους φυσῶν, buccas inflans, in Demoſthene legitur. Paraſitis vniuersè omnibus colorem dederunt atrum, ætatem iuuenis potius, quàm ſenis (nauabant enim operam adoleſcentibus; quorum cœnas, & comeſſationes exquiſitè captabant) corpus nitidum, obeſum, abdomine, atque aruina præpingue; naſum aduncum, non tamen aquilinum, ſed eum, quem coruo ſimilem facit Ariſtoteles, docetq. impudentiæ, atq. inuerecundiæ indicium eſſe: aures pendulas, & productas, ad audiendum videlicet pronas quod placere dominis intelligerent; ſupercilia intenta, quæ oſtenderent omnium rerum laudatores eſſe, atq. admiratores: ſermonem, geſtum, animum, vultum, oculos in aliorum vultu, atque oculis aſſentatoriè collocatos. Ceterum hoc Paraſitorum officium, tacentibus nobis, exponit eleganter, ac copioſè præſtantiſſimus Paraſitus Sertius Polenſis in ſuo ipſius epitaphio apud Salonem, vrbem Dalmatiæ, lapidi miræ magnitudinis inciſo.

Viatores. ciues. optumi. vel. aduenæ. ſiue. bini. ſiue ſinguli. inceditis. ſiue. turmatim. quod. magis. erit gratiæ. ſiſtite. &. obfirmate. greſſum. nec. miremini ſi. moramini. aliquantiſper. dicaculus. equidem. fui ſuccinctus. ſermo. vobis. dari. non. poteſt. iuuat vobiſcum. eſſe. ac. ab. ore. meo. pendulos. detinere vt. iuuit. ſemper. ſaxum. hoc. vos. vocat. quid. inquam? viuus. aſſueui. prudens. imprudens. mortuus. item vos. fallo. nam. non. vos. vocat. quod. vacat. ore verum. is. quoius. cinis. hic. latet. olim. quom. potuit. huc. vos. vocari. voluit. valuitque. hoc. hæc olim. ſua. voluntas. volentes. vos. legere. hoc. ſcriptum. vah. quid. loquor? immo. ſculptum. quàm ægrè. veritas. adhuc. ſe. mecum. conciliat? nam. neque. hic. atramentum. vel. papyrus. aut. membrana vlla. adhuc. ſed. malleolo. &. celte. literatus. ſilex ſilens. adhuc. quid. hic. latet. late. quod. ego. efferri &. effari. geſtio? Sertius. Polenſis. Paraſitus. hiſtrio veſter. feſtiuiſsimus. hic. cubo. hoc. vnum. tandem ſpontè. dictum. verum. eſt. ſi. quis. dubitat. hancine olfaciat. humum. olet. temetum. &. florem. vini. veteris. quo. ſatur. ſatis. iuuenis. hauſi. at. ſi. vixi. vitam. tam. vobis. gratam. quam. notam. vrbi. & orbi. non. minus. munus. hoc. à. vobis. impetrem oportet. adeſte. mihi. &. fauete. edictoque. huic. vos ſubſcribite. &. obſignate. ſi. quis. ſibi. veſicam. onuſtam. ſenſerit. domum. ſuam. onus. hoc. reportet. in cloacam. ſi. verò. feſtinus. fuerit. citerior. vel. vlterior. hoc. loco. pro. religione. ſe. euacuet. qui. non paruerit, hæc. multa. illi. eſto. teſte. altero. vt. careat

canes.

canes . quoque . cæsi . fustibus . edictum . hoc . sentiant affustis . fauistis . obsignastis . teneo . quo . modo. risum vobis . dare . sitio . hui. sentio . dictum . volui . esse . sed quid . hoc . est . quod . tam . familiariter . istuc . procedit. veritas ? profecto. contagione. mei. sitit . ipsa. quoque . & . mihi . supparasitatur . quæ . vltro . potum. inuocata . aduenit . nunc . si . vrbani. perhiberi . vultis. & veritati . supparasitanti . & . arenti . meo . cineri . cantharo . piaculum . vinarium . festinate . post . valete abite . in . rem . vestram . viatores . optumi . his . nugis ambagibus . postumis .

Parasitos excipiunt serui, ad risum oppidò commouendum idonei, vel calliditate, vel inertia, vel stultitia . Horum formas fecere quinque . Primus dicebatur πάππος : quod nomen supra diximus datum fuisse certo cuidam seni. sed hic seruus eodem nomine ideo præditus erat , quia referebat canicie diuturnam seruitutem, significabatque, frugalitatis beneficio adeptum se tandem esse libertatem. cuiusmodi sine dubio Terentianus est Sosia . Secundus appellabatur ἡγεμὼν, ductor : cuius officium suspicatur fuisse Iulius Scaliger, heriles filios in palæstram , in ludum, ad sacra ducere , reducere domum , comitari. qualis est ille Geta Terentianus in Phormione. Rufos huiusmodi pædagogos fingebant Græci , capillis in coronæ modum attonsis , protensis superciliis , accersita , fucataque vultus grauitate ridendos . Tertium fecere strabonem , capillo crispo quà caluitium patet . huius serui proprium Grammatici non indicant nomen . Quartum dixerunt τέττιξ , cicadam . Nigros huic oculos dedere, & quidem peruersos, duos, tresue capillorum tractus in caluitio diductos, & separatos : volueruntque parem esse rationem, & modum in barba . Quintum fuisse ferunt puerum aduersitorem; hoc est eum, qui dominis occurreret , eosdemque deduceret, reduceretque . Hoc enim ita docet Donatus ad illud Teren. in Adelphis . *Neque seruulorum quisquam , qui aduersum ierant* . Propriè, inquit, locutus Terentius est . nam inde Aduersitores dicuntur . Ex hisce seruis qui nam magis ridiculi sint, indicat habitudo .

De feminis extremo loco dicendum esset. in quibus maximè ridiculæ sunt anus : cuiusmodi est apud Plautum illa bibacula . Has aniculas ordine distinctas suo, voluerunt esse omnino tres . Primam ap-

pellarunt Lycænium à Lupa. Lupum enim Græci dicunt λύκον. Hanc adeo finxerunt proceram, rugis persulcatam tenuibus, & frequentibus, strabam, atque subpallidam: secundam corpore pinguem, vitta crines adstringentem, rugis crassioribus exaratam in fronte: tertiam planè domesticam, exsuctis malis, vtrimque binos ore dentes aperientem. Accedunt ancillulæ. quarum duæ fuere personæ. altera maturior ætate, tunica candida succincta: altera iunior, discriminata coma, naso simo, tunica induta coccinea. Postremæ numerari debent nutrices matronarum: quas anus esse oportet, dominarum subinde sermonem interpellantes.

Hæ potissimum sunt apud antiquos personæ ridiculæ, nec alias facilè reperias. Nostri, qui vernacula popularique Italorum lingua scripsere Comœdias, limites in eo genere protulerunt, infinitoque propemodum numero eorum, qui risum concitent, suas auxere Fabulas, & Comœdiæ quasi pomœrium amplificarunt. Inducunt enim pædagogos; non eos tantummodo puerorum liberalium ductores, quos item fuisse scimus in antiquorum Comœdia; sed audaculos quosdam Grammaticos, & putidos litteratores: qui fuco quodam latinitatis patrium sermonem inficiant, & loquantur ineptissimè. Inducunt peregrinos, eundem patrium nostrum perperam vsurpantes sermonem. inducunt amentissimos seruos, ancillulas fatuas, medicos, aut Iurisconsultos leuissimos, versutissimos, ac petulantissimos pueros, finitimarum prouinciarum, aut vrbium homines aliquos non corruptè modò, sed stultè loquentes, gestuque, ac motu corporis vtentes peruersò. In quo genere tanta iam cœpit omnes libido, libertasque ludendi, nulla vt ciuitas sit, quæ Comœdijs, finitimorum non imitetur sermonem, & irrideat mores.

Fuerunt aliæ quædam ridiculæ personæ apud veteres, petitæ ab imitatione mutarum animántium, & rerum sensu ipso, animaque carentium. Nam Aristophanes Comœdiam fecit, quam Ranas inscripsit: quia ranarum inducit Chorum, hoc est homines, ranas ipsas motu imitantes, ac voce. Sic enim loquuntur.

Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.
Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.
Λιμναῖα κρηνῶν τέκνα
Ξύναυλον ὕμνων βοὰν
Φθεγξώμεθ᾽ εὔγηρυν ἐμὰν ἀοιδὰν.
Κοὰξ, κοὰξ.

Quæ verba reddi latinè vix possunt. reddita tamen hoc modo sunt ab Andrea Iustinopolitano.

*Brecececèx, coàx, coàx.*
*Brecececèx, coàx, coàx.*

*Palu-*

*Paludosi fontium filij ,*
*Tibiale laudum , vocem*
*Canamus , sonoram meam cantilenam .*
*Coàx , coàx .*

Scripsit idem Aristophanes etiam Nebulas.in qua Fabula eodem planè modo nubes ipsas facit in Choro canentes,loquentesque cum spectatoribus,& conquerentes, quòd cum ipsæ Deæ essent, in sacrificijs tamen solæ prætermitterentur .

Ὦ σοφώτατοι θεαταὶ δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε.
Ἠδικημέναι γὰρ, ὕμμιν μεμφόμεθ' ἐναντίον.
Πλεῖστα γὰρ θεῶν ἁπάντων ὠφελούσαις τὴν πόλιν ,
Δαιμόνων ἡμῖν μόναις οὐ θύετ' οὐδὲ σπένδετε.

*O sapientissimi spectatores huc mentem aduertite .*
*Iniuria quippè affectæ vos accusamus :*
*Quòd cum præ omnibus Dijs ciuitatem iuuemus maximè ,*
*Nobis tamen solis ex Dijs non sacrificatis,neque libatis .*

Carpit enim, ac mordet Aristophanes Socratem : quòd antiquis,notissimisque Atheniensium reiectis Dijs, nouos quosdam induxisset,in primisque aërem , & nubes ; quibus sacrificia etiam deferenda esse contendebat . Quare in eadem illa Comœdia Socrates ipse suas partes agit ; iuratque, non per communes, & notos Ciuitatis Deos, sed per suos .

*Per respirationem,per chaos,per aërem*
*Non vidi sic rusticum vllum virum .*

Scripsit denique illam , cui nomen est Aues . In qua commentus est voces nihil planè significantes , vt in Ranis , sed ijs , quas proferunt aues similes. Sic enim Chorum auium ducens Vpupa aggreditur canere,ac ceteras inuitare .

*Epopì,popì,popì,popì*
*Iò,iò,itò,itò,itò*
*Huc adeste Alites meæ,quæque agrorum bene*
*Satas teritis vias,quæque hordeum legitis ,*
*Mollem emittentes vocem,quæque circum glebas canitis*
*Læto sono .*
*Tiò,tiò,tiò,tiò,tiò,tiò,&c.*

Sed huiusmodi nugæ tam futiles , alienæ sunt à noua Comœdia : quæ non alias, nisi humanas, & eas, de quibus diximus, ad prouocandum risum,in scenam personas affert.Induxit Plautus humano habitu Inopiam,& Luxuriam in Trinummi prologo.quem qui audeat imitari,& sub humana specie fictis vitijs, aucupetur risum, eum ego non existimauerim esse reprehendendum .

## *De rebus ipsis, quæ dicuntur, aguntur que, ridiculis. Caput X.*

RIsum excitantia duo sunt: ea, quæ longo iam tempore desiderauimus, quæq. animo nostro accidunt iucundissimé; & ea, quæ quosdam habent errores, ineptias, & deceptiones aliorum. Videmur enim ex eorum erratis nobis ipsis quodammodo gratulari, quòd illos sapientia, prudentiaque vincamus. De illa risus priori materia nihil à nobis dicendum est, quia de ea quemadmodum indicauimus alibi, non loquitur Aristoteles. De posteriore sic disputamus.

Errata, quæ risum pariunt, in quinq. veluti genera diuidi queunt. Primum deceptiones quasdam habet ex earum ignoratione rerum, proficiscentes, quas vsus, sensusq. communis omnium planè mortalium ingenerat animis. ita prorsus; vt eas ignorare non possit, nisi qui ratione prope ipsa careat, & sensu. Neque enim facere possumus, quin rideamus, cum aliquos intuemur ea nescientes, quæ vulgò sciũtur ab omnibus. cuiusmodi erat Homeri Margites: qui adultus, & iam ad virilem prouectus ætatem ambigebat, à quo nam ipse fuisset ex vtero in lucem editus: à patre ne, an à matre; nec res didicit vnquam supra numerum quintum recensere, vt docent Eustathius, & Suidas. Secundum nascitur ex ebrietate, aut à phrenesi, aut ab aliquo somnio: quibus qui tenentur, aliqua faciunt, aut dicunt à ratione tam aliena, vt risum nolentibus etiam, atq. inuitis excutiant. Tertium ex ignoratione oritur aliquarum artium, aut virium æstimatione suarum imprudenti, & insana: qua fit, vt ea scire, ac facere se posse confidat aliquis, quæ prorsus ignorat, ac facere nequit. Ex hoc genere sunt illi ludi magistri, legulei, ac medici leuissimi, de quibus in proximè superiori disputatione diximus. Inducuntur enim à Comicis nostris eas amplissimè profitentes disciplinas, quarum incredibili, & non ferenda quadam ignoratione tenentur. Ex hoc item genere sunt milites gloriosi, qui prædicant, vrbes, exercitus, castra, genus humanum vno se spiritu difflasse, euertisse montes, pugno Elephantos comminuisse. Quò facilè reuoces Gripum illum piscatorem in Plauti Rudente. qui cum arculam è naufragio fluitantem attraxisset in terram euerriculo suo, ratus inibi aurum esse, antequam resignaret, & conditas exploraret res, cœpit de domibus, deq. vrbibus etiam ædificandis sedulò cogitare Act. iv. Scen. xj.

*--------- Quicquid inest, graue quidem est: aurum*
*Hic ego inesse reor. nec mihi conscius est vllus homo. nunc hæc tibi*
*Occasio Gripe obtigit, vt liberet ex populo Prætor te.*

*Nunc*

*Nunc sic faciam. sic consilium est. ad herum veniam doctè, atque astutè.*
*Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, vt sim liber.*
*Iam vbi liber ero igitur, domum instruam, agrum, ædes, mancipia.*
*Nauibus magnis mercaturam faciam: apud Reges Rex perhibebor.*
*Post, animi causa mihi nauem faciam, atque imitabor Stratonicum.*
*Oppida circumuectabor. vbi nobilitas mea erit clara,*
*Oppidum magnum communibo. Ei ego vrbi Gripo indam nomen,*
*Monumentum meæ famæ, & factis: ibique regnum magnum instituam.*

Quartum earum continet declinationes deceptionum, quæ nobis paratæ iam erant. Mouent enim hæ risum maximè, tum præsertim, cum callidè in ipsum regeruntur auctorem. Quintum contra habet insidias quasdam minimè vitatas, ac declinatas, sed eas tamen, quæ non ita magnum afferant homini decepto detrimentum. quales illæ prorsus sunt, quas callidissimi serui dominis tendunt auaris, aut patribus sordidis filij nequam.

## *De alijs quibusdam locis. vnde peti dicta, & ridicula queant. Caput XI.*

QVæ supra disputata iam sunt, ea ad ridicula quædam longiora, & fusiora tractanda suppeditant locos. Alios item nunc designabimus fontes breuioribus iocis, ac repentinis magis idoneos: qui nascuntur ex dicto aliquo inexpectato, & nouo, confestim, ac raptim tamquam ex arcu contorto. Has verò sedes, & locos non alios faciemus, quàm quos ipse in libris de oratore M. Tullius exposuit in medium, oratoribus æquè, ac poëtis occupandos.

Primus locus sit verbi translatio. Communia enim verba, & vulgata, quia noua non sunt, & ex inopinato non accidunt, iocis, qui nouitatem amant, minus esse videntur idonea. Celeberrimum in hoc genere dictum Catonis est in Albidium; qui sua bona luxu, ganea, ingluuie dilapidauerat omnia; & domum, quæ remanserat vna, incendio consumptam ad extremum amiserat. Hæc, inquam, intuens Cato, dixit, Albidium fecisse proteruiam; ioco per translationem petito à quodam sacrificio Romanorum, cui proteruia nomen erat. In eo quippè quicquid ex sacris epulis esset reliquum, absumebatur incendio. Huiusmodi translationes ridiculæ sunt apud Plautum obuiæ mul

tæ. *Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?* Et *gestiunt mihi pugni.* Et *huic ego dedi oues, & lanam.* dederat autem argentum, & nummos redactos ex ouibus patris, quas paulo ante vendiderat. Secundus est paragramma, siue paranomasia. Latinè dici potest allitteratio. vt si facie magis ridiculum aliquem dicas esse, quàm facetijs, mobilem magis, quàm nobilem, nec tam oratorem, quàm aratorem. Tertius ambiguo continetur, & amphibolia. Dictum Augusti subitum, atq. acutum in hanc sententiam laudatur ab omnibus, in Galbam coniectum, hominem prauis humeris, ac gibbosum, apud Augustum ipsum causam agentem, ac dicentem subinde. corrige, si quid reprehendis. Ego monere te possum: corrigere non possum. Transtulit enim responsionem ad vitium corporis. Quartus est etymologia, hoc est explicatio vocabuli. cuiusmodi fuit illa M. Tullij, cum dixit, Verrem factum fuisse subitò verrem. Quintus habet parodiam. quæ versus aliquos poëtarum nobilium perparum immutatos, aut, ne immutatos quidem in alicuius hominis irrisionem conuertit. Talis profectò est illa Virgilij, vel alterius poëtæ in Bassum Sabinum ex Catullo traductio.

*Sabinus iste, quem videtis hospites*
*Ait fuisse mulio celerrimus.*

Sextus est hyperbole: quæ quoniam rem incredibiliter auget, præ se fert accommodatam turpitudinem ad permouendum risum. qualis est illa in Memmium: quem, quia corpore maximè procero erat, dicebat Crassus hyperbolicè, ad arcum Fabij triumphalem caput solitum esse demittere, ne offenderet. & illa Scipionis in Metelli filios quatuor: è quibus, cum secundum videret obtusiorem primo, tertium secundo, quartum tertio, dixit item per hyperbolem, si mater peperisset quintum, asinum fuisse parituram. Septimus dissimulata quædam appellatio dici potest. quæ in risu ciendo tum habet vsum, cum honesto vocabulo res turpis, aut vitiosa iocosè nominatur. Huiusmodi est illa Scipionis Africani: cum militi, prælio se propterea non interfuisse dicenti, quòd ad custodiendas sarcinas remansisset, ignauiam diligentiæ nomine cohonestans, ita respondit. Non amo nimis diligentes. Octauus est inuersio alienæ sententiæ. cuius exemplum exposuit Q. Fabius Maximus: cum Liuio Salinatori, dicenti: opera mea Q. Fabi Tarentum recepisti: benè mones, respondit: nisi enim amisisses, numquam ego recepissem. Nonus huic similis est; Reiectio. cuiusmodi esse possumus dicere illam Ægilij mollis adolescentis in Opimium; à quo irridebatur his verbis. *Quid tu Aegilia mea? quando venies ad me cum tua colu, & lana?* Repentè quippè dictum ita reiecit Ægilius. *Non pol audeo. nam me ad famosas vetat mater accedere.* Decimus videtur esse stomachatio quædam, aut subirata responsio

ex

ex re molestissima. Talis apud Næuium legebatur. *Quid ploras pater? Mirum ni cantem. condemnatus sum.*

Alij sunt, figuris, tum verborum, tum sententiarum tractati loci ad dicta promenda ridicula, & faceta, quos exponit diligentissimè Cæsar apud Tull. in ij. de oratore. quem omnino consulere debet qui ampliora in hoc genere præcepta volet. Nemo enim hæc exquisitius, aut copiosius est persecutus.

Possunt tamen ijdem loci multis à Plauto desumptis exemplis illustrari. Nam ridiculum ex translato petitum illud pulcherrimum est in Asin. Act. ij. Scen. ij. vbi duo serui Leonida, & Litanus sic se salutant inuicem. Lit. *Iubeo te saluere voce summa, quoad vires valent*. Leon. *Gymnasium flagri salueto*. Lit. *Quid ais custos carceris?* Leon. *ò catenarum colone*. Lit. *ò virgarum lasciuia.*

Allitteratio verò lepidissima est in Bacchid. Act. iij. Scen. iij. vbi seruus Chrysalus adornans sycophantias, & senem emungens auro, crucem ita sibi timere aggreditur.

*Sed quid futurum est quom hoc senex rescierit?*
*Quom se excurrisse illuc frustra sciuerit,*
*Nosq. aurum abusos? quid mihi fiet postea?*
*Credo hercle adueniens nomen mutabit mihi,*
*Facietq. extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.*

Similis est allitteratio in Act. iv. Scen. ix. eiusdem Chrysali, suam in sene decipiendo calliditatem extollentis, seq. cum Vlysse, adulterinam syngrapham cum equo Troiano comparantis.

---------*Ego sum Vlysses, quoius consilio hæc gerunt:*
*Tum quæ sunt hic scriptæ litteræ, hoc in equo insunt milites*
*Armati, atq. animati. probè ita res successit, meliusq. adhuc.*
*Atque hic equus non in arcem, verum in arcam faciet impetum.*

Ridiculum ab ambiguo ductum penè apud Plautum est vbique, sed illud non inconditum, quod legimus in Mil. Glor. Act. j. Scen. j. vbi cum gloriosus ille Miles ad sua ipsius facinora, quæ assentatoriè numerauerat Parasitus, hoc modo dixisset: *Istud quidem ædepol nihil est:* significans nihil esse, si cum alijs longè maioribus conferantur; arripit ambigua verba idem Parasitus, atque in contrariam planè sententiam ita respondet. *Nihil hercle hoc quidem*. A notatione nominis, & etymologia quæsitum est illud in Bacchid. Act. iij. Scen. j. vbi Bacchides ipsæ, duæ sorores meretrices, Bacchæ nominantur. *Bacchides non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrumæ*. & in Prologo cuius partes agit in ea Fabula Silenus. *Bacchus bacchantes Bacchas mittit Bacchides. Quare non est mirum, si huc aduenerim.* Ac paulo post prope finem.

*Altera Pistoclerum ad se allicit*

*Altera venienti desidet Mnesilocho.*
*Geminæ Bacchæ duos bacchantes pullulos*
*Quid mirum si ad se se traxerint blandulæ?*

A Parodia sine dubio accersitum est, quod in ijsdem Bacchid. gloriosè de se sic exclamans commemorat, & prædicat Chrysalus oratione conuersa in senem suum, & senis domum, quam interuerso iam auro, expilauerat. Act. iv. Scen. ix.

*O Troia, ò patria, ò Pergamum, ò Priame nunc perijsti senex;*
*Qui miserè malè mulctabere quadringentis philippis aureis.*

Inuertit enim ad ridiculam, iocularemq. sententiam initium nobile quorundam versuum ex veteri Tragœdia, vel Ennij, vel alicuius poëtæ ipso etiam Ennio antiquioris, quibus inducitur Andromacha Troianum ita lamentans excidium.

*O pater, ò patria, ò Priami domus*
*Septum altisono cardine templum*
*Vidi ego te, &c.*

Hyperbolen ad risum captandum frequentant apud Plautum personæ propemodum omnes, sed hanc figuram consuluit tum maximè Parasitus, cum Militi glorioso impudentissime palpans, hæc supra fidem omnem extollit.

*Memini: nempè illum dicis cum armis aureis,*
*Quoius tu legiones difflauisti spiritu,*
*Quasi ventus folia, aut penniculum tectorium.*

Multa ex Plauto, alijsq. suppetunt exempla, quibus ceteri quoque possent expleri loci, quos in Cicerone notauimus. sed obuia sunt. Ijs itaq. prætermissis, satis hic habeo ea ex eodem M. Tullio decreta proponere, quæ dictum ridiculum omni vacare obscœnitate, ac turpitudine iubent. Ita enim hac de re præcipit in Oratore perfecto ad Brutum. Illud admonemus tamen; ridiculo sic vsurum Oratorem, vt nec nimis frequenti, ne scurrile sit; nec subobscœno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum. Quæ sanè præceptio ipsi quoque poëtæ Comico congruit. Vt enim huic maior quædam, quàm Oratori permissa in hoc genere licentia sit, dari tamen venia non potest, vt à decoro, atq. ab officio verecundiæ discedat, quod vnicuiq. mortalium, adeoq. ipsi etiam poëtæ Comico impositum esse idem Cicero docere videtur in off. j. Duplex, inquit, est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, vrbanum, facetum. quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam Socraticorum Philosophorum libri referti sunt, multaque multorum facetè dicta. vt ea, quæ à sene Catone sunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui, & illiberalis ioci. Hæc Cicero ipsis quoque Comicis præcepta congruentia

tradit. qui si Christiani præterea sunt, audire Hieronymum debent, pronunciantem: obscœna verba esse principia morituræ virginitatis.

## De Comœdiæ Partibus vniuersè. Caput XII.

IPsa nunc videnda est totius structura Comœdiæ: quæ haud dubiè constat membris, & partibus suis. Partium verò in singulis poëmatis duplex facit genus Aristoteles. vnum, quod quantitatis appellat, alterum qualitatis. Quæ quoniam in Comœdia quoq. designandæ sunt ordine; illud primum ponere nos oportet, has Comœdiæ partes esse simillimas illis, quæ describuntur in compositione Tragœdiæ. Nam, vt ait Socrates apud Platonem in Symposio propè finem, Tragœdiæ, ac Comœdiæ construendæ, componendæq. idem penè artificium est. Discrepant tamen aliquantulum vtriusque partes inter se: postulantq. propterea, vt quæ propria Comœdiæ sunt, explicentur à me copiosius, quæ sunt cum vtraq. communia, indicentur tantummodo, commemorenturq. leuissimè: quia sunt enucleatè iam tradita in libello superiore de Tragœdia, tradenturq. postmodum in Comment. de Elegia.

## De partibus Qualitatis. Caput XIII.

QValitatis partes ex Aristotele diximus esse sex: Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Apparatum, Melodiam. Fabulam cum dicit, ipsam rerum compositionem, & coagmentationem intelligit. in qua non Comœdiæ modò, sed omnium omnino poëmatum tota ratio contineri videtur, & vis. Et quoniam de hac parte illa eadem præcipi debent, quæ præcipit Aristoteles de constitutione Tragœdiæ, eius in hoc genere monita iterum relegamus, quæ sunt hæc.

Primum. vt Fabula vna sit, hoc est, vna tantum actione contineatur vnius hominis. Plures enim actiones, quibus varij, longèq. inter se distracti proponuntur fines, Fabulam efficere nullo modo poterunt vnam. Andria Terentij videtur aliquibus in hac parte peccare; quasi in ea duæ deprehendantur actiones, quarum vna cum altera committi non queat. Actiones autem hasce duas ita dissidentes, & dissitas aiunt aliqui esse amorem in Glycerium Pamphili, & in Philumenam Charini.

Secun-

Secundum. vt tota rerum comprehensio, quas imitatione complectitur, & transigit Fabula, in vnius diei spatium cadere possit: sic, inquam, vt verosimile sit, ea, quæ geruntur ab Actoribus, intra spatium vnius diei esse perfecta. Inde videlicet fit, vt non ab ipso exordiamur initio, sed à medio, vel à fine propemodum argumenti; præterita in colloquijs Actorum, & per occasionem rei gerendæ commemoremus. Itaq. in Plauti Rudente, vt hoc tantum exempli causa dicamus, non sumitur initium ab amissione filiæ paruulæ, sed à tempestate, qua filia iam grandis, & adulta, diu, multumq. agitata, tandem aliquando in littus appellitur: id verò, quod cum ea superioribus actum est annis, in colloquijs enarratur. Hinc reprehenditur Euripides meritò: quòd Hecubam in eius nominis Tragœdia faciat mittentem ex suis ancillis vnam à Chersoneso in Thraciam; vnde venturus est Polymnestor. hæc enim vno die perfici non poterant. Erat adeo potius ante fingendus aduentus Polymnestoris proximus, & per Nuntium aliquem significandus. Idem deprehenditur error in Heraclidibus: idem in Phœnissis. In illis enim locorum longinquitas ponitur magna, ad quæ profectio est, & inde reditus: ponuntur euocationes armatorum hominum, & copiarum, lustrationes exercitus, eductiones in aciem, & campum, ipsi conflictus: quæ diuturnitatem temporis postulant singula, nec possunt in vnam diem vlla ratione compelli. In his sunt apparatus bellici, extra vrbem commissa, & perfecta prælia: sunt alia his similia, quæ spatia temporis sibi vindicant ampliora.

Tertium Aristotelis monitum est; vt totius magnitudo Fabulæ sit iusta, hoc est ea, quæ neque longior, neque breuior, quàm par sit, esse videatur. Huiusce iustæ magnitudinis internoscendæ notam tradit duplicem Aristoteles: vnam ab ipso contextu Fabulæ ductam; quæ tum absolui debet, ac terminari, cum implicato, solutoq. iam nodo, perfecta sunt omnia: alteram in clepsydra positam; quæ iustum finem histrionibus agentibus in scena ex auctoritate publica describebat. Nunc autem clepsydræ locum obtinere videtur spectatorum iudicium, omniumque consensio communis; qui spatio circiter horarum quatuor ab Actoribus teneri se libentissime patiuntur: amplius se detineri molestissime ferunt.

De moribus, ac sententia sic disseruimus in libello de Tragœdia, vt nihil hoc loco addere præterea possimus.

Quod verò ad dictionem attinet, illud etiam docuimus: oportere infimam esse, & quæ familiaribus colloquijs consentanea sit. quæri autē potest; liceat ne populari lingua, quod nostri faciunt, Comœdias, & scribere, & populo exhibere. Negat id licere Casteluitrus; ea permotus ratione: quòd quamquam Comica locutio familiaris est, debeat tamen ipsa verba humilia habere propria, pura, atq. ab ijs accepta,

qui linguæ ſunt auctores, ac magiſtri. At nulli ſunt huiuſmodi linguæ noſtratis auctores, à quibus humilem quidem, & infimam, ſed propriam, ac puram dicendi notam petere poſſimus: cum nulla ſint in hac lingua huiuſmodi verba vulgaria, & plebeia, quæ à probatis vſurpata ſcriptoribus ſint. Sed ea ratio prorſus infirma eſt; nec aliquam ijs facere fidem poteſt, qui noſtræ linguæ libros antiquos euoluerunt. abundamus enim potius auctoribus illis, qui genere locutionis vſi ſunt infimo, ac ſermonibus familiaribus apto, quàm ijs, qui magnifico, & ſummo charactere diſputationes graues, aut orationes reliquerint, ampliſſimis verbis exornatas. Altera tamen hinc exiſtere quæſtio videtur grauior. An ſoluta numeris oratione ſcribere Comœdias fas ſit, quod noſtri quoque iam pridem audere non dubitarunt. Ne id quidem fieri poſſe confirmant Caſteluitrus, Petrus Victorius, & Vincentius Madius; rati: Ariſtotelem ipſum ſic decernere in poët. c. j. vbi perplexè diſputans, in dubiũ id vocat: an verſum, & numeris vinctam orationem ita ſibi vindicet poëſis, vt ea ſubmota, corruat omnis poëticæ vis, & natura. Sed demonſtrat Alexander Piccolomineus apertiſſimè, Ariſtotelem alia omnia, quàm iſti contendunt, eo loco ſignificare; hoc eſt, orationem metricam, ac verſum inſtrumentum quidem, ac præſidium eſſe poëſeos maximum, intimam tamen poëticæ vim, & naturam non attingere; quæ tota in imitatione poſita eſt, & actionum humanarum effictione continetur. Ariſtotelis hunc locum, & verba qui perpenderit, videbit id eſſe veriſſimum. Socraticos quippè ſermones, hoc eſt Platonis Dialogos cum Mimis Sophronis poëtæ ait aliquid habere commune: id vero imitationem eſſe, cuius nimirum cauſa vterq. dici poëta poſſit: ille quidem imperfectus, & minus abſolutus, hic partibus, & numeris perfectiſſimus omnibus. Ad hæc: Homerum, atque Empedoclem, qui phyſicam perſecutus, & complexus erat verſibus, verſus ipſos inter ſe dicit habere communes: & tamen illum habendum eſſe, ac dicendum poëtam, hunc è choro poëtarum depellendum. vt intelligas orationem illam metricam à poëſeos intima natura, & vi ſeiungi, ac ſeparari facilè poſſe. Quare danda eſt hæc Comœdiæ venia, vt ſoluta ſcribi oratione queat; hac noſtra præſertim populari. quæ ſi numeros addat, multo longius à colloquio familiari diſcedat, quàm latina. habet enim hæc verſus illos ſeptenarios, aut octonarios ita liberos, & ſolutos, vt à familiari ſermone vix differre videantur. Firmare fortaſſe poſſit ſententiam meam Fabula quædam Lepidi Comici veteris, ſoluta, & libera ſcripta oratione; cui nomen eſt Philodoxios. Hanc Fabulam erutam ex antiquis monumentis edidit Aldus Manutij filius. quem numquam ego putauerim nobis imponere, aut fucum facere voluiſſe. Quin character ipſe teſtari videtur antiquitatem.

De Apparatu nihil omnino proferre præterea possumus. Quicquid habuimus dicere, in Apparatu Tragico iam exposuimus. vbi tria distinximus ex Vitruuio scenarum genera: quorum vnum est Comicum.

De Melodia, siue harmonia, & concentu sunt amplius quæ dicamus, sed postulant ipsa per se disputationem, locumq. sepositum.

## *De Musicis Modis, ac Tibijs Comœdiarum.*
## *Caput XIV.*

IN veteri Comœdia, quæ Chorum habuit, eadem planè fuit melopœiæ ratio, ac ea, quæ à Tragicis vsurpabatur. Nam eodem planè modo post singulos Actus ingrediebatur in proscenium Chorus cum concentu, motu, gestuque, ac saltationibus ad tibias. Sed Choro de veteri Comœdia sublato, Choricorum officium præstare cœpit tibicen. Id profecto sic factum esse, vel ex vno Plauti Pseudolo discere possumus. In exitu enim Actus primi Pseudolus ipse seruus, abeunte de scena domino, sic aggreditur alloqui spectatores.

*Suspicio mihi nunc est, vos suspicarier,*
*Me hæc idcirco tanta facinora promittere,*
*Qui vos oblectem, hanc Fabulam dum transigam:*
*Neque sim facturus quod facturum dixerim.*
*Non demutabo, &c.*
*Concedere aliquantisper hinc mihi intrò libet,*
*Dum centurio in corde sycophantias.*
*Tibicen vos interea hic delectauerit.*

Tibicines igitur inducti sunt, atque in Chori locum substituti: quibus excellentes aliqui Musici dabant modos inflectendos ad tibiam. Quæ causa est, cur initio Terentianarum Fabularum huiusmodi reperiamus inscriptiones: quæ nomen indicent auctoris, à quo facti essent modi per Actuum interualla decantandi. Vt in Andria.

*Acta ludis Megalensibus, &c. Modos fecit*
*Flaccus Claudij. Tibijs imparibus, &c.*

Modos autem, ac leges musicas multiplices fuisse accepimus, à varijs acceptas gentibus, quæ illas excogitarant, atque habebant in vsu. Nam à Dorijs modus quidam certus dictus est Doricus, ab Ionibus Ionicus, ab Æolijs Æolicus, à Lydis Lydius, Phrygius demum à Phrygibus. Hi fuerunt, inquam, præcipui tibiarum modi, quos pro argumenti varietate sic producebant in scenam, quemadmodum rei, quæ canebatur, ratio postulabat. Dorica quippè lex magnifica fuit,

ſublimis, grauis, intenta. nihil habuit fuſum, nihil ſolutum, aut hilare, nihil molle; ſed plenum, vehemens, paucis, modiciſque flexibus temperatum, numeris, & motibus aptiſſimum bellicis. cuiuſmodi planè dicunt aliqui hodieq. apud Getas, Scytas, Dalmatas, & Pannonios eſſe. Æoles exultationem huic addiderunt, feceruntq. tumidam, atq. audacem: quamquam ab antiqua ſimplicitate non diſceſſerunt, neq. numeros fregerunt, vt Iones. Talem eſſe ait Scalig. Germanorum bello aptam, nec ineptam conuiuijs muſicam legem, aut tibiam. Iones ſuis moribus fecere ſimilem: mollem, placidam, lenem, & numerorum creberrimis conciſiunculis fluxam. Phryges, qui dicuntur à nonnullis tibiarum auctores primi, fecerunt incitatam, atque patheticam. Nam ad furorem, quemadmodum ait Ariſtoteles in octauo lib. Politicorum, eo vſq. commouebat animos, atq. ita inflectebat ad lacrymas, vt non alia, quàm Phrygia lege canerentur Epicedia. Lydij deniq. habuiſſe videntur harmoniam, & canendi legem haud multum à Phrygibus differentem, ſed minus concitatam.

Itaque, vt omnia repetamus à principio, Dorica erat componendis animis accommodata; quod in quinto libro ſententiarum Hippocratis, & Platonis ſcripſit Galenus, hæc Poſſidonij verba commemorans. Damon Mileſius, cum ad tibicinam acceſſiſſet, quæ Phrygijs modis adoleſcentes quoſdam temulentos vſque ad furorem incenderat, iuſſit ad Doricas leges tonum demittere: quo illi permulſi, compoſitiq. quieuerunt. Ita Poſſidonius apud Galen. Atq. hæc eadem eſt cauſa, cur Ariſtoteles in octauo illo Politicorum lib. iuſſerit pueros inſtitui Dorica Muſicorum lege. intelligebat enim eorum animos ætate feruentes, & florido ſanguine, perturbationibus obnoxios eſſe, quæ Doricis illis modis facilè componerentur. Æolica fuit exultans: Ionica vetus aſpera; noua mollis, & placida: Lydia, & Phrygia acutæ, ac propterea luctibus, & funeribus adhibitæ frequenter.

Ex his igitur modis, ac legibus eos magiſtri legebant, quos videbant eſſe Comœdiæ, quæ agenda foret, accōmodatiores; & concinendos tibicini permittebant. cui pro modorum varietate fuere quoque variæ tibiæ, atq. multiplices; de quibus eſt explicandum.

Tibiarum genera fuere multa, ab inuentoribus, à ſono, à regionibus, à materia, à numero, ab vſu ipſo diſtincta. Sed prætermiſſis alijs, de ijs tantummodo nos hic dicemus, quæ Fabularum actionibus exhibendis erant in vſu frequentius. Primo itaq. alia fuit tibia vetus, alia noua, quemadmodum docet Horat. in Arte.

*Tibia non vt nunc orichalco vincta, tubæq.*
*Aemula: ſed tenuis, ſimplexq. foramine pauco*
*Aſpirare, & adeſſe Choris erat vtilis, atq.*
*Non dum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu;*

Quò

*Quò sanè populus numerabilis, vt pote paruus,*
*Et frugi, castusq. verecundusq. coibat.*

Docet, inquam, his verbis, veterem tibiam quatuor nominibus ab ea, quæ postmodum inuenta est, fuisse distinctam. quòd orichalco vincta non esset; quòd esset tenuis, quòd simplex; quòd paucis foraminibus redderet sonum. Secunda tibiarum partitio est in pares, atque impares, in dextras, ac sinistras, in Phrygias, & Sarrhanas. Quæ nam pares, imparesue fuerint, inter doctos viros, eruditosq. non conuenit. Opinantur aliqui, à foraminibus æquidistantibus esse dictas pares, impares ab inæqualibus interuallis. Pares alij dictas volunt, cum duæ eiusdem planè magnitudinis, & soni modularentur: impares, cum vna tantum caneret. cuius sonus, & cantus μονῴδιον, siuè μοναύλιον dicebatur. Itaq. horum sententia pares, geminæ sunt eiusdem soni, impares vnius soni, ac singulares.

Tertia partitio, & differentia est tibiarum dextrarum, & sinistrarum: in qua multo maximè scriptorum sententiæ variant. Non possumus adeo de re quicquam certi statuere: sed proponemus tamen quæ traduntur à singulis. Victorius in libro variar. lect. xxxviij. cap. xxij. arbitratus est, tibias dexteras dictas esse, quæ dextera oris parte, manuq. item dextera, sinistras, quæ tum oris parte, tum ipsa quoq. manu sinistra tenerentur à tibicine, cum inflabantur. Quod si dicatur aliqua Fabula acta tibijs dextris, & sinistris, eam actam intelligi vult tibijs partim inflatis dextera oris parte, & partim sinistra, alterius sono alteri concinnè, ac musicè respondente. Eum deniq. tibicinem dextris, ac sinistris vsum putat, qui vtramq. simul inflaret. Huiusmodi enim tibicines, duas inflantes tibias, cælati marmore multi Romæ visuntur in antiquorum monumentis; vbi eorum expressa sacrificia sunt; in Capitolio præsertim, ad graduum parietem, cum ascenditur; & in columna Traiani coclide, ac triumphali. vtrobiq. enim tibicen est, duas tenens manibus tibias, & eas vtraq. oris parte inflans, dum peragitur à Pontifice sacrificium. Iulius verò Scaliger dextras, & sinistras dictas existimauit; non quidem à dextra, sinistraue oris parte, manuq. tibicinis, sed à proscenij lateribus, aut scenæ, vnde à tibicine inflarentur. sic, inquam; vt si tibicen inflaret tibiam ab dextra scenæ parte, tibiæ dicerentur dextræ, sinistræ, si à sinistra. Itaq. harum tibiarum differentia, vt Scaligeri fert opinio, spectabatur à loco, vnde sonum emitterent. Sed tamen in sono ipso aliam aliqui differentiam inuenerunt, cum noua quadam opinionum discordia. Sunt enim qui dicant, sinistras fuisse acutiores, grauiores dexteras. Sunt contrà, qui velint sinistras grauem sonum, dexteras acutum reddidisse. quorum sententiam comprobare videtur locus Plinij lib. xvj. cap. xxxvj. his planè verbis. Sed tum ex sua quamque tantum arundine con-

congruere persuasum erat, & eam, quæ radicem antecesserat, læuæ tibiæ conuenire, quæ cacumen, dexteræ. Significat nimirum Plinius, vt eum locum interpretatur Scaliger, antiquos internodium arundinis radici proximum sumpsisse, ad tibiam fabricandam sinistram; illud, quod subesset cacumini, ad dextram faciendam reseruasse. Quo fit, vt quia internodium radici proximum, eo, quod subest cacumini, maius est, grauiorem, quoque reddiderit sonum, acutiorem alterum, quia minus est.

Quartum potest constitui genus partitionis in Phrygias, & Sarrhanas. Nam Sarrhanis nominatim vsos fuisse videmus Terentianos Adelphos.

*Acta ludis funebribus L. Aemilij Pauli, &c.*
*Tibijs Sarrhanis.*

Sed hæ non differunt à paribus, atq. imparibus, quarum modò nomina interpretati sumus. Sarrhanæ enim tibiæ fuere pares, hoc est eæ, quæ paria, & æqualia habuere, vel foramina, vel ipsa foraminum interualla: Phrygiæ, impares, hoc est eæ, quibus imparia, vel foramina, vel interualla foraminum essent; atque vt dicam cum Seruio, quibus cauerna foraminis esset impar. Sic enim interpretatur illos Virgilij versus.

*O veræ Phrygiæ; neque enim Phryges: ite per alta*
*Dindyma; vbi aßuetis biforem dat Tibia cantum.*

Ait, inquam, biforem Phrygiæ tibiæ cantum eo loco à poëta dici imparem, atq. ex inæquali foramine dissonum.

## *De Partibus quantitatis. Ac primo quidem de Titulo. Caput XV.*

HArum partium in Comœdia distribuendarum non vna omnium ratio est. Vulgatiorem nos primo loco sequemur, & eam, quæ legendis, aut audiendis Fabulis, in ipsos prope oculos nobis etiam inuitis, atque aliud agentibus incurrit. Sunt igitur hæ partes omnino octo. Titulus, Argumentum, Prologus, Actus quinque. Quas partes appellare necesse est quantitatis, quia respondent illis sex, quas in Tragœdia, quantitatis esse dixit Aristoteles.

Titulus, est nominis, tam Auctoris, quàm ipsius Comœdiæ prima quædam, quæ in fronte legitur, inscriptio. Quod profecto nomen antequam histriones aggrederentur agere, clarè pronuntiabatur ab eo, qui modos faciebat musicos, atq. inscriptum proponebatur in proscenio; vt legeretur ab omnibus. In quo eam fuisse legem, atq. ordinem

nem

nem tradunt, vt si Fabula vetus aliqua Græca esset, auctoris nouo labore latinè reddita; Fabulæ ipsius nomen præponeretur, subsequeretur auctoris: sin autem Comœdia tota noua esset, auctoris ingenio excogitata, antecederet auctoris nomen, Titulus, & nomen Fabulæ postponeretur. Putat præterea Iulius Scaliger in lib. j. c. ix. ipsum argumentum, & summam Fabulæ fuisse solitam proponi Titulo subscriptam grandioribus litteris. Quem morem etiam exhibenda Tragœdia sequi, ac tenere, non dubitauit Stephonius in Crispo. Cuius Fabulæ Titulum, Tituloq. subscriptum argumentum Romæ superioribus annis ita legimus in Proscenio.

## CRISPVS . TRAGOEDIA

### Gemina . cum . Hippolyto

Iulius . Flauius . Crispus . Cæsar . Fl. Constantini . Augusti . filius . ex . Alemannico . bello . victor . tertium Consul . foris . parta . pace . domi . bellum . offendit . is cum . honeste . cadere . quam . turpiter . facere . maluisset . nouercam . Phædræ . patrem . Theseo . similem est . expertus . Hippolyto . ipse . constantior .

Sed de argumento dicendum est amplius in loco. de nomine Fabulæ nunc pluribus exponamus.

Nomen desumit, & ducit suum multiplici prorsus ex fonte Comœdia: à personarum, quæ inducuntur nominibus, ab ijs, quæ cum personis coniuncta sunt, ab argumento, atq. à præcipuis rebus, quæ tractantur in Fabula, à locis, ab officijs eorum, qui principes agunt partes: ab alijs. A loco mutuata nomen est Andria, hoc est ab Andro Insula: ex qua veniens repentè Crito, atq. Athenas ingressus, errorem eripit Pamphilo, & nodum Fabulæ soluit. A rebus, quæ transiguntur, atque ab argumento factum est nomen Heautontimorumeno. Nam quia Menedemus inducitur, idcirco se continenter excrucians, quòd sua ipsius duritie fecisset, vt Clinia filius discederet domo, longèq. in militiam proficisceretur, appellata Comœdia est *se ipsum excrucians.* Id enim Græcè est ἑαυτὸν τιμωρούμενος. Ab ijs, quæ cum primarijs Comœdiæ personis coniuncta sunt, nacta nomen est ea Fabula, quæ dicitur Adelphi. Sunt enim in ea principes agentes partes duo fratres Attici, Demea, & Mitio, longè diuersa, distractaq. studia sequentes. qui quoniam synthesim totam, & nectunt, & soluunt, meritò faciunt, vt Comœdia dicatur ἀδελφοὶ: Fratres: ab ijs nimirum, quæ cum personis coniuncta sunt, hoc est ab ea sanguinis cognatione, & propinqui-

quitate accersito nomine. Ab huiusmodi etiam adiunctis appellatæ est Eunuchus. quippe Fabulæ argumentum, ac materiam qui suppeditat, Dorus est Eunuchus. Ex eodem fonte manauit Hecyræ nomen. Nam quia Græcè ἑκυρὸς est socer, ἑκυρὰ socrus, & in ea Fabula pleraq. per soceros, ac socrus aguntur, Hecyra dicenda fuit, ab adiunctis vocabulo mutuato. Ab ipso verò personarum proprio nomine accepit appellationem Phormio. Est enim in illa Fabula Phormio Parasitus: cuius opera vxorem inuito parente ducit Antipho. Ab officio demum, ac moribus Miles gloriosus nomen inuenit. is enim perficit omnia, quæ geruntur ab Actoribus, & Fabulam claudit. Itaq. illud maximè videndum est in imponendo Comoediæ nomine, vt siue à personarum nominibus, siue ab officio, siue ab adiunctis, siue à rebus, atq. ab argumento nomen indimus Fabulæ, eiusmodi capita, vnde appellationem desumimus, ea sint, circa quæ veluti circa cardines tota Fabulæ summa versetur, & ratio: quemadmodum multis disputat Iulius Scalig. in lib. iij. poët. cap. xcvij.

## De Argumento. Caput XVI.

Argumentum Comoediæ Græcum quoq. nomen habet vsitatum, & nobile, diciturque Periocha. περιοχή. quæ vox significat summam, & complexionem: vt intelligamus, argumentum hoc, & Periocham complecti res omnes debere, quæ geruntur in Fabula. Hæc pars noua res est, neq. adeo necessaria. Itaq. Terentianis Comoedijs, cum ab auctore prætermissa fuisset, adiuncta est à Sulpitio Apollinari. In Plauti vero Fabulis factum argumentum à poëta doctissimi viri putant, in primisq. Petrus Valla eius interpres, & Scholiastes. Facit, vt homini credam non stylus modo, qui antiquus videtur, sed illa quoq. litterarum dispositio in versuum capitibus, quæ compositæ simul, & coagmentatæ Fabulæ nomen describunt. Hoc enim etiam artificium existimant aliqui fuisse in argumento solemne, vt illa versuum capita cum in proscenio spectarentur proposita, primis litteris nomen Comoediæ significarent. id quod in Amphitruone sic legimus.

*Amore captus Alcumenæ Iuppiter*
*Mutauit se se in formam eius coniugis,*
*Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus.*
*Habitu Mercurius ei subseruit Sosiæ.*
*Is aduenienteis seruom, & dominum frustra habet.*
*Turbas vxori ciet Amphitruo, atq. inuicem*
*Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter*
*Vter sit non quit Amphitruo decernere.*

*Omnem rem noſcunt. Geminos Alcumena enititur.*

Ex primis verſuum litteris fit Amphitruo: quod Comœdiæ nomen eſt: idemq. in ceteris factum argumentis facilè deprehendas. Ex hoc, inquam, ſi minus omnino in animum induco meum, ſuſpicor certè fuiſſe argumenta illa ab ipſo præpoſita Fabulis Plauto. Ea enim compoſitio litterarum excogitata erat ideo, vt cum argumentum Fabulæ legerent in proſcenio propoſitum ſpectatores, ipſius quoque Fabulæ diſcerent ex primis litteris nomen. Quare cum illæ Comœdiæ datæ populo ſint, & exhibitæ viuente Plauto, tunc oportuit etiam argumenta proponi. quæ poëta præſente, atq. etiam inſpectante nemo fuiſſet auſus, opinor, affingere.

De hoc argumento quantum ad rei cognitionem, & diſpoſitionem attinet, dictum videtur ſatis. Sed quoniam argumentum Comoediæ fictum, & commentitium eſt totum, vnum quæri debet hoc loco. An eorum quoq. nomina, & perſonas, qui à Comicis inducuntur, ita fictas eſſe oporteat, nulla vt fuerit vmquam vera, aut inter viuentes extiterit. Hanc nobis excitat neceſſariò quæſtionem Ariſtoteles in cap. vij. poët. vbi docet eo potiſſimum à Tragoedia diſtare Comoediam, quòd illa vera retineat nomina, perſonaſq. deſumptas ab hiſtoria; hæc pro arbitratu ſuo nomina, perſonaſq. comminiſcatur. Iam verò, inquit, apud Comicos id manifeſtum eſt: qui Fabulas ex veroſimilibus conſtituentes, nomina interim pro arbitrio fingunt. in Tragoedia autem vera nomina retinentur, &c. Ex his Ariſtotelis verbis aliqui legem imponunt poëtis Comicis ita ſeueram, vt ne vnum quidem, aut alterum è veris nominibus retinere fas putent, & quod inde conſequens eſt, veram aliquam perſonam imitari. Sed iuſto duriores ſunt, & quemadmodum arbitror, errant. Nam, vt de veteri Comoedia nihil dicam, quæ homines imitata eſt notos; qualis eſt Socrates apud Ariſtophanem in Nubibus; quales erant alij ciues, ad quos nominatim carpendos laruas, & perſonas dabat hiſtrionibus accommodatas, & ſimiles ijs, quos per imitationem irridebat, quod docet Suidas; vt hæc, inquam, prætercam, quæ dicta ſunt in cap. iv. video in Terentianis Comoedijs nomen Gnathonis: cuius vera perſona eſt, vt teſtatur Athenæus. Fuit enim notiſſimus Paraſitus, inductus olim à Menandro; cuius Fabulas latinas Terentius faciens, ſeruare non dubitauit verum illud nomen, veramque, quam imitaretur perſonam retinere. De Paraſito Phormione idem planè dicendum puto. eam enim Comoediam expreſſit ex Apollodori Cræca, adeoque tranſtulit in ſuam non argumentum modò totum, ſed nomen etiam nobilis ea tempeſtate Paraſiti, quem imitatus erat, & ficta perſona produxerat per hiſtrionem in ſcenam Apollodorus. Itaque cum ait Ariſtoteles, Comoediam fingere nomina, non contendit ita fingere debere omnia, nullum

vt possit inserere verum; sed licere illi comminisci omnia nomina, quod non licet Tragoediæ. id quod ad discrimen, & differentiam inter vtramq. designandam est satis.

Et quoniam à Donato interprete Terentij mentio sæpè fit duplicis, ac simplicis argumenti. id etiam antequam disputationem claudamus, quærere oportet, quid sit: & an idem sibi velit Donatus, quod docuit Aristoteles, cum de Fabula duplici, ac simplici disputauit. Respondeo itaq. non idem sibi velle Donatum; sed aliquid longè varium, ab Aristotele tamen haud alienum. Vtrumq. sic demonstremus. Fabula duplex, vt diximus in libello de Tragœdia, Aristoteli ea est, quæ vel Peripetiam, hoc est repentinam, & contra quàm timebamus, aut sperabamus in cõtrarium mutationem, vel Agnitionem, vel vtramq. coniunctam simul habet in synthesi, & coagmentatione rerum, quæ transiguntur: simplex ea, quæ neq. Peripetiam, habet, neq. Agnitionem, sed structura quadam plana composita est, ac propterea dicitur etiam explicata. Argumentum verò duplex Donato neq. vnius actionis, neq. vnius tantum hominis est, sed plurium. Fit enim sæpè, vt duæ sint actiones ex quibus componitur vna Comœdia, quia actio vna pendet ab altera, & rectè potest vtraque sic committi, vt coalescat vna, atque integra Fabula. Huiusmodi sunt in Andria, Pamphili, & Charini adolescentum amores duorum. quamquam enim duæ personæ sunt primariæ, atque actiones earum propterea duæ, vna tamen ita cum altera nectitur, vt vnum constituant argumentum, quod duplex eo nomine dicendum sit. Fiunt enim ad extremum nuptiæ duplices vtriusque; quæ quoniam eundem nexum habent, & eandem inueniunt in catastropha solutionem ab Agnitione Glycerij, vnius obtinent locum actionis. Cernet hoc facilè quicumq. leget perpendetq. textum eius Fabulæ. Nam in ipso Actus secundi initio Charinus cum Pamphilo congreditur, eiq. narrat amores suos. Itaq. ab ea collocutione ad finem vsq. totius Comœdiæ agunt adolescentes illi coniunctim, & actione perpetua ducunt ad exitum Fabulam. Contrà verò factum videmus in Hecyra. vbi, quia vnius tantum est adolescentis negotium, & vnæ tantummodo nuptiæ, argumentum appellandum est simplex. Hæc, inquam, sibi voluisse Donatum ab ipsomet didici in Prolegomenis ad Phormionem. Argumentum hoc, inquit, non simplicis negotij est, nec vnius adolescentis, vt in Hecyra, sed duorum, vt in ceteris Fabulis. Longè igitur aliud est, quod duplicis, simplicisque argumenti nomine vult intelligi Donatus, quàm quod loquitur Aristoteles, cum de simplici, dupliciq. Fabula præcipit.

Nihilo minus tamen ne id quidem, quod Donatus exposuit, in Aristotele desideratur: immo verò ab eo mihi videtur illud vtriusq. discrimen argumenti delibatum. Vt enim ille de Fabula duplici simpli-

tique sic statuerit in cap.poët.ix. vt modo diximus, tamen in cap.xj. aliam Fabulæ simplicis, & compositæ, siue duplicis aperit notionem, quæ cum hac Donati consentiat. Fabulam enim duplicem, siue compositam dici posse ait eam, quæ duplicem quasi constitutionem habeat, & duas actiones vno tantum fine terminatas: quemadmodum, inquit, cernimus in Odyssea. vbi errans Vlysses vnam facere videtur Fabulam, alteram Proci Penelopes; sed tamen ex vtraque, admirabili ratione, atq. artificio fit, & componitur vna. simplicem autem appellari posse, quæ vna tantummodo definiatur actione, nec pluribus inchoatis, atq. imperfectis negotijs vno determinatis fine constituatur: quales pleræq. Tragœdiæ antiquorum sunt.

Ergo, dicet aliquis, frustra damnata est supra Terentij Andria eo nomine, quod ea Fabula non sit vna. Sed ego memini id tantummodo me dicere: aliquos existimasse, à Fabulæ vnitate Comœdiam illam discedere. iudicium non interposui meum, quod in hunc locum reseruaui. Itaq. Fabulam illam, aliasq. eiusmodi probandas puto. quia, vt diximus alibi de Tragœdia, multæ sunt interdum actiones, quæ, quia collimant, & tendunt eodem, haberi pro vna debent, nec facere possunt, vt Fabula multiplex sit, nisi principes, ac primarij fines distinctione multiplicentur, & numero. Vnum quidem est, quod iure obijci contra videtur hic posse. Aristotelem non modo vnam velle actionem esse totius Fabulæ, sed vnam vnius. At in hisce Comoedijs duæ personæ sunt æque principes, ac primariæ. Ego tamen existimo duas illas personas non omnino æquales esse, aut æque præcipuas: atq. ideo vnius actionem alteri sic subseruire, vt non vna duorum actio dicenda sit, sed vnius vna. Pamphili enim primæ partes sunt in Andria; Charini secundæ: qui inducitur ideo, vt aliquanto plus turbæ sit in Fabula, vtque cum eo collatus Pamphilus moderatior esse videatur. Hoc etiam videbit planissimè qui leget eam Fabulam: intelligetque, sine partibus Charini eam fieri potuisse, sed non ita tamen absolutam. Quòd si nihilo minus contrà accidat aliquando, vt in his duplicis argumenti Comoedijs aliqua reperiatur, quæ personas æque primarias faciat duas, & quod inde consequens est, duas etiam numero actiones, quæ aliqua demum ratione connectantur in fine Fabulæ, dixerim, ne cogar antiquos damnare, actionem Comoediæ non oportere sic vnam esse, quemadmodum est vna Tragoediæ. De huius enim, deque Epopoeiæ actione Aristoteles tantummodo pronunciauit, vnam vnius esse debere non de actione Comœdiæ. quæ quoniam est ipsa imperfectior Tragoedia, imperfectiorem etiam fortassis habere potest vnitatem in vna positam actione, sed non hominis vnius. Quòd si nanciscatur eandem, absolutior erit, quia dramatico generi absolutissimo, hoc est Tragico, similior est.

Sed

Sed vltima quædam hinc ſuboritur quæſtio, quæ prætermitti non debet. vtra perfectior, atq. abſolutior Comœdia ſit: illa ne, cui duplex eſt argumentum, an cui tantum eſt ſimplex. Illam, vt breuiſſimè faciam, proculdubio imperfectiſſimam omnium habendam puto, quæ perſonarum actiones duarum ſic tractat, vt non niſi conuenientia quadam rerum, quam habent in exitu, faciant vnam Fabulam, quemadmodum dixi. Dandam enim cenſeo veniam illi Comœdiæ, vt poſſit ab vna vnius actione diſcedere, modo ſit vna. ſed video tamen huiuſmodi Comœdiam eſſe oportere imperfectiſſimam omnium; quòd videatur maximè diſcedere à genere dramaticæ poëſeos abſoluto, atq. omnium primo. diſcedit autem, quia diſcedit ab vnitate perfecta Fabulæ, quam poëmatis animam appellat Ariſtoteles, quæq. inter ceteras partes obtinet principatum. ſed ſi duæ conferantur inter ſe Comœdiæ, quæ habeant ſingulæ vnam vnius actionem, altera tamen duplicis negotij, ſiue argumenti ſit, altera ſimplicis; haud dubiè reſponderim, illam eſſe præſtantiorem, & meliorem, quæ duplex habet argumentum. Sequor enim Ariſtotelem ducem: qui eo in loco capitis xj. cum Tragœdiam diuiſiſſet in compoſitam, & ſimplicem, compoſitamq. dixiſſet eam eſſe, quæ duplicem videatur habere conſtitutionem facientem vnam, qualis eſt Odyſſea, ex erroribus Vlyſſis, & ex procorum contentione conflatam, diſertiſſimè pronunciauit, hanc anteferendam eſſe ſimplici: qualis fortaſſe dici poteſt Ilias, quæ Achillis præſtantiſſimi ducis tantummodo res geſtas habet, eiuſq. victoria terminatur, & laboribus circa Troiam exantlatis. Ratio verò cur illa præſtabilior ſit, docetur item ab Ariſtotele; qui ait, ab ea multo maiorem exiſtere voluptatem ob illam duplicis negotij compoſitionem, atq. ob admirabiliorem exitum, quem ex ſolutione nanciſcitur.

## De Prologo. Caput XVII.

HÆc pars dicitur à multis eſſe Latinarum Comœdiarum peculiaris, & propria. Nam in Græcorum Comœdijs non diſtinguitur à totius corpore Fabulæ Prologus, illique planè ſimilis eſt parti, quam in Tragœdijs Prologum appellat Ariſtoteles. In Tragoedijs verò obtinet Prologi locum quicquid primi Chori antecedit ingreſſum: vbi nimirum indicantur in ſumma quæ ſunt agenda; quæq. antea geſta ſunt commemorantur. In Latina autem Comoedia Prologus à tota conſtitutione Fabulæ ſecernitur, nec quicquam habet cum reliquis partibus affinitate coniunctum. Dicitur adeo pars hæc μονοπρόσωπος, hoc eſt ab vna tantum acta perſona, aut ab vno ſolitariè loquente tractata. Non enim plures vnquam inducuntur in Prologo, exce-

pto Trinummo: vbi Prologum faciunt Luxus,& Inopia. Sed siue vnus sit, siue plures, qui partem hanc agant, illud est certum, Prologi personam ad Fabulam non pertinere, nec amplius redire cum ceteris in proscenium; contra, quàm fiat in Tragoedia: cuius Prologum agunt sæpissimè personæ primarum partium. Sed hìc iterum excipere Plautum oportet: qui Mercurio in Amphitruone dedit Fabulæ partes agendas non postremas, cui tamen Prologum initio permiserat. Et in Cistellaria Prologum facit exeuntem in fine Actus primi, eaq. dicentem, quæ principio monenda fuissent. Dat autem eius Prologi partes commentitio Deo, cui nomen Auxilio est.

*Nam mihi est Auxilio nomen. nunc operam date,*
*Vt ego argumentum hoc vobis planè perputem.*

Ceterum quia nulla sibi constat disputatio, quæ non à definitione proficiscatur, Prologum nos, antequam progrediamur, ita definiamus. Est Prologus, vt ab antiquis decretum Grammaticis video, prænarratio quædam Comoediæ. in qua poëta sub aliena, vel sub sua ipsius persona rem agendam exponit. Quia verò hæc expositio varia est, varia etiam esse necesse est Prologorum genera. Itaq. post definitionem diuisio sequitur huiusmodi.

Prologorum quinque genera fecerunt. Primum exponit argumentum Fabulæ simpliciter, diciturque hypotheticus ab hypothesi, quæ significat argumentum: nec distinguitur à periocha. apud Græcos enim περιοχὴ, & ὑπόθεσις videntur esse synonima. Huiusmodi Prologus est in Aulularia. vbi Lar familiaris proponit argumentum enucleatè, ac rem gerendam spectatoribus expositè sic denunciat.

*Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.*
*Ego Lar sum familiaris ex hac familia,*
*Vnde exeuntem me aspexistis. hanc domum*
*Iam multos annos est quom possideo, & colo:*
*Patrique, auoq. amicus huius, qui nunc hic habet.*
*Sed mihi auos huius obsecrans concredidit*
*Thesaurum auri. clam omnes in medio foco*
*Defodit, venerans me, vt id seruarem sibi, &c.*

Secundum Prologi genus exponit præterea poëtæ consilium in faciendis Fabulis. cuiusmodi sanè est in Adelphis; dicique potest latinè commendatitium: quia Græcè συστατικὸν nominatur: quod apud nos, vt monet Budæus, commendatitium est, aut si reddēdum ad verbum sit, id quod facit, vt res ipsa consistat. Cum enim hic Prologus pro auctore Fabulæ multa dicat, videtur eum auditoribus commendare, ac facere, vt Fabula ipsa quodammodo consistat, & spectatorum animi cófirmentur. Præter eum, de quo diximus in Adelphis, alium huiusmodi Prologum habemus in Hecyra.

*Hecyra est huic nomen Fabulæ. hæc cum data est*
*Noua, nouum interuenit vitium, & calamitas,*
*Vt neque spectari, neque cognosci potuerit.*
*Ita populus studio stupidus in funambulo*
*Animum occuparat. Nunc hæc planè est pro noua:*
*Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit*
*Iterum referre, vt iterum possit vendere.*
*Alias cognostis eius. quæso hanc nunc noscite:*
*Orator ad vos venio ornatu Prologi.*

Tertium genus refellit aduersariorum calumnias, vt in Andria; vel regerit etiam in eosdem aduersarios crimina, vt in Eunucho. vbi Lauinius poëta Comicus obtrectator, & maleuolus carpitur; qui fuerat ante perstrictus in Andria.

*Tum si quis est, qui dictum in se inclementius*
*Existimat esse, sic existimet: sciat*
*Responsum, non dictum esse; quia læsit prius*
*Qui bene vertendo, & eas describendo male,*
*Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.*
*Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.*

Cum ergo genus hoc Prologi, vel criminationes, & maledicta diluat, vel obiecta crimina regerat in auctores, dictum est Græcè ἀναφορικὸν; id quod significat confutatorium, aut relatiuum in alios.

Quartum Prologi genus, quia permiscet simul omnia, quæ separatim faciunt cetera, dici potest mistum. cuiusmodi est in Casinaria Plauti: vbi principio commendatitium videtur esse. Nam commendatio proponitur poëtæ, Fabulæque; & beneuolentia captatur à spectatoribus.

*Saluere iubeo spectatores optumos, &c.*

deinde incipit esse confutatiuum.

*Nam nunc nouæ, quæ prodeunt, Comœdiæ*
*Multo sunt nequiores, quàm nummi noui.*

Ad extremum est expositiuum. Denunciat enim Fabulæ nomen, & euoluit argumentum.

*Comœdiæ nomen huius dare vobis volo.*
*Clerumene hæc vocatur Comœdia*
*Græcè. latinè sortientes. Diphilus hanc*
*Scripsit. post id eam rursum denuo*
*Latinè Plautus, &c.*
*Senex hìc maritus habitat. Ei est filius.*
*Is vnà cum patre in illisce habitat ædibus.*

Quintum Græcè dicitur, ἠθικὸν, latinè morale. Huiusmodi videtur esse Prologus ille διπρόσωπος, hoc est duarum colloquentium persona-

rum in Trinummo, Luxus, & Inopiæ. eſt enim accommodatus moribus nequam adoleſcentis, qui inducitur in ea Comœdia profuſus, & luxuria diffluens, ob eamq. cauſam ad extremam redactus inopiam. Ex hoc genere videtur item Arcturus in Rudente, & Lar familiaris in Aulularia. Deſcribunt enim graphicè hominum mores. Horum verò prologorum perſonæ per machinam deſcendebant in ſcenam, per machinam ſubducebantur.

## De Actibus. Caput XVIII.

Actus eſt Actionis, ſiue peractæ Fabulæ pars: cum videlicet proſcenium omnibus deſtituitur perſonis, & tibicen ſpectatores aggreditur cantus ſuauitate recreare. Qua ex definitione intelligas, non vbicumque, ac pro arbitratu fas eſſe Actum terminare: ſed eo tantum loco, vbi aliqua pars totius, integræq. actionis, qua continetur vniuerſa Comœdia, ſeiungi commodè à reliquis partibus poteſt. Vt enim integra illa actio totius Comœdiæ tunc habet appoſitè finem, cum nihil supereſt agendum, neq. quicquam deſideratur eorum, quæ numeris expleant omnibus Fabulam, ita partes eiuſdem actionis tum definiri, ac terminari commodè queunt, cum ijs, interrupta quamminimè ſerie, tibicinis cantus poſſe videtur intercipi.

Nuſquam melius, quàm hic ea inſtitui, & tractari quæſtio poteſt, quæ nobis à nouo noſtrarum vſu Comœdiarum proponi videtur. An Actus interrumpi, ac diuidi queant non modo cantu tibicinis, ac Muſicorum, verum etiam ſaltatione, machinis, embolijs, epiſodijs, alioue argumento agentium, & colloquentium perſonarum quod à reliqua Fabula ſeparatum ſit. Videmus quippè interſeri ſæpe Orpheos quoſdam deplorantes Euridicem, aut quaſdam Cereres Proſerpinam quæritantes, quæ res à Comœdia ſunt alienæ, prorſuſque ſeiunctæ. Quid hac de quæſtione ſtatuendum ſit, non poſſum ſimul, aut vna quaſi definitione proferre, ſed ſeparatim dicam, & pronunciabo per partes.

Confirmo itaq. primum: poſt ſublatum è Comœdia Chorum, fuiſſe non modo tibicines adhibitos, & Actibus interpoſitos, verum etiam Mimos; hiſtriones nimirum ἀπὸ τῆς μιμήσεως, hoc eſt ab imitatione propter excellentiam, atq. præſtantiam ſic appellatos. Non enim res tantummodo imitabantur, quod eſt commune cum omnibus, ſed motu quodam corporis exquiſito, & geſticulatione ſolitaria exprimere ſoliti erant quicquid referre vellent, ſine verbis, ac voce. Sed addita poſtremò geſticulationi verba quoque ſunt, & dicta quædam acuta, quæ humani animi vitia irriderent, & carperent. qualia ſunt apud Senecam, & Macrob. Publij, & Laberij longè plurima. Hos igitur

Mimos, absolutis iam Actibus, educere cœperunt in scenam, gestum facientes, & loquentes aliquid ridiculè omnino extra argumentum Fabulæ, ad spectatorum animos amplius oblectandos, atq. ad demendam satietatem. Id verò in Comœdia dicebatur Episodium, in Atellana Exodium. vtraque vox diuerticulum significat, & egressionem à proposito argumento: quam non quælibet habuit Comœdia, sed aliqua tantum grauior, vt opinor. Factum quippè crediderim in Comœdia quod in ipsa quoq. Tragœdia peragenda fuit ab antiquis excogitatum: cum ad eius Fabulæ leniendam atrocitatem, & temperandas cædes, Satyros interposuerunt, qui petulantia, risu, iocis, incomposito saltu, motuq. corporis enormi, specie demum, & facie illa semiferina spectantem populum à cogitatione crudelitatis tantisper auerterent. Idem enim præstiterunt in Comœdia Mimi: quorum argumenta fuere mercaturæ viles, & plebeiæ, ignobiles doli, actus rustici, perductiones, lenocinia, lusus, imposturæ, aliaque ridiculis illis, & leuissimis respondentia personis, hoc est maximè ad prouocandum risum accommodata. Quæ quidem argumenta petebant ipsi de medio foro, vel è tabernis, vel ex angiportis, vel è popinis: adeoq. personam, & faciem afferebant cauponis, coqui, fartoris, perductoris, lenonis, ebrij, stolidi, insani, surdi, cæci, circulatoris, impostoris, sycophantæ. Erant eorum exitus abrupti: sic prorsus, vt vno decedente, ceteri quoq. discederent infecta plerumq. re, vel imperfecta. Erant inter eos crebræ fugæ, insectationes, contentiones, ignauiæ, vecordiæ, parodiæ, quibus imitarentur ridiculè seria, verumq. subuerterent. Erant repentinæ sententiæ, dictaq. subitò contorta nec expectata. Vt illa Publij Mimi.

*Mulier cum sola cogitat, male cogitat.*
*Malo in consilio feminæ vincunt viros.*

Sæpè tamen sententias, etiam inter ridiculas, longè grauissimas interponebant, quæ monitis, ac præceptis singulas propemodum humanæ vitæ partes informarent. Ex hoc genere illa sunt apud eundem Publium.

## De amore.

*Amare, ac sapere vix Deo conceditur.*

## De amicitia.

*Amicos res opimæ parant, aduersæ probant.*

## De fortuna.

*Excelsis multo facilius casus nocet.*
*Fortuna vitrea est: cum splendet, frangitur.*

De

## De vicissitudine.

*Iucundum nihil est, nisi quod reficit varietas.*
*Quotidie est deterior posterior dies.*

## De morte.

*Malè viuunt qui semper se victuros putant.*

## De otio.

*Arcum inertia frangit: animum remissio.*

## De beneficentia.

*Pars beneficij est, quod petitur si bene neges.*
*Beneficium dare qui nescit, iniuste petit.*

De ceteris officijs eodem modo. Cum igitur hi Mimi sic, vt diximus, inducti sint ab antiquis, dicendum est, iure ac sine reprehensione Actibus interponi personas aliquas ridiculas hoc etiam tempore, quæ aliarum gentium, & ciuitatum linguam, aut finitimorum mores irrideant, aut alia quædam argumenta leuissima tractent, ijs simillima, quæ tractabantur à Mimis.

Confirmo deinde, fas esse, eosdem Actus, & Comœdiæ partes non cantu solum, & musicorum modis, verum etiam saltatione, aut aliqua ludentium hominum huiusmodi ratione distinguere. Id enim etiam ab antiquis vsurpatum intelligo: cum inter multas, ac propè innumerabiles saltationum formas, quas adhibuerunt in conuiuijs, in nuptijs, in sacrificijs, essent aliquæ Theatri propriæ, atque in ijs ipsis Theatralibus certæ quædã soli Comœdiæ subseruientes. Tres quippè fuere Theatrales saltãdi species pro modo, ac numero Fabularũ, quæ in Theatro dabantur. Prima fuit Tragœdiæ, dicebaturq. ἐμμέλια: quæ grauis erat, atq. composita, quemadmodum ipsum significat nomen. Nam ἐμμέλια non modulatio tantum est, sed etiam concinnitas. Itaq. hoc illi saltationi nomen inditum significat, eam sedatam, concinnamq. fuisse. quod discere præterea possumus ex Platone in dial. iij. de legibus. Secunda fuit Comœdiæ propria, solutiore licentia; quæ Græcè appellata est κόρδαξ, à verbo κορδακίζειν: quod significat liberè, licenterq. saltare. Tertia demum reseruabatur antiquæ Satyræ, quæ dabatur item in scenam, atq. in Theatro quondam recitabatur. Erat igitur hæc petulans, & maximè motoria, gesticulatione creberrima, vt Satyros decet: dictaq. est σικιννὶς, ab auctore Sicinnio, quodam homine barbaro, vt aliqui prodidere.

Affirmo demum tertio loco, licere etiam Actibus interponi machinas, & per eas induci Deos, aut alios, qui sine machinis induci non possunt. Quamquam enim Tragœdiæ videntur esse propriæ machinæ,

non tamen à Comoedia sic abhorrent, vt numquam adhibitæ sint. Tradit adeo Suidas Carcinum Atticum appellatum à Platone fuisse poëtam duodecim machinarum. ὃν Πλάτων δωδεκαμήχανον φησὶν. Quem ego poëtam fuisse Comicum propterea credo; quòd Suidas alio eum loco reponat, quàm eo, vbi paulo ante commemorauerat alium Carcinum Atheniensem poëtam Tragicum, quòdque huius, de quo dico Carcini Fabulam Comicam laudet, cui nomen erat Mures; cum alterius Carcini Tragoedias percenseat, & enumeret omnes. Credibile igitur est, hisce tam multis, quas inuenerat machinis, non modo vsum in Episodijs fuisse, verum etiam in argumento Fabulæ. quo fieri debet, vt multo maximè liceat easdem inferre machinas inter Actus Comoediæ. Quin inter machinas illas Theatri, quas describit accuratè Iulius Pollux, vnam fuisse ait vnius, & eiusdem quidem vsus, sed duplici appellatã nomine, hoc est ἐγκύκλημα, καὶ ἐξώστραν. hoc vero idcirco factum aliqui homines doctissimi putant, quòd ἐγκύκλημα diceretur, cum in Tragoedijs esset, ἐξώστρα verò cum à Tragoedijs accepta, etiam minoribus Fabulis extra scenam Tragicam, atq. ipsis Comoedijs inseruiebat. Huiusmodi credo fuisse Romanorum Imperatorum episodia multa: qui, vt legimus apud Martialem, Sueton. & alios, sæpè iusserunt, in Theatro Deorum amores, ac raptus proponi, aut bestiarum per funambulum incessus exhiberi. Quibus sanè spectaculis dandis propriam idoneamq. designat machinam Iulius Pollux, Gruem. quam demitti solitam fuisse ait ex altissimis locis ad aliquorum rapienda corpora, & sursum ferenda: nominatimq. habuisse tum vsum in Theatro dicit, cum Aurora Memnonis filij corpus abripuit subitò, atque in cælum subduxit.

Dicet aliquis iterum excitare me velle Chorum, & nouæ Comoediæ concedere, qui fuit olim inductus, atq. sublatus. Reddimus enim ei saltationem, & dicta Mimorum ridicula: quæ veteris erant Chori in antiqua Comoedia. Sed animaduertere necesse est, huiusmodi saltationem, colloquia, dicta, quæcumq. demum Actibus interponuntur, esse prorsus ab argumento Comoediæ aliena, & separata; Chorum autem Comoediæ veteris fuisse partem Fabulæ: sic, inquam, vt Choricæ personæ cum Actoribus ipsis etiam colloquerentur, & agerent. Ad hæc: cum personas illas irridentes, & iocantes permittimus in episodijs, non eas ita licenter maledicas volumus, vt erant in veteri Comoedia Choricæ; quæ ciues, quos carperent, suo nomine designabant.

Dicet iterum alius, hæc episodia, vel exodia, aut embolia non probari ab Aristotele: cum reprehendat histrionum consuetudinem, qui per episodia producebant Fabulas, si videbant non dum impletum esse clepsydræ tempus, quod ita præscribebatur, vt ante, finem facere

non

non liceret. Sed Aristoteles non damnauit omnino, ac prorsus episodia, verum ea tantum, & nominatim, quæ præter modum producerent Fabulam: quæq. ab Actoribus, & histrionibus excogitarentur subitò, non tam appositè, consultoq. Actibus interponenda, quàm temerè quolibet inculcanda. Quòd si episodia sint accuratè facta, & Actibus interiecta loco tibicinis, ac Musicorum, si Comœdiam non ita multum amplificent, nec plus nimio producant, nullum planè periculum reprehensionis imminet ab Aristotele.

## *An Actus omnino, ac prorsus oporteat esse quinque.*
## *Caput XIX.*

NEque plures, neque pauciores cuiuscumq. Fabulæ, siue Comicæ, siue Tragicæ Actus esse debere quàm quinque, non Donatus modo confirmat, sed decernit Horatius: cuius auctoritati nemo fidem vmquam abrogauit.

*Neue minor quinto, neu sit productior Actu*
*Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.*

Sed Iacobus Mazonius in Apologia Dantis Aligherij pauciores Actus esse, quàm quinque, & tribus tantũmodo iustam Fabulam perfici posse demonstrare se putat ex testimonio quodam singulari M. Tullij Ciceronis. Locus Ciceronis est ex epistola nobili ad Q. Fratrem. Illud te extremum oro, & hortor; vt tamquam poëtæ boni, & Actores industrij solent, sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotij tui diligentissimus sis: vt hic tertius annus tamquam tertius Actus perfectissimus, atq. ornatissimus fuisse videatur. Ex hoc, inquam, loco se putat ostendere planissimè, licere Fabularum Actus esse tãtummodo tres. sed vincat ne ex Ciceronis illis verbis, quod ipse contendit, an secus, non libet hic disputare: cum alioquin affirmare possim à veteribus Græcorum poëtis interdum fuisse Fabulam in plures, interdum in pauciores Actus distributam, quàm quinque. Cum enim Actus apud eos singuli singulis distinguerentur ingressibus Chori, dicere necesse est, totidem ab ijs Actus distinctos fuisse, quot Chori fierent ingressus in Thymelem, atq. in proscenium per interualla separati. At in Æschyli Prometheo Chorus bis, terue tantum inseritur Fabulæ. Neque enim Io, & Oceanus Chori locum obtinere possunt. quod si tamen obtineant, & Choricæ personæ sint, ingressus Chori in ea Fabula numerandi sunt quinque, ac propterea nõ quinque tantum Actus erunt, sed omnino sex; Fabula quippè, quæ diuisa sit in Actus quinque, non potest habere, nisi quatuor ingressus Chori. In eiusdem Æschyli Agamemnone, in Hecuba Euripidis, in Sophoclis Philoctete,

in Electra, in Oedipo quinquies ingreditur Chorus, & quod inde consequens est, sex sunt partes, Actusq. Fabulæ: quos adeo Seneca transferre sic distinctos etiam voluit in Oedipum suum. Cum enim post quintum Chorum alia necessariò sequatur Fabulæ pars, non potest quæ consequitur esse nisi sexta. Qui verò Chorus interdum ponitur in extrema Fabula, is propriè Chorus dici non debet, sed Commus, vt diximus in libello de Tragœdia ex Aristotele: atq. ideo partiri Fabulam non potest in Actus; quod est eorum officium, qui propriè Chorum agunt. Quid plura? Sophocles in Trachinijs sex facere Choros non dubitauit, Euripides in Iphigenia Taurica item sex: in Hippolyto coronato prorsus octo.

Hæc multo magis quàm locus ille Ciceronis ostendere videntur, eum numerum Actuum quinque non fuisse constantem, ac certum. Quamquam enim hæc exempla petita sunt à Tragœdijs, demonstrant tamen vniuersè Fabulam dramaticam non fuisse ab omnibus semper diuisam in partes, aut Actus quinque. id quod contendunt Horatius, & Donatus. Sed dixerit aliquis, ab antiquis id perperam factum, deinde castigatum ab ijs, qui cetera quoq. vitiosis castigarunt in Fabulis. Nam ille quintus apud Senecam Chorus non canit, sed loquitur cum Iocasta, ideoq. non tam dici debet ingressus Chori, quàm colloquutio Chori cum personis scenicis. Dicet hæc, inquam, aliquis, & meritò dicet: quia veteribus aut nullæ fuerunt de scribenda Fabula leges, aut si quæ fuere, abrogatæ sunt nouis. Nihil igitur in hoc genere mutandum censeo, sed sequendam Horatij præceptionem. Quòd si quispiam tamen audere id etiam velit, ac pauciores, pluresue Actus facere, quàm quinque, vtatur consilio suo, ac se, quoad eius fieri possit, antiquorum auctoritate tueatur.

## *De Scenis.* Caput XX.

Actuum quædam partitiones scenæ sunt, quemadmodum Actus ipsi membra quædam sunt Fabulæ. Definiri propterea scena potest Actus pars, in qua vna, duæ, tres, pluresue personæ loquantur. quod postremum idcirco addidi; ne putetur lege cautum inuiolata, quod monet Horatius.

------------*Nec quarta loqui persona laboret.*

Non enim hoc ita seruatur ab omnibus vbique, ac semper incorruptè, vt plures interdum, quàm tres in eadem scena loquentes non inducantur. Nam, & Diomedes in lib. iij. admittit etiam quatuor, & Plautus tum in Mercatore, tum in alijs quoq. Comœdijs hunc ipsum numerum explet. Quare id tantummodo sibi velle arbitror Hora-

tium;

tium; vt ſi plures inducantur, quàm tres, non loqui laborent multum eæ, quæ ſupra tres inducuntur, ſed pauca loquantur. Quantum enim attinet ad antiquos illos Græcorum Comicos, exploratiſſimum eſt, nullam ijs religionem fuiſſe, quàtuor, interdum etiam plures ſimul loquentes inducere. id quod potiſſimum ex Ariſtophanis Ranis videri poteſt, cum excitatur cadauer: ex Pluto, in fine: ex Auibus propemodum vbique.

Multa ſunt, quæ de ſcenis præcipiant antiquitatis viri peritiſſimi. Ac primo quidem loco. ne vllus Actus vltra ſeptimam producatur ſcenam. Secundo. ne ſæpius, quàm quinquies eadem perſona veniat in proſcenium. quæ præceptio Donati quidem eſt: ſed Dauus tamen in Andria ſæpius exit. Tertio. vt initium ſcenæ fiat interdum ab omnium, qui locuturi ſunt, interdum ab vnius, interdum ab aliquorum ingreſſu, interdum ab eo, qui ingreditur, & ab eo, qui remanſerat è proximè ſuperiore ſcena. Quarto. vt terminetur interdum ex omnium diſceſſu, interdum ex abitione vnius, aut aliquorum. nam qui reliqui ſunt, nouam conſtituunt ſcenam. Quinto. vt perſonæ vel nihil, vel perparum loquantur cum populo, & ſpectatoribus. Quamquam enim facit hoc interdum Plautus, facit tamen ex antiquo Græcorum exemplo: quos iam diximus fuiſſe caſtigatos, & expolitos à nouis. In quo tamen amplior eſt permittenda licentia vltimis illis perſonis, quæ claudunt Fabulam, ſpectatoreſq. dimittunt, & poſtulant plauſum. Habent enim propterea neceſſe loqui cum populo, ſicut Prologus, qui petit attentionem. Differunt tamen eo nomine, quod Prologi partes agit is, qui numquam poſtea inducitur in Fabula. concluſio verò, & dimiſſio ſpectatorum è Theatro permittitur alicui ſcenicorum: vt in Andria, Dauo.

*Non expectetis dum exeant huc. intus deſpondebitur.*
*Intus tranſigetur ſi quid eſt, quod reſtat. plaudite.*

Sed tamen has partes apud Plautum ſæpè non Actorum aliquis agit, ſed Grex. Ita inuenerunt inſcriptam Aſinariæ, Captiuorum, aliquarumque aliarum Comœdiarum clauſulam illam poſtremam ij, qui Plautum emendarunt. GREX. Nam in illo codice, qui veteribus commentarijs Bernardi Saraceni, & Petri Vallæ fuit illuſtratus, non legitur inſcriptum Gregis nomen: ſed hoc. RECITATOR. quod ipſi ad hunc modum, & his verbis interpretantur. Loquitur Comœdiæ recitator, finem facturus Fabulæ. Itaque iſtorum opinione videtur fuiſſe à ceteris diſtinctus Actoribus, & Prologo ſimilis ille, qui Fabulam claudit, & ſpectatores dimittit, apud Plautum. Et profecto ſic etiam neceſſe eſt diuinare, ſi Gregem reponere pro Recitatore velimus. Neq. enim Grex ille loquitur vmquam, aut aliquid agit in Comœdia. Dedit igitur has illi partes Plautus; vt quemadmodum Prologus

logus nihil agit in Fabula, sed Poëtæ, Actorumq. nomine beneuolentiam tantummodo captat, & poscit attentionem, sic etiam vltima hæc persona, immo plures fortasse personæ, vna loquente, Comœdiæ finem imponant, & Actorum eorundem nomine veniam deprecentur, dimittant humanissimè spectatores, & indicium approbationis efflagitent, plausum.

## *Quid in singulis sequendum, & faciendum sit Actibus. Caput XXI.*

PRæter eas, de quibus dixi, partes quantitatis in Prologum, Actusque distributas, alias Grammatici fecerunt tres, sine quibus constare Fabula non potest. Hæ non tam ab ijs seiunctæ sunt, quàm earundem dotes quædam esse videntur, & qualitates, quibus Actus ipsos imbui quodammodo, atq. ornari necesse sit. Igitur hæc earum nomina sunt. Protasis, Epitasis, Catastrophe. quæ à nobis explicanda, atq. interpretanda esse intelligimus singula.

Protasis est prima illa Fabulæ pars, in qua proponitur, & enarratur summa rei, sine declaratione futuri exitus. Itaq. ne longum faciam, Protasis priorem exponit Comœdiæ partem, & periculum intentat, sed tamen eiusdem Fabulæ partem alteram, & quidem potissimam, hoc est exitum, & solutionem reticet; vt suspensione, atq. ignoratione spectatoribus auiditatem exitus ingerat, qui ad catastrophen vsque producitur. Sed quorsum hæc Protasis adhibetur, dicet aliquis? non ne satis in argumento, atque in Prologo exposita summa est Fabulæ? Non est satis. est enim expositio illa sic breuis, atq. ita concisa rerum gerendarum indicatio, vt non tam satiare auditoris animum, quàm accendere cupiditate rei futuræ videatur. Alia igitur adiungenda est significatio copiosior, & planior. Exemplum Protasis in Andria sic est. Cum amaret Pamphilus Glycerium, eiq. iam grauidæ iurata fide pollicitus esset, ducturum se illam vxorem; pater, qui filium ijs amoribus teneri compererat, de illo abstrahendo cogitat à Glycerio. Simulat igitur, ei se vxorem daturum virginem, Chremetis filiam. Is cum & patrem vereretur, & Glycerium deserere putaret impium, pendet animi, nec inuenit quò se vertat. sed cum inaudisset à seruo, nuptias illas simulare patrem, promittit, patris se facturum imperata. Itaque prior Comœdiæ pars indicat, & intentat periculum, quod imminet Pamphilo, si pater verè velit eum vxorem ducere.

Epitasis est inuolutio ipsa, & perturbatio rerum omnium. in qua suspiciones augentur, & pericula. Maxima igitur hic adhibenda cura est, & diligentia, vt tota rei series, quasi quibusdam anulis intexta catena,

tena, ducatur cursu perpetuo. sic prorsus, vt postrema medijs, media primis ex æquo, ac proportione respondeant: semperq. vnum nascatur ex alio; nec inseratur quicquam, quod ex ijs, quæ iam antecessere, necessariò non consequatur. Vt ergò dicatur in summa, Epitasis continet quicquid inter Fabulæ propositionem, & eiusdem clausulam intercedit. Epitasis exemplum ab eadem Andria duci sic potest. Cum sparsus iam de nuptijs Pamphili rumor peruenisset ad ancillas Glycerij, suspicionibus, & turbis impletur Fabula. Ad hæc. pater Pamphili, quoniam ab eo consensionem extorserat, cœpit verè, ac seriò cum Chremete agere de matrimonio, & rem facilè impetrat. Hoc igitur modo periculum augetur, & texitur nodus.

Catastrophe est exagitati negotij conuersio in tranquillitatẽ non expectatam, ac propterea Fabulæ dici debet exitus, & absolutio. cuius paradigma ita peti potest ab eadem Comœdia. Insistit Pamphili pater, & nuptias vrget ad exitum. Itaq. res processisset, nisi casus, qui sæpè plus potest, quàm ratio, dubijs rebus interuenisset. Adest repentè quidam Crito, qui docet, Glycerium esse filiam Chremetis, atque ita nuptiæ ex Pamphili sententia fiunt. altera Chremetis filia destinata iam Pamphilo, datur Charino adolescenti, qui eam deperibat. Sed illud hoc loco quærere necesse est: An hæc conuersio ea semper esse debeat, quæ tranquillitate, ac exitu felici concludat Fabulam. Nam de Tragœdia diximus ex Aristotele, non semper eiusmodi Fabulæ mutationem sic in contrariam fieri debere partem, vt terminari exitu felici non possit, modo ingens aliquod periculum antecesserit. Inde, inquam, oritur hæc quæstio. An aliqua etiam Comœdia probabilis sit, quæ tristem, atq. infelicem exitum nanciscatur.

Respondeo itaque, Catastrophen, & conuersionem Comicæ Fabulæ in secundum, florentemq. rerum statum fieri plerumq. oportere: sed posse tamen aliquas finiri nonnulla tristitia leui, & exitu minus læto terminari, modo antecesserit risus, & iocus, qui à Comœdia separari non potest. Huiusmodi mihi videtur esse Asinaria Plauti. Cuius postrema clausula est maritus ætate confectus, & bene senex ab vxore deprehensus cum pellice: qui profectò senex risum sic mouet, vt ipse tristitiam habeat, & exitum rerum suarum minus felicem. Huiusmodi est Miles gloriosus. qui captus, coniectus in vincula, vapulans, habitu supplici Fabulam claudit. hæc autem tristia sunt militi glorioso, tametsi populo risum mouent. Huiusmodi denique est Persa; quæ Comœdia finitur item supplicio sumpto de lenone, additis præterea minis, quæ hominis mœrorem augerent, nec populo magnũ risum excitarẽt. Hac demũ quæstione submota cõcludamus hisce de partibus omnia in hũc modum. Protasis in primo tractatur actu. Epitasis in secũdo, & tertio. Catastrophe inchoatur in quarto, perficitur in quinto.

Vnum

Vnum esset addendum de Agnitionum generibus varijs, quæ ponuntur, & accidunt in extrema Catastropha. Sed non sunt hic iteranda quæ diximus cum de Catastropha Tragœdiæ disputauimus. est tamen affirmandum hic illud: Tragœdiam quidem sine Agnitione quoque laudabilem esse; Comœdiam tamen, si careat Agnitione, vix esse probabilem. Nam quæ sunt apud Plautum eiusmodi, Asinaria, Aulularia, ceteræ, videntur esse frigidiores. quod quia penitus intellexit Terentius, sibi melius cauit, atque in rationem suam consuluit sapientius.

## *De Fabulis illis, quæ dictæ sunt à nouis scriptoribus Tragicocomœdiæ.* Caput XXII.

CVm has Tragicocomœdias nominamus, eas intelligi volumus, quæ personis grauissimis, infimisque, aut etiam Satyris vnà permistis, confusoq. simul Tragœdiæ, Comœdiæq. fine ex commiseratione, ac risu conflato, quoddam nobis Fabulæ genus proponere videntur, cuius neq. vlla mentio apud Aristotelem sit, neque apud veteres poëtas exemplum probabile. Quamquam enim multi ex antiquis illis poëtis, qui pluribus annis Aristotelem antecesserant, ex personarum illa mistione coagmẽtatas aliquas fecere Fabulas, vt supra commemorauimus, eas tamen in ipsa Comœdiæ definitione damnauit idẽ Aristoteles, cum Comœdiæ deteriores personas, Tragœdiæ meliores assignauit. De illa verò finis vtriusq. tam distracti compositione nihil est, cur multa dicamus; cum non modò ab Aristotelis auctoritate, atque ab antiquorum exemplis, verum ab ipsa quoque ratione videatur aliena.

Nihilo minus tamen vnus Aristotelis in cap. poët. xj. videtur esse locus, qui mentionem aliquam huiusmodi poëmatis habere fortasse queat. Sed vt diximus in libello de Trag. cap. xxj. in fine, locus ille cum sit obscurior, in aliam trahitur sententiam ab interpretibus, & causam hanc tueri non potest, quia eiusmodi Fabulas, quas ibi commemorat, suo suffragio damnat, nec probari ait, nisi ab imperitia Theatrali, hoc est ab imperita Theatri multitudine, ad cuius se se fingunt voluntatem assentatores poëtæ.

Exemplum etiam aliquod huiusmodi Tragicocomœdiæ videtur esse præsertim in Euripide: qualis est Cyclops. Habet enim duplicem ordinem personarum; & tota Fabula vinum est, tota iocus, & risus; ad extremum læto etiam exitu terminatur, cum Vlyssis socij liberantur. Quare si quarundam grauitatem personarum excipias, Comœdia dicenda videtur, si earundem illam grauitatem attendas, Tragœdia.

Quid ni ergo Tragicocomœdia sit? Sed hæc Fabula inter Satyricas referenda Tragœdias est: in quibus Satyri, Sileniq. sic inducebantur, vt inductos in Cyclope videmus. Satyros tamen explosit aliquando tandem Tragœdia, & noua Comœdia non admisit. Possumus adeo iure dicere, huiusmodi Fabulas ab Aristotele fuisse repudiatas: qui veteribus illis dramaticæ poëseos antiquatis legibus, definitionibus traditis egregijs Tragœdiæ, Comœdiæque, noua dramaticæ poësi iura condidisse videtur.

Itaque si quis velit tamen hoc genus Tragicocomicum sequi, atq. in scenam proferre, tueri se aliqua ratione potest, apertè, planèq. profitendo, velle se, vel antiquorum illas veteres Fabulas recoquere, quæ ab Aristotele leges non acceperant; vel extundere nouum genus, quēadmodum fecit in Flore Agatho. qui Fabulam illam fictis nominibus personarum, fictoq. prorsus argumento, ausus est proferre primus nouo artificij modo: nec tamen damnatus est ab Aristotele propter nouitatem: immo verò est approbatus eo nomine, quòd illa Fabula vulgo placeret; vt in commentario de Tragœd. diximus cap. xxij. Videtur enim Aristoteles significare, populi voluntatem, & voluptatem, aliquam posse poëtis ad excogitanda noua dramata veniam dare.

Sed quì fiet, vt risus cum misericordia, & dolore misceri queat? Dixerim, ea ratione misceri posse, qua frigus attemperatum calorem, patitur, attemperatus calor frigus, algoremq. non omninò depellit. In quo genere fortassis ea composuerunt Græci, quæ κλαυσιγέλωτα nominarunt.

## *De Comœdijs illis, quæ Pastoritiæ nominantur.*
## *Caput XXIII.*

Libet ad extremum id etiam inuestigare, ac quærere. vnde nam illæ pastoritiæ Fabulæ, quæ totum iam occuparunt Theatrum, promanarint. Neque enim apud antiquos aliquas illis scimus fuisse similes, nisi quas paulo ante Tragœdias Satyricas appellauimus. Sed tamen ab illis Satyricis Tragœdijs hæ nouæ pastoritiæ differunt: quia sæpè nullos inducunt Heroas, aut Deos, nullos Satyros, ac Paniscos, sed pastores tantum, agricolas, rusticanos, aliquas Nymphas. Necesse igitur est aperire primum fontes, vnde fluxerunt hæ Fabulæ. deinde videre, ac quærere, num probandæ sint, retinendæq. videantur.

Vetustissimum sanè poëmatis genus ex antiquissimo viuendi more ductum sine dubio est, cum poësis ipsa nihil aliud quàm humanarum actionum, hoc est humanæ vitæ quædam imitatio sit. At viuendi prisca genera fuere tria, vt disputat Iulius Scaliger, pastoris, venatoris, ara-

aratoris. Venatores quia ſemper in motu, curſuq. ſunt, videntur à ſtudio cantus abhorrere, ac propterea nullum imitationis, hoc eſt, nullum carminis genus excogitarunt. Reliqua ergo duo viuendi genera cantiones, verſuſq. meditata principio ſunt. Ac paſtores quidem multo fortaſſis id ante fecere, quàm aratores, quia priores ætate fuere, quemadmodum Varro docet, & ex Thucydide intelligi poteſt. Huc accedit, quòd cum hoc inuentum ſolutos, ac remiſſos habuerit auctores, à paſtoribus potius manare debuerit, qui ſæpiſſimè ſunt otioſi, quàm ab aratoribus, qui plerumque, ac penè ſemper verſantur in opere. Videtur igitur inuenta primum modulatio quædam, & cantus à paſtoribus, vel inductione naturæ, vel auicularum, arborumq. ſibilantium imitatione; vt Lucretius autumat in lib. v.

*At liquidas auium voces imitarier ore*
*Ante fuit multo, quàm læuia carmina cantu*
*Concelebrare homines poſſent, aureſq. iuuare.*
*Et Zephyri caua per calamorum ſibila primum*
*Agreſtes docuere cauas inflare cicutas.*
*Inde minutatim dulces didicere querelas,*
*Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,*
*Auia per nemora, ac ſiluas, ſaltuſque reperta*
*Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia.*

Et ſanè, vt Plinius in lib. x. cap. xxix. demonſtrat, tanta in vna luſcinia modulatè canendi vis eſt, vt omnes Muſicorum leges, & modi inde hauſti eſſe videantur. In hac vna, inquit, perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato. interdum & ſecum ipſe murmurat; plenus, grauis, acutus, creber, extentus, &c.

Ex his ergo cantibus auicularum cum otioſi paſtores modulandi rationem aliquando certam didiciſſent, addiderunt modulis verſum, & numeroſa verba, quæ flecterentur ad tibiam. Et quoniam tota hæc ars erat imitatio quædam, imitari eius beneficio coeperunt ea, quæ ipſis notiora erant, atq. in oculos continenter incurrebant; hoc eſt paſtorum amores, & iurgia, concilia, & contentiones eorum, quibus cum eſſent ſemper, atq. eodem vitæ genere conſueſcerent. Natæ itaq. ſunt ex eo fonte duæ cantiuncularum formæ. altera; cum ſinguli ſub arboris aliquam recepti vmbram, à cibo, ac potu, ſuos canerent amores; quæ ſpecies monoproſopos, hoc eſt vnius tantum perſonæ loquentis erat; altera, cum vel caſu, vel conſilio conueniſſent ij, inter quos, aut amor, aut odium, aut æmulatio, & riualitas eſſet. Huius poſterioris, quæ plures inducit canentes perſonas, duos fuiſſe modos accepimus: primum; cum ſine certo numero, ac ſine lege verſus funde-

rent: cui non est aliquod proprium impositum nomen; quia vulgaris erat, liber, & naturalis, nec tam arte quæsitus, quàm vltro propemodum oblatus. secundum; in quo sententias reponerent æmulas, quibus versus pari numero responderent. Quare dictum est hoc genus carminis ἀμοιβαῖον: hoc est per vices, alternisq. responsio. cuiusmodi videtur esse apud Virgilium in Eclog. iij. vbi vices hasce, ac responsiones alternas ita pastoribus cantaturis præscribit Palæmon.

*Alternis dicetis. amant alterna Camœnæ.*

Et in Eclog. vij. vbi cantus hic amoebæus explanatius, & melius sic ab ipso poëta describitur initio.

*Alternis igitur contendere versibus ambo*
*Cœpere: alternos Musæ meminisse volebant.*
*Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.*

Hæc itaque alternatio canentium pastorum dicta est ab antiquissimis Græcorum amoebæum carmen: quod auctore Festo tum esse dicitur, cum hi, qui canunt æquali quidem numero versuum vtũtur, sed ita se tamen habet responsio, vt aut maius aliquid, aut contrarium dicant qui respondent. Dixerat enim in tertia Damœtas aliquid magnum:

*Ab Ioue principium Musæ. Iouis omnia plena*
*Ille colit terras. illi mea carmina curæ.*

Maius tamen quiddam, & contrarium pari numero versuum Menalca respondet.

*Et me Phœbus amat: Phoebo sua semper apud me*
*Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus.*

Tres igitur huius pastoritiæ poëseos fuere formæ. Prima: quam vnus tantummodo caneret. qualis est illa Virgilij Ecloga ij. Formosum pastor: & vltima. Extremum hunc. Secunda forma est, quæ duos quidem, aut plures canentes inducit: sed sine vlla contentione de pari sententia, vel de numero versuum. Tertia est illa, quæ certamen hoc, & alternationem, de qua diximus habet. Singulorum materiæ sunt arationes, vindemiæ, messes, lignationes, & argumenta quædam viatoria, capraria, ouilia, olitoria: quibus addit Sanazarius ex Theocrito piscatoria. Interdum tamen assurgunt in hoc genere poëtæ, materiasque grandiores aggrediuntur; sed tamen inducunt tunc Pana, vel Silenum siluestrem Deum canentem, à quo tam excellens argumentum alienum esse non videatur. Est enim, vt Plato in conuiuio docet, Silenus reconditæ, ac sepositæ sapientiæ Deus; adeoque Bucolici poëtæ paulo maiora canere, ac siluas egredi audent, cum eum inducunt, nec tam suo, quàm ore loquuntur sapientissimi, ac prudentissimi Dei: quod Virgil. fecit in Eclog. vj. cui nomen est Silenus.

Igitur ex postremis hisce duabus formis, quæ multas inducunt personas, natæ Comoediæ sunt, quæ pastoritiæ vocantur. quod inuentum,

aut ego longè fallor, aut omnino nouitium est. Nam apud antiquos, Theocritum Græcum, Latinumque Virgilium, & postremum etiam Calpurnium Siculum, qui Diocletiano Imperatore scripsit Eclogas, non inuenias nisi paucas admodum inductas personas canentes, colloquentesque; & quidem non plures quàm tres. Quin earum Eclogarum multæ nullum habent dialogum, & colloqutionem: sed in ijs poëta loquitur ipse per se, numquam mutatus: quod à ratione dramaticæ poëseos est alienum. Quare cum videamus iam ad iustam Comœdiæ magnitudinem has Fabulas peruenisse, suumq. habere negotium, & rerum seriem, ac synthesim reliquis dramaticis similem formis, nouum hoc artificium dicendum est, ad parandam animi delectationem, vt cetera poëtarum, excogitatum. Cum enim vidissent Eclogas illas antiquorum simplices mirificè placere, intellexerunt, multo maximè futurum, vt tenerent populum, si producerentur in longum, additoq. negocio, & rerum aliqua constitutione, ac nodo, ex multis quodammodo Eclogis, quasi ex multis Actibus, ac scenis conflatum pastoritium aliquod drama proferretur in publicum.

Est alius præterea fons, vnde facilè huiusmodi Fabulæ natæ sunt; hoc est Satyra vetus, quæ dramatica fuit, & in scenam ab Actoribus illata. Illa quippè suos habuit histriones, & scenam propriam, vt docet Vitruuius, hoc est eam ipsam, quam hi noui pastoritiarum architecti Fabularum vindicarunt sibi, ex arbusculis, frondibus, herbis, opere topiario compositam. Satyricæ scenæ, inquit ille, ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquis agrestibus rebus in topiarij operis speciem deformatis. Ab hac ergo dramatica Satyra sine dubio hi sumpserunt multa: hoc est scenam, Satyros, Silenosque, quos penè semper inducunt: ab Eclogis alia, vt pastores, Nymphas, bubulcos, subulcos, opiliones. Multa verò addidere de suo, & nouum hoc poëseos dramaticæ genus pepererunt, quod magnos habuit processus, & amplificatur in dies.

Fontes vnde fluxit hæc Fabula, vidimus: Quæramus verò nunc an probanda sit, atq. in Theatro cum ceteris retinenda. Vt breuissimè faciam, existimo improbari omnino non posse. Nam & risum habet, quo continetur vis, & natura Comœdiæ, & instituit actiones humanas, informatq. hominum mores, aliorum propositis exemplis; quæ vtilitas à scena debet in Rempub. emanare. Quòd si dicas: nouum hoc inuentum esse, respõdebo, nouum etiam fuisse Florem Agathonis: qui tamen ab Aristotele non est improbatus, vt alibi docuimus.

Vnum tamen est, quod habeat fortasse maius aliquod robur, ac vim. Quid inquam? Sunt quæ finguntur in his Fabulis mutata iam religione minimè vero similia. Satyri enim illi, Nymphæ, siluestresque Dij, quos proferunt, nullam obtinent apud populum fidem, adeoque à

verosimili sunt alieni: quod peccatum in poëtis ferendum non est. Sed dixerim ego, Deos illos, ac cetera, quæ falsa esse prorsus, & commentitia demonstrauit populo recta religio, proponi tamquam aliqua symbola rerum verarum, quemadmodum producitur interdum iræ simulacrum, aut inuidiæ. non quòd velit poëta, existimare spectatores, inuidiam, iramq. corporatas, & aspectabiles esse, sed quòd ita se melius illis propositurum videat ea, quæ faciunt irati homines, aut inuidia laborantes. Ac de Comoedia quidem diximus. nec necesse habemus aliud addere, nisi excipere Fabulas impudicas, quas exterminandas esse, & ciuilis sapientium virorum doctrina, & integra religio iubet.

* * *



TAR-



# TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV DE ELEGIA COMMENTARIVS.

## *Elegiæ antiquitas, & Scriptores.*
## *Caput I.*



QVoniam id agere decreui, vt Elegiam in bono lumine collocem, ille primum erit eripiendus error, quo plerique decepti, putant, hanc non eſſe poëſeos formam admodum ſplendidam, atq. ſpectabilem. Id quod facilè conſequar, ſi huius vetuſtatem carminis, ſcriptoreſq. longè antiquiſſimos, & grauiſſimos ducta quaſi ſerie percenſebo.

Quamquam Horatius auctorem Elegiæ primum certò ſciri poſſe negat his verſibus,

*Quis tamen exiguos Elegos emiſerit auctor,*
*Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt,*

aliqui tamen Theoclen, vel Naxium, vel Eretrienſem eſſe volunt: qui mente captus, ac delirus dicitur primus hoc genus feciſſe carminis, & pronunciaſſe. Sunt qui Midam neſcio quem inuentorem faciunt; quòd cum in funere matris primam Elegiæ ſyllabam ἒ, ἒ, quæ apud

Græcos lamentationem significat, vsurpasset, initium huic poëmati dedisse videatur. Illud certè debet exploratissimum esse, antiquos, & quidem nobiles viros in huius scriptione carminis operam posuisse: Solonem, vnum è Græciæ sapientibus, Theognidem vetustissimum, doctissimumq. poëtam, Mimnermum, Simonidem Ceum, Callinum, Xenophanem, Philetam, Tyrtæum, Callimachum; & verò etiam Aristotelem philosophorum omnium sine controuersia primum: vt Latinos interea prætermittamus, quasi non sic antiquos: Catullum, Tibullum, Propertium, Cornelium Gallum, & qui omnium habitus est ingeniosissimus, Ouidium Sulmonensem. Quamuis autem ambigi iure possit, an eorum multi, quos initio dixi, veram Elegiæ formam attigerint, rem tamen hic ad viuum non reseco, sed quicquid Elegiacis numeris scriptum est, id ego vniuersim Elegiæ nomine comprehendo; de his accuratius, ac subtilius in loco explicaturus. Placet itaque nunc, ipsam vocabuli notationem, atque Elegiæ veram etymologiam quærere: vt facilius intelligatur id, de quo disputatur.

## *Notatio Nominis. Caput II.*

SVidas quidem Elegiæ notationem, ac etymon se nescire planissimè profitetur. Sed tamen sunt, qui dictam velint παρὰ τὸ εὖ λέγειν τοὺς τεθνηκότας, hoc est ex eo, quod mortuis illo carmine bene precarentur, eosdemq. laudarent. In funere enim tantummodo antiqui, vt infra dicetur, vtebantur Elegia. Hanc tamen etymologiam nemini placere video: non Robertello, non Scaligero; non alijs, qui hoc argumentum ad hanc diem vsq. tractarunt. Appellatam putat Simplicius ἀπὸ τοῦ ἔλεον λέγειν, quod est commiserationem implorare, vel ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν: quod est heu, heu, dicere. Quæ quidem interiectio ita Græcorum Tragicis vsitata est, ac familiaris, vt nihil apud eos communius sit. quamquam interdum non ἒ ἒ per epsilon illi scriptam eam interiectionem reliquerunt, sed per alpha iota αἶ; cui tamen eadem subiecta notio est, neque aliud, quàm heu significat. Sic enim Clytemnestra, vt cetera mittamus, ab Oreste occupata lamentatur apud Sophoclem Tragici carminis omnium sententia principem. αἶ, αἶ, αἶ, ἰὼ στέγαι. Heu, heu, heu, heu nos miseras. Hac igitur lamentationis forma ipsi etiã vtebantur Elegiaci, tum in funebri cantu, tum in amantiũ stultis querimonijs, quas pro amicarum foribus exponebant. Ceterum nonnullorũ opinio fuit, dictam Elegiam esse ἀπὸ τοῦ ἐλέου: non quidem à commiseratione, sed ab aue nocturna, stridula semper, & querula. Vlulã Latini appellarunt: vt vlulatus, & querelas, quas exprimit cantu, ipso nomine significarent. Ea fortasse sit, quam noctuam dicimus. quod si verum est, hæc etymologiæ ratio cadit optimè in funebrem illam conquestionem Elegiæ: cum hæc auis apud Ægyptios hieroglyphicum mortis habita sit, vulgatis-

gatiſſimo etiam poëtarum, atq. hiſtoricorum noſtrorum teſtimonio comprobatum: qui à noctua ſemper aliquid inauſpicatum dicunt, ac exitiale portendi. ſic prorſus; vt eius cantum, velut lethale prodigiũ, hoſtijs expiari ſolitum eſſe tradiderint. Vel illa Propertij carmina id declararunt, quibus Arethuſa portenta Lycotæ coniugi in caſtris degenti malum aliquod obnunciantia ſe procuraſſe commemorat.

*Siue in finitimo gemuit ſtans noctua tigno,*
*Seu voluit tangi parca lucerna mero:*
*Illa dies hornis cædem denunciat agnis,*
*Succinctiq. calent ad noua lucra popæ.*

Et profectò Pyrrhus Epirotarum Rex infelici prorſus euentu comprobauit, illam auem eſſe funeſtam. Cum enim in itinere nobilis expeditionis aduerſus Argiuos, ipſius Regis haſtæ repentè inſediſſet noctua, intellexit ille calamitatem futuram: & in eo prælio ſic mortuus eſt, quemadmodum ea feralis ales obnunciarat. His accedit Valeriani Pierij coniectura: qui putat, noctuam in eo ſigno ſculptam, aut depictam fuiſſe, quod ad illos, qui publico damnati iudicio erant apud Æthiopas, à lictore portabatur, ea cum lege, vel conſuetudine iam inueterata, vt ſtatim ſigno illo conſpecto, damnatus quiſq. ſua ſibi manu mortem afferret; magno & ſibi, & patriæ dedecori futurus, niſi feciſſet. Quæ cum ita ſint, intelligere facilè poſſumus, hanc etymologiæ rationem eam eſſe, quæ probet, Elegiam duxiſſe originem à funere: cum ἔλεος, hoc eſt, Vlula, cuius cantum imitatur, feralis habita ſit, ac funeſta. quamquam controuerſum videri poſſet, à funere ne primum initium traxerit Elegia, ac deinde ad amantium querimonias deducta ſit, an ab amantium querelis ad funeris luctum conſecuto tempore gradum fecerit. Crediderim à funere tranſlatam eſſe ad amantium commiſerationes, ac lamenta. Id quippè ſignificauit in definitione, Didymus, cum dixit, Elegiam eſſe θρῆνον ᾀδόμενον πρὸς αὐλὸν: luctum ſiue lamentationem ad tibiam decantatam. Nam cum tibia funeris propria fuerit, ipſa definitio, qua rei vis omnis, & natura continetur, funus videtur in Elegiam includere propterea, quòd ei tibiam adſcribit, ad quam præficarum conqueſtiones, & funera canebantur. Quo fit, vt hæc definitio intelligi perinde poſſit, ac ſi ea non ſit Elegia, quæ funebrem luctum, ac lamenta non complectatur.

Optimo verò conſilio à funere, ad amantium deplorandas inſanias eſt euocata: in quibus quotidiana conqueſtio, vt ait Scaliger, & mors veriſſima eſt: cum vir à ſe ipſo quaſi alienus humili feminarum generi viuere videatur. Id verò quacumq. ratione factum ſit, prætermitto; illud tantummodo ſtatutũ hìc volo: Elegiam ad querelas vel præficarum, vel amantium originem ſuam referre. ſic, inquam; vt propterea Latinus Pindarus Tibullũ alloquẽs Elegos miſerabiles appellarit.

Albi

*Albi ne doleas plus nimio, memor*
*Immitis Glyceræ: neu miserabiles*
*Decantes elegos; cur tibi iunior*
*Læsa pœniteat fide.*

Quibus ita constitutis, ac positis, de materia dicendum est, quæ tractanda proponitur Elegiæ.

## *Elegiæ materia. Caput III.*

CVm à conquestionibus Elegiam esse natam, ac nominatam habeamus exploratissimum, videtur esse consequens, nihil nisi funebre, vel querulum, ac miserandum in Elegiam cadere posse. Et ita profectò esset, nisi antiquorum poëtarum, scriptorumq. grauissimorum auctoritas alia omnia demonstraret: qui nullam penè materiam in qua cetera versantur poëmata, Elegiaco versu tractare dubitarũt: Quapropter existimauerim, initio quidem nihil, nisi lamentabile, numeris Elegiacis esse cantatum, siue amatorium illud fuerit, siue funestum, siue alio nomine triste, ac luctuosum: deinde verò cetera etiam argumenta ijsdem versibus inclusa, & comprehensa fuisse, quæ alio carminis genere tractantur ab alijs. Itaq. argumentum hoc tam amplum, & tam latè patens, quod videmus nunc Elegia tractari, nouum est, & accersitum; proprium verò, antiquum, & quasi primitiuum, querulum est, & flebile. quod planissimè docet Ouidius in Elegia pernobili de Tibulli morte, confirmans illam esse veram, & propriam Elegiam, quæ versatur in funere.

*Memnona si mater, mater plorauit Achillem,*
*Et tangunt magnas tristia fata Deas;*
*Flebilis indignos Elegeia solue capillos:*
*Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*
*Ille tui vates operis, tua fama Tibullus*
*Ardet in extructo corpus inane rogo.*

Eodem sanè modo suas ipse calamitates philosophus bonus, ac poëta non malus deplorans Boëthius, haud dubiè demonstrat, Elegiam quasi propria quadam nota distingui à ceteris luctu, & querimonia velle.

*Carmina qui quondam studio florente peregi,*
*Flebilis heu mœstos cogor inire modos.*
*Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camoenæ,*
*Et veris elegi fletibus ora rigant.*

Non tamen id propterea dico, quòd credam, argumenta flebilia, tristia, funebria Elegiæ propria sic fuisse, vt nulla prorsus alia poëmatis forma

forma canerentur. Scio enim eandem sibi materiam sumpsisse etiam Threnos, qui latinè luctus dici possunt: qualis est ille cantus, quo Hieremias sanctissimus vates dolenter admodum excidium Hierosolymæ, vrbis nobilissimæ lamentatur. cuius quidem carminis auctorem Linum Ethnicorum nonnulli esse voluerunt. Nec aliud profectò fuit argumentum Næniarum, quæ lugubri cantus inflexione ad feretrum admotæ sunt, atq. ad funus adhibitæ. Quamquam enim illas paulo superiori memoria Iouianus Pontanus traduxit ad nutricias cantilenas, non est tamen secutus antiquum, & proprium Næniarum argumentum; sed voluit illis dare nouum pro arbitratu, eo permotus consilio, quod in Italia nutrices populari lingua cantiunculas illas, quibus somnum pueris conciliant, Nænas appellent. Itaque apud illum nutricula somnum sic euocat ad Lucilij cunas.

*Somne veni, tibi Luciolus blanditur ocellis:*
*Somne veni, venias blandule somne, veni.*
*Luciolus tibi dulce canit somne optime somne:*
*Somne veni, venias blandule somne, veni.*
*Luciolus vocat in thalamos te somnule, somne,*
*Somnule dulcicule, blandule somnicule.*
*Ad cunas te Luciolus vocat: huc age somne:*
*Somne veni ad cunas: somne age, somne veni.*
*Ad cubitum te Luciolus vocat; eia age somne,*
*Eia age somne veni, blandule somne veni.*
*Luciolus te ad puluinum vocat, instat ocellis:*
*Somne veni, venias, somne age, somne veni.*
*Luciolus te ad complexum vocat, innuit ipse:*
*Innuit, en venias somne age, somne veni.*
*Venisti bone somne, boni pater alme soporis,*
*Qui curas hominum, corporaq. ægra leuas.*

Sed hoc Næniarum genus nouum est, vt diximus, à Iouiano Pontano excogitatum: cum Nænia funebre carmen sit, neq. multum ab Elegia distare videatur. Quo loco illud etiam dicere oportet; ad hoc genus pertinere quoq. Monodiam, hoc est solitarium cantum, in quo solum affectum, & lamentationem posuerunt, ἠθοποιΐαν verò, hoc est morum effictionem, & prosopopœiam planè nullam. Hoc argumentum, atque hanc poëseos formam tractauit Sapho, nobilis illa poëtria, quæ multas dicitur scripsisse Monodias, ac propterea cantum Missolodium inuenisse, vt docet Patritius in Poëtica. quo de genere videtur esse cantus ille, quem Politianus arctioribus solutum numeris, ac propemodum exlegem in obitu Laurentij Medicei scripsit, reliquitque posteritati.

*Quis dabit capiti meo*

*Aquam? quis oculis meis*
*Fontem lacrymarum dabit?*
*Vt nocte fleam.*
*Vt luce fleam.*
*Sic turtur viduus solet,*
*Sic cygnus moriens solet,*
*Sic luscinia conqueri.*
*Heu miser miser.*
*Heu dolor dolor.*
*Laurus impetu fulminis*
*Illa, illa iacet subito*
*Laurus omnium celebris,*
*Musarum choris,*
*Nympharum choris.*
*Sub cuius patula coma*
*Et Phœbi lyra blandius,*
*Et vox dulcius insonat.*
*Nunc muta omnia,*
*Nunc surda omnia.*
*Quis dabit capiti meo*
*Aquam? quis oculis meis*
*Fontem lacrymarum dabit?*
*Vt nocte fleam.*
*Vt luce fleam.*

Huius imitandi carminis studio nos etiam abrepti, quædam olim in Mariæ Magdalenæ Metanœa lusimus, vt leuissimè dicam, iuueniliter. Ea quæcumq. sunt, publicis typis, hoc est hominum iudicio sunt permissa: quorum arbitrium est, constituere quid eo conatu simus assecuti. antiquum certè nos carminis argumentum, & poëtam haud ignobilem Politianum secuti sumus imitando. Ceterum, vt ad institutum reuertar, hæc omnia poëmata locum in funere, & quidem initio, in solo funere obtinuerunt: Threni, Monodiæ, Næniæ, ac Elegiæ. Elegia tamen traducta postmodum est ad amores, atq. ad amantium tristes insanias exprimendas, quales sunt, vt de Græcis hoc loco taceam, Ouidij, Tibulli, Propertij conquestiones. Quid enim aliud illa Propertij sibi volunt in libro tertio, Elegia duodeuigesima?

*Hæc certè deserta loca, & taciturna querenti;*
*Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.*
*Hic licet occultos proferre impune dolores,*
*Si modò sola queant saxa tenere fidem.*
*Vnde tuos primum repetam mea Cynthia fastus,*
*Quod mihi das flendi Cynthia principium?*

Quid illa Tibulli, quibus Elegiæ septimæ libri tertij ita ducit exordium?

*Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa,*
*Difficile est tristi fingere mente iocum.*
*Nec bene mendaci risus componitur ore,*
*Nec bene sollicitis ebria verba sonant.*

Quid denique illa, quæ in Ouidianis epistolis expostulant Heroides, Dido, Hypermnestra, Ariadna? Nihil his fieri potest luctuosius, nihil Elegiacis versibus accommodatius. Ita igitur à funere digressa tantisper Elegia, in amoribus initio sic versabatur, vt nihil nisi amantiũ querimonias amplecteretur. Factum deinde paulatim est, vt etiam gaudium, animique lætitiam, quam amantes præ se ferebant, vbi voti compotes fuissent, eodem genere carminis exprimerent, quo dolorem antea lamentati erant. Docet enim hæc planissimè duobus hisce versibus Horatius in poëtica,

*Versibus imparibus iuncta est querimonia primum,*
*Post etiam inclusa est voti sententia compos.*

quasi dicat; initio quidem Elegiam à funere traductã, atq. adhibitam fuisse ad amantium querimonias significandas; sed postea illos ipsos, vbi amicarum animum peruicissent, Elegiacis versibus animi lætitiam expressisse. Prolatis hoc modo Elegiæ finibus, & quasi pomœrio amplificato, cum diu, multumq. in rebus amantium lætis, prosperisq. versata esset, ita licenter, ac liberè postremò vagata est, vt nihil propemodum Elegiaco carmine scriptum non sit. Nam Solonem, vnum è Græciæ sapientibus, & quidem principem, Diogenis Laërtij testimonio, leges Atheniensibus Elegiaco versu descripsisse accepimus. Cuius fortasse carminis mentionem facit Demosthenes in orat. περὶ πρεσβείας: certè laudat Solonis Elegiam. Hunc verò morem scribendarum poëtico numero legum indicauit Aristoteles in Problematis eo loco, vbi quærit, cur multæ leges appellatæ sint cantiones, respondetque id fuisse factum, quòd illæ leges poëticis modis, ac versibus canerentur in vrbium vijs, atq. in foris à pueris ipsis; vt facilius in aures audientium influerent, ac pertinacius animis inhærescerent. Extat præterea eius consuetudinis insigne testimoniũ Athenæi, qui causam adprobat eandem, cur leges olim versibus scriberentur. Ait enim hoc ideo factum, vt facilius & comprehenderentur animo, & memoria retinerentur. Quapropter Arist. in poëticis, vbi de his subtilius disputat, inter ceteras poëticæ formas etiam νομικὴν, hoc est legum poësim adnumerauit, eamque solitam ait fuisse res imitari sermone, rhythmo, atque harmonia. Hoc autem poëseos genus, quod à legibus ita nomen inuenit, diciturque propterea νομικὴ, non debere ab Elegia distingui, pluribus à me demonstrabitur alio loco, vbi statuendum erit,

erit,ad quam Poëticæ formam Elegia reuocanda ſit. In præſentia tamen id veluti certum,exploratumq. ponatur : Elegiam ita liberè vagatam eſſe,vt ne leges quidem,quæ ſunt Philoſophorum ciuilium argumenta,recuſarit . Quid quod bellicæ quoq. res Epicorum propriæ verſibus Elegiacis ſcriptæ ſunt ? Teſtatur hoc vel ipſe Tyrtæus : qui tametſi claudus eſſet,gibboſus,luſcus,deformis in paucis,ac ludi magiſter, militiam tamen neſcio quo caſu ſecutus, copijſq. tandem aliquando præfectus , adeo militum ſuorum animos Elegiaco carmine, quaſi belli claſſico incitauit , vt in hoſtem non iam ferri conſilio, ſed cæco quodam impetu veluti furentes ruere viderentur.Rem ita perſtrinxit Horatius in arte,vel epiſtola nobili ad Piſones .

*Tyrtæuſq. mares animos ad Martia bella*
*Verſibus exacuit .*

Quem ſanè Tyrtæum Elegiarum fuiſſe ſcriptorem docuit ex Lycurgi oratoris auctoritate Harpocration , vt eſt apud Gyraldum in Hiſtoria poëtarum,& cognoſci poteſt ex ijs huius poëtæ verſibus,qui apud Stobæum hodieq.leguntur. Teſtatur præterea quæ diximus Mimnermus quidam,ſiue Mnimermus,qui Smirnenſium,Gygiſq. bellum Elegia complexus eſt. Teſtatur Ceus ille Simonides:qui facta Cambyſis, ac Darij ſuperioris , Græcorumque naualem pugnam cum Xerſe ijſdem planè numeris decantauit . quos ſecutus Callinus totum Cimmeriorum bellum modulatus eſt Elegis . Immo vero ipſam quoq. rerum naturam, ipſos mores, ac moralis Philoſophiæ præcepta ſibi demum vindicarunt Elegiæ ſcriptores.quorum primum à Xenophane, alterum à Philone,ac deinde à Theognide, homine ſapientiſſimo,factum eſt:cuius etiam nunc libellus moralis argumenti circumfertur, & legitur .

Hæc igitur à Græcis ita licenter,vt expoſui,verſibus Elegiacis tractata ſunt. quorum exempla noſtri libenter amplexi,nihil in eo genere intentatum reliquerunt: ſic prorſus, vt ipſam quoq. humanæ vitæ breuitatem,inconſtantiamque,philoſophorum more ſæpè proponant deplorandam . Propertius hoc egregiè in libro tertio , Elegia ſextadecima præſtitit. vbi Marcelli obitum ad Baias,qui fuit Octauij Auguſti ſororis filius,grauiſſimo ſanè carmine conqueſtus eſt.

*Occidit: & miſero ſteterat vigeſimus annus :*
*Tot bona tam paruo clauſit in orbe dies .*
*I nunc,tolle animos,& tecum finge triumphos ,*
*Stantiaq. in plauſum tota Theatra iuuent .*
*Attalicas ſupera veſtes,atq.omnia magnis*
*Gemmea ſint ludis:ignibus iſta dabis .*
*Sed tamen huc omnes: huc primus,& vltimus ordo .*
*Eſt mala,ſed cunctis iſta terenda via eſt .*

Quin

Quin habet præterea multis sanè locis hic Vmber poëta præceptiones admirabiles, in omni vitæ parte salutares; temperantiæ leges, detestationem libidinis, auaritiæ reprehensionem: qualis est illa Elegiæ sextæ, libri tertij, quæ scribitur in mortem Pæti.

*Ergo sollicitæ tu causa pecunia uitæ es.*
*Per te immaturæ mortis adimus iter.*
*Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes,*
*Semina curarum de capite orta tuo.*

Cui concinit alter Elegiarum scriptor Tibullus, tum alibi sæpè, tum in libro præsertim tertio, vbi modestiam, frugalitatem, vitam deniq. commendat antiquorum, ab omni auaritiæ studio prorsus abhorrentem.

*Quàm bene Saturno viuebant Rege, priusquam*
*Tellus in longas est patefacta vias.*
*Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,*
*Effusum ventis præbueratque sinum.*
*Non acies, non ira fuit, non bella: nec ensem*
*Immiti sæuus duxerat arte faber.*
*Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper;*
*Nunc mare, nunc lethi mille repente viæ.*

Dixerim in summa; ea omnia Elegiacorum esse poëtarum argumenta, quæ à Lyricis ipsis tractantur in Odis. Interdum enim somnia describunt; id quod à Propertio factum est in libro tertio, Elegia secunda.

*Visus eram molli recubans Heliconis in antro,*
*Bellerophontæi quà fluit humor equi.*

Et à Tibullo in libro tertio, Elegia quarta.

*Dij meliora ferant, nec sint insomnia vera,*
*Quæ tulit hesterna pessima nocte quies.*

Interdum viros egregios, ac Principes quasi panegyricis quibusdam exornant. id quod fecit item Propertius in libro tertio, Elegia octaua.

*Mecœnas eques Etrusco de sanguine Regum,*
*Intra fortunam qui cupis esse tuam.*

Interdum vota concipiunt, ac futurum triumphum, vel vaticinando, vel narrando describunt. Vaticinatur enim Propertius in libro tertio, Elegia quarta.

*Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,*
*Et freta gemmiferi findere classe maris.*
*Magna viri merces; parat vltima terra triumphos,*
*Tigris & Eufrates sub tua iura fluent.*

Narrat autem Tibullus in libro primo, Elegia septima.

Hunc

*Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes*
*Stamina, non vlli diſſoluenda Deo.*
*Hunc fore Aquitanas poſſet qui fundere gentes,*
*Quem tremeret forti milite victus Arar.*
*Euenere. nouos pubes Romana triumphos*
*Vidit, & euinctos brachia capta duces.*

Interdum Deos implorant, eorumq. laudes, ac ſacrificia molli numero perſequuntur. Propertius in libro tertio, Elegia decima ſexta.

*Nunc ò Bacche tuis humiles aduoluimur aris:*
*Da mihi pacato vela ſecunda Pater.*

Tibullus Elegia ſexta, libri tertij.

*Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis;*
*Sic hedera ſemper tempora vincta feras.*

Interdum pugnas, & prælia canunt: vt Propert. in libro quarto, Elegia ſexta: cuius initium eſt.

*Sacra facit Vates, &c.*
*Eſt Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,*
*Quà ſinus Ioniæ murmura condit aquæ.*
*Actia Iulææ pelagus monumenta carinæ,*
*Nautarum votis non operoſa via.*
*Huc mundi coiere manus: ſtetit æquore moles*
*Pinea, nec remis æqua fauebat auis.*

Interdum antiquas Fabulas, ducta, perpetuaq. narratione deſcribunt; quod legimus apud Propertium in Vertumno; multoque maximè in Tarpeia. Deniq. Ouidius hoc poëticæ genere omnia omnium rerum argumenta comprehendit. nam Triſtium libris, ac de Ponto, nonnulliſq. alijs exceptis Elegijs, quæ ita flebiles ſunt, vt in ijs veram, atq. antiquam Elegiæ formam agnoſcas, in ceteris adeo ſe liberè iactauit, vt quiduis aliud potius, quàm Elegiam ſcribere videatur. In Ibin, quaſi Diras, non Elegiam ſcriberet, maledicit. In Faſtis, Annalium quidem, ſacrorumq. deſcriptionem habet, & Fabularum doctrinam; ſed nihil omnino, quod veteri ſimile ſit Elegiæ. In libris de remedio nihil niſi documenta, legeſq. cantauit. Ceterum, vt Elegia liberè, licenterq. vagari poſſit, amores tamen in hoc poëma videbantur antiquis, ac maioribus noſtris aptius cadere. hoc enim in argumento ita verſati ſunt, vt Ouidius ceteris deſcriptis poëſeos formis, hunc ad modum depingat ſuis quaſi coloribus Elegiam.

*Venit odoratos Elegeia nexa capillos,*
*Et, puto, pes illi longior alter erat.*
*Forma decens, veſtis tenuiſſima, vultus amantis;*
*In pedibus vitium cauſa decoris erat.*

Hoc enim amatorio carmine ad amicarum expugnandas fores vteban-

bantur, vt significat idem Ouidius, cum Elegiam Tragœdiæ antepo-nit, his verbis.

*Quam tu non poteris duro reserare cothurno,*
*Hæc est blanditijs ianua laxa meis.*

quod quidem ad Latinos à Græcis fontibus, vt cetera, ductum est: apud quos Elegorũ poëtæ multo ante in amoribus versati iam erant. Nam, vt de alijs taceam, Theognis morum ille præceptor, philosophus verius, quàm poëta, hoc argumento se contaminauit. Atq. haud scio, an hunc secutus postea Marcus Varro Latinus, vir apud Romanos longè grauissimus, ingenium quoq. suum in illo scriptionis genere periclitari voluerit. Video quippè, ab Ouidio in ordinem Galli, Tibulli, Propertij, aliorumq. mollium poëtarum etiam tantum, talemq. virum fuisse relatum. Sic igitur ille suos auditores informat.

*Disce etiam duplici genialia nablia palma*
*Vertere: conueniunt dulcibus illa iocis.*
*Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poëtæ,*
*Sit quoq. vinosi cognita musa senis.*
*Nota sit & Sappho. quid enim lasciuius illa?*
*Cuiue Pater vafri luditur arte Getæ.*
*Et teneri possis carmen legisse Properti:*
*Siue aliquid Galli, siue Tibulle tuum.*
*Dictaq. Varronis fuluis insignia villis,*
*Vellera germanæ Phryxe querenda tuæ.*
*Et profugum Aenean altæ primordia Romæ,*
*Quo nullum Latio clarius extat opus.*
*Forsitan & nostrum nomen miscebitur istis,*
*Nec mea Lethæis scripta dabuntur aquis.*
*Atq. aliquis dicet, nostri lege culta magistri*
*Carmina, queis partes instruit ille duas.*
*Deue tribus libris, titulus quos signat Amorum*
*Elige: quos docili molliter ore legas.*

Sed vereor, vtrum hic Varro sit ille Romanus, de quo dixi, an alius Varro Atacinus Narbonensis. Duos enim Varrones hosce fuisse cogit nos putare, ac dicere Sidonius Apollinaris in quarto Epistolarum. Fortasse, inquam, fuit is Atacinus, qui laudatur hic, alibique ab Ouidio, quòd scripserit Argonautica, vt in primo Amorum.

*Varronem, primamq. ratem quæ nesciet ætas,*
*Aureaq. Aesonio terga petita duci?*

Quicumque tamen is fuit è duobus, non Argonautica modo scripsit, verùm etiam amores cantauit, vt in libro secundo Tristium idem docet Ouidius.

*Is quoq. Phasiacas Argon qui duxit in vndas,*

*Non potuit Veneris furta tacere suæ.*

Romanum quidem fuisse Varronem hunc putat Cataneus in Commentarijs ad Plinium Iuniorem; sed ne me suo inuoluat errore, si fortasse fallitur, volui Atacinum alterum Varronem hic commemorare.

Ex his, vt breuissimè omnia comprehēdamus, intelligere licet quænam sit Elegiæ proposita, atq. obiecta materia, quod initio quæsitum erat. Duplicem enim Elegiam constituendam puto: veram, ac propriam vnam: minus propriam alteram, & nonnihil à vera Elegiæ ratione discedentem. Illa nihil complectitur, nisi funera, & querimonias: hæc latissimè patet, & per omnia pertinet. laudat, obsecratur; bella, historias, sacrificia describit: salutaria morum præcepta non præterit, ea deniq. illi assignare, ac permittere possumus argumenta, quæ Scaliger, antiquorum obseruatis monumentis, ei tractanda proponit; laudationem, execrationem, querelam, expostulationem, preces, vota, gratulationem, fletum, conuicium; obiectionem vitij, recantationem, propriæ explicationem vitæ, sui cum riuali comparationem, comminationem; ianuæ, ianitori, ancillæ, matri, marito, tempestatibus, cælo ipsi conuicium; exoptationem mortis, exilium voluntarium, cum imprecationibus coniunctam desperationem: epicedia, epitaphia, epistolas ipsas, quibus lamenta, vel alia id genus animi sensa explicantur. Elegia enim Propertij duodecima libri quarti, vbi Paulum coniugem Cornelia iam vita functa compellat, epicedion, vel epitaphion est.

*Desine Paule meum lacrymis vrgere sepulcrum:*
*Panditur ad nullas ianua nigra preces.*
*Cum semel æternas intrarunt funera leges,*
*Non exorato stant adamante viæ, &c.*

Neque ad aliud genus, nisi ad epistolas reuocari possit Elegia tertia libri quarti: vbi Lycotam coniugem degentem in castris sic alloquitur Arethusa.

*Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ;*
*Cum toties absis si potes esse meus.*
*Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,*
*Hæc erit è lacrymis facta litura meis.*
*Aut si qua incerto fallet te littera tractu,*
*Signa meæ dextræ iam morientis erunt.*

Nunc, quod sæpenumero in superiori disputatione velut exploratum, certumque proposui, est hic diligentissimè perquirendum; vera ne poëseos forma, & habenda, & nominanda sit Elegia: vt multa quæ subobscurè ante dicta sunt, planiora fiant; sitque procliuior omnis de hoc poëmate disputatio.

An

## An Elegia sit vere poësis.
## Caput IV.

CVm quærimus an verè poësis sit Elegia, quærimus, an imitatio sit: earum videlicet imitationum aliqua, quibus omnem poëticæ naturam, ac vim Aristoteles circumscribit. Complures enim fuisse video, qui poëticam illam Aristotelis tum in latinam, tum in popularem nostram, tum etiam in Arabum linguam ex Græca conuerterint: permultos qui scriptis, & commentationibus illustrarint suis: Petrum Victorium, Vincentium Madium, Robertellum, Alexandrum Piccolomineum, atq. omnium, vel optimè, vel acutissimè Casteluitrum. Scio præterea nonnullos, paulo superiori memoria, aut etiam nostra perappositè de poësi disputauisse: Minturnum, Iacobum Mazonium, Torquatum Tassum, & qui non multo ante Pisis philosophiam docebat, Franciscum Bonamicum. Hos, inquam, tales, tantosq. viros de poëticæ vi, ac natura sedulò, accuratèq. disseruisse scimus; sed qui eam diceret imitatione non contineri, contrà, quàm Aristoteles ipse, contrà, quàm Plato in Ione, atq. in Sophista tradiderit, scimus eorum fuisse omnino neminem. Sed tamen inuentus est aliquando vnus, qui vellet, poësim imitationis finibus contrahi, ac terminari non posse. Et habet ad id confirmandum rationes, vt ipse putat, haud infirmas: sed tamen grauissimam Aristotelis, Platonisque auctoritatem infirmare non potest. Ceterum cum ipsum imitationis nomen multas, easq. dissimiles habeat notiones, videndum est, quod nam imitationis genus poëticæ tribuant sapientes: vt statuere postremò possimus, an in Elegiam conueniat imitatio.

Imitationem ergo (vt alias prætermittam hoc loco imitationis formas, quas persequitur studiosè Patritius) nihil aliud esse putarim Aristoteli, nisi expressionem, effictionem, similitudinem, atq. exemplum. Vt enim pictores cum effingunt Alexandrum insidentem Bucephalo, certam illam Alexandri habitudinem imitari dicuntur, quam ab informata prius in animo Alexandri sic insidentis Bucephalo notione simillimè describunt, ita poëtæ cum Achillem iratum, aut dimicantem faciunt, Achillis iram, ac pugnam imitantur, quarum formas habent in animo consignatas. Quapropter id, quod ab illa poëtæ descriptione in lucem existit, quoddam videtur exemplum ab exemplari ductum, expressumue, quod ab animo, atque à ratione, illa principe hominis parte, velut ab architecto compositum est. Sed tamen, quia illa, quæ animo formatur effigies, à certis expressa fuit, & hausta rebus, quas videmus oculis, ac sensu tractamus, poësis esse dici-

tur imitatio, non quidem eius simulacri,quod informamus, & consignamus animo, sed rerum ipsarum, quæ illo simulacro nostris ipsorum animis obijciuntur.

Hinc enim deceptum esse crediderim Patritium, cum pronunciauit, poësim non imitationem esse, sed exemplar, hoc est, vt suspicari licet, illam in animo impressam certarum rerum speciem, ac simulacrum. Hinc etiam hallucinatum video Iacobum Mazonium, qui in ea mentis effigie prima, atq. idea, tamquam in propria, subiectaq. materia pugnacissimè contendit poëticam versari vniuersam. Quis enim paulo sapientior dixerit, artes, quæ ideis vtuntur, ac formis, eas formas veluti materiam, quam tractent, & in qua versantur, habere propositas, ac non potius ea, quæ ad earum formarum similitudinem arte, manuque componunt? Sed quia complures artes generali quadam imitatione continentur, qualis est pingendi, fingendi, scalpendi facultas, aliæq. huiusmodi, quæ res ipsas, conformatis imaginibus, imitantur, contrahenda est poëtica imitatio, atq. aliqua differentia, notaue ab imitationibus illis, quæ non sunt poëtarum propriæ, secernenda. Quemadmodum ergo ceteræ facultates, quæ versantur in actione, distinguuntur plerumq. rebus, de quibus agunt, modo, quo agunt, & ijs potissimum, quibus propositum arti finem assequuntur, sic poëtica imitatio rebus distinguenda est, tum ijs, quas imitatur, tum quibus imitatur, ac præterea modo ipso, ac ratione, qua res easdem persequitur exprimendo. Ac primo quidem rebus expressis secerni dicitur ab alijs; quia poëtica imitatio non nisi humanas personas, ac personarum actiones effingit. Neq. enim qui rerum naturam, quod fecit Lucretius apud Latinos, apud Græcos Empedocles, neq. qui pisces, quod fecit Oppianus, neq. qui cæli cursum ac sidera, quod fecit Manilius, exprimunt imitando, verè, proprièque poëtæ Aristotelis sententia sunt; sed tantum ij, qui humanas nominatim exprimunt actiones.

Distinguitur præterea poëtica imitatio ab ijs, quæ poëticæ non sunt quibusdam quasi præsidijs, aut instrumentis, quę à poëtis ad propositam rem perficiendam adhibentur. Ea sunt ex Aristotele, verba, vel simplicia, vel metrica, saltus, rhythmus, ac sonus, eaque vel coniuncta, vel separata. Quæ res ita imitationem contrahunt, vt nullum tamen poëseos genus imitatione ita contracta non contineatur. Tres enim facit Aristoteles poëticæ formas principes, atque præcipuas, Epicam, Scenicam, Dithyrambicam; cui tamen Lyricam, siue Melicam, ac legum poësim velut appendices, atque accessiones adiungit. Epica res effingit, vel nudis, vt ille loquitur, verbis, vel metro: Scenica, quæ Tragœdiam, Comœdiam, ac veterem Satyram comprehendit, vtitur oratione, & præterea cantu, ac saltu; non tamen omnibus lo-

locis, ac ſemper, ſed tantum in Choris : Dithyrambica, eiq. ſubiunctæ formæ, verbis, cantu,ac ſaltu,plane ſimul, eodem tempore,omnibus locis,ac ſemper vtuntur .

His addit Ariſtoteles κιθαριστικὴν, αὐλητικὴν, ὀρχηστικὴν. citharisticam nominat artem pulſandæ citharæ: auleticam artem inflandarum tibiarum, orcheſticam artem ſaltandi,choriq. ducendi . Neque vero eas, vt mea fert opinio , veluti diſtinctas poëticæ ſpecies enumerat , ſed quaſi ſuperiorum formarum inſtrumenta deſcribit:vt videlicet intelligatur,non modo vnumquodque poëticæ genus res humanas imitari per ſe, verum etiam illa, quæ ad vera poëticæ genera quocumq. modo affecta ſint,in earundem rerum imitatione verſari . Nam citharisticam quidem,atq.auleticam,vniuerſèq.muſicen ipſam videmus hominum affectus ita ſenſibus audientium obijcere , vt nihil fieri poſſit ad impellendos animos accommodatius . Scitum quippè eſt quod de Alexandro illo Macedone traditur:qui Muſicorum cantu, ſonoq.permotus , è conuiuio ſe quaſi dimicaturus ſtricto mucrone proripere , mutatiſq. repentè numeris ad tranquillitatem iterum componi,atq. ad epulas animo ſoluto reuerti ſolitus erat . De ſolitaria verò ſaltatione,de qua multò dubitari par eſt magis,qua ratione imitari , atq. actiones effingere poſſit,rem longè pulcherrimam aliqui commemorant . Memoriæ namq. proditum eſt , Cynicum Demetrium , cui vilior eſſet illa ſaltandi ars,qua ceteri ſummopere delectabantur,dictitare ſolitum,hoc artificij genus tibiarum, & fiſtularum parergon eſſe quoddam, atque appendicem, neque quicquam omnino ſpectatorum animis poſſe ſignificare.Id cum audiſſet nobiliſſimus Neronis ea tempeſtate ſaltator,& quantum inde declarauit,neq. rerum ignarus,neq. imprudens:quæſo,inquit,Demetri,ne tibi graue ſit me ſaltantem tua præſentia cohoneſtare . Saltaturum enim ſe confirmabat , nullis aut hominum vocibus, aut citharis accinentibus . id niſi placeret Cynico , vbi ſpectaſſet , tum enimuero artificium ſuum ab eo ſperni facilè ſe paſſurum eſſe pollicebatur.Accipit optionem Demetrius:compromittit:adeſt hora,locoq. condicto . Tum ille qua præditus erat calliditate, ſaltare aggreditur Veneris, Martiſq. adulterium : Vulcanum à Sole commonitum,vtrique ſtruentem inſidias, & rete ferreum inijcientem ; accitos ſpectaculo Deos, ceteraq. huiuſmodi, quæ cum fabula illa inuerecunda coniuncta ſunt . Hæc omnia tam vario,tam artificioſo, atq. ad rem accommodato geſtu,tanta denique, quod difficillimum eſt,perſpicuitate ob oculos adſtantium poſuit, vt irriſor ille Cynicus exclamaret.ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς. οὐχ᾽ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν . Audio, inquit, ò mi homo quæ facis, effingiſque.neque enim ea ſolum ob oculos ponis, verum etiam manibus ipſis mihi loqui videris. Cum ergo muſicè ipſa per ſe, atque ſaltatio ſeparatim

actiones ita imitarentur, eas artes quaſi diſtinctas poëticæ formas feciſſe videtur Ariſtoteles: ſed re ipſa, verèque inſtrumenta vult eſſe, non formas. Sunt enim veræ imitationum formæ omnino tres: Epica, Scenica, Dithyrambica. quamquam Plato in Sophiſta duas tantummodo facit imitationis ſpecies. εἰκαστικὴν, καὶ φανταστικὴν; icaſticam, & phantaſticam. Icaſticam earum imitatricem rerũ eſſe ait, quæ verè, vel ita ſunt, vel certè ita fuerunt: phantaſticam illarum, quæ pro arbitratu finguntur, & componuntur: quales ſæpenumero è multis, ijſque pugnantibus conflatæ partibus à pictoribus adumbrantur. Phantaſticæ figmentum à Suida dici videtur idolum, icaſticæ ſimilitudo. Hoc enim de ijs quodam loco ſcriptum reliquit. εἴδωλα μὲν γὰρ τὰ τῶν οὐχ᾽ ὑφεστώτων μιμήματα. οἷον Τρίτωνες, καὶ σφίγγες, καὶ κένταυροι. ὁμοιώματα δὲ τὰ τῶν ὑφεστώτων εἰκάσματα. οἷον θηρίων, καὶ ἀνθρώπων. Idola ſunt rerum numquam exiſtentium effigies: quales ſunt Tritones, Sphinges, Centauri. ſimilitudines autem ſunt rerum exiſtentium ſimulacra: veluti ferarum ſpecies, hominumue. Sed hæc imitationis in icaſticam, phantaſticamq. tradita à Platone partitio ſuperiorem illam Ariſtotelis perturbare non debet. quippe quæ ſingulas illius partes ita complectitur, vt nulla in hac breuiori diuiſione deſideretur. Sũt enim qui tres illas deſignatas ab Ariſtotele formas ad duas tantummodo contrahant, diuidantque imitationem vniuerſam in Exigematicam, & Dramaticam, hoc eſt in enarrantem, & in ſcenicam, ſiue agentem. Exigematica Epicam, ac Dithyrambicam comprehendit: Dramatica, Tragœdiam, Comœdiam, Satyram antiquam, ceteraſque Scenicas, ſi quæ præterea reperiuntur. Quo fit, vt horum nos diuidendi rationem ſecuti, Ariſtoteli Platonem ita conciliare poſſimus, ſi partiamur imitationem tũ narratiuã, tũ Dramaticã in icaſticã, & phantaſticam. His enim imitandi generibus omnis poëticæ vis, ac ratio continetur: è quibus in ſumma eam expreſſit definitionem Ariſtoteles, vt diceret, poëſim nihil aliud eſſe, niſi actionum humanarum, & quidem veroſimilium, verſu, oratione, concentu, ac ſaltu expreſſam artificioſè imitationem. Siue igitur Ariſtotelis, ſiue Platonis, ſiue vtriuſque partitionem ſequaris, nullam poëſeos formam inuenias, quæ non ſit imitatio, verbis, cantu, ſaltatione ab alijs imitationibus ſeiuncta, quæ poëticæ minimè ſunt. Itaq. tria videntur eſſe, quæ in poëticæ definitione ponuntur, imitatio, materia, inſtrumenta. è quibus imitatio, vel ipſa perſonarum inductione continetur, vel effictione, aut illuſtratione illa, quæ Græcè dicitur ἐνάργεια: eſtque ex Ariſtotelis ſententia τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν: hoc eſt res ob oculos ponere.

Quibus ita poſitis, habendum pro comperto eſt, Elegiam imitationem poëticam eſſe. Principio enim ita res oculis obijcit, vt quæ fingit & canit, haud minus cerni videantur, quàm quæ deſcribuntur à

Lyrico. Deinde quamquam non ſemper inducit perſonas loquentes, id quod ne Lyrici quidem ipſi faciunt, niſi raro, ſæpiſſimè tamen inducit. Exemplum vtriuſque rei luculentiſſimum, tum effictionis, & enargiæ, tum etiam inductionis in Tibulli Elegia quarta libri tertij recognoſcamus; vbi Phœbum ſuis depingit coloribus, & loquentem, canentemq. ad citharam ita facit.

*Hic iuuenis caſta redimitus tempora lauro*
*Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.*
*Non illo quicquam formoſius vlla priorum*
*Aetas, humanum nec videt illud opus.*
*Intonſi crines longa ceruice fluebant,*
*Stillabat Tyrio myrrhea rore coma.*
*Candor erat qualem præfert Latonia Luna,*
*Et color in niueo corpore purpureus.*
*Vt iuueni primum virgo deducta marito,*
*Inficitur teneras ore rubente genas.*
*Aut cum contexunt amaranthis alba puellæ*
*Lilia, & autumno roſcida mala rubent.*
*Ima videbatur talis illudere palla;*
*Namq. hæc in nitido corpore veſtis erat:*
*Artis opus raræ: fulgens teſtudine, & auro*
*Pendebat læua garrula parte lyra.*
*Hanc primum plectro veniens modulatus eburno,*
*Felices cantus ore ſonante dedit.*
*Salue cura Deum. caſto nam ritè poëtæ*
*Phœbuſq. & Bacchus, Pierideſq. fauent.*

Quid poterat aut magis ad viuum exprimi, aut clarius ob oculos poni? quam perſonam eadem planè ratione, ac via mutatus Epicus loquentem non induxiſſet? Quando igitur Elegia verè imitatur, videndum eſt, an ea, quæ oportet, hoc eſt humanas actiones imitetur. Sed cum alia diſputatione bene longa poſitum ſit, Elegiæ proprium eſſe amantium querelas, funerum luctus exprimere, triumphos, bella, ſacrificia, ceteraque, quibus humanæ vitæ continetur actio, canere, exploratiſſimum eſſe debet, eam ab Elegia tractari materiam, quam aliæ poëſeos formæ perſequuntur, & tractant.

De inſtrumentis, deque præſidijs illis, quibus aliquæ ad humanas exprimendas actiones vtuntur, hoc eſt de cantu, ſono, ac ſaltu non ſit ita fortaſſe compertum. ſed tamen harmoniam quandam, & cantum ad Elegiæ rationem accedere oportere auſim conſtantiſſimè confirmare. Declarat id vſus ille communis, ac peruetuſtus Elegiæ in demortuorum hominum funere, vel ad amantium fores flebili cantus inflexione modulandæ. & quo minus ea de re dubitare debeamus, de-

finita est à Didymo Elegia: θρῆνος ᾀδόμενος πρὸς αὐλὸν: luctus ad tibiam decantatus. perinde quasi dicatur, eo planè modo, quo Tragœdiarum choris, ac Lyricæ adiungitur cantus, sic oportere tibiam coniungi cum Elegia.

De saltu nihil habeo tam confidenter affirmare. Scio tamen νομικὴν, legum illam poësim, quæ versibus Elegiacis vtebatur, ad hominum imitandos, & exprimendos mores, adhibuisse, quemadmodum Aristoteles ipse testatur, orationem, rhythmum, & harmoniam, Quo loco rhythmus fortasse significet ordinem longi, tardiq. motus, non quidem in oratione, sed in saltu; quod sibi vult sæpè apud Aristotelem rhythmus, vt eam vocem Petrus Victorius interpretatur. Promouent coniecturam meam quidam apud Heliodorum pentametri perpetua dispositi serie, nullo prorsus hexametro antecedente. Fuit enim poëma ex solis conflatum pentametris, vt ex antiquorum monumentis docet in poëtica Patritius, ostenditq. fortasse illa quæ Virgilij nomine circumfertur vulgata conquestio.

*Sic vos non vobis vellera fertis oues.*
*Sic vos non vobis nidificatis aues.*
*Sic vos non vobis mellificatis apes, &c.*

Sed quod ego contendebam, multo, vt dixi, declarat planius Heliodorus initio libri tertij, facitque, vt omnino putem, hoc poëmatis exigui genus solis compositum pentametris non sine choro, ac saltu cantatum fuisse. Sic enim ille sacrificium, pompamque describit. Armenta, ductoresque boum Thessalicæ virgines excipiebant, discinctis pulcrè vestibus, & capillis solutis. Distinguebantur autem in duos choros. quæ in primo choro erant, ferebant quasillos, floribus refertos, ac pomis: in altero autem bellaria, & aromata calathis ferentes, locum odore replebant. Neq. verò manuum ministerio in hisce ludis vtebantur: sed capite quasillos impositos, calathosq. gestantes, ad choream iusto ordine, ac per obliquum ducendam se se mutuo sic tenebant, vt incedere simul, & choreas ducere facile possent. Cantilenæ autem rationem, ac modum alter illis chorus præscribebat, huic enim vt totum hymnum caneret, fuerat negotium demandatum. Hymnus verò erat, in quo Thetis primum laudabatur, & Peleus; deinde illorum filius Achilles, tum nepos ad extremum Neoptolemus. erat adeo talis cantilena.

*Canto Thetim, nitidis ò Theti pulcra comis.*
*Immortale genus Nereos æquorei:*
*Quæ nupsit Peleo virgo iubente Ioue.*
*O Venerem nostram, lumen & æquoreum,*
*Quæ belli Martem magnanimum peperit:*
*Deq. furente hasta mater Achille fuit,*

*Ful-*

*Fulmine Græcorum: laus adit vnde Deos.*
*Cui peperit puerum Pyrrha Neoptolemum,*
*Excidium Troum, præsidium Danaum.*
*Tu facilis nobis esto Neoptoleme;*
*Felix quem tumulo Pythia terra tegit.*
*Accipe nunc hymnos, munera sacra, pios.*
*Pelle omnem nostra promptus ab vrbe metum.*
*Canto Thetim nitidis ò Theti pulcra comis.*

Hymnus igitur hac ratione compositus concinnatis ad numerum choreis vsurpabatur, saltationis strepitu ita ad cantum quadrante, vt oculi in contemptum eorum, quæ cernebantur, ab auditu ipso adducerentur. Hæc eo loco Heliodorus ita commemorat: quæ me suspicari propemodum cogunt, Elegiam certam habuisse saltandi rationem, carminis numero respondentem. Cum enim hymnus ille è pentametris factus, non nisi ad certam chori saltationem caneretur, videtur haud dubiè significare, eundem illum saltandi modum fuisse proprium Elegiæ, quæ ita pentametro constat, vt hoc dempto, non sit amplius Elegia.

## *Ad quam poëseos formam reuocetur Elegia. Caput V.*

NAscitur hoc loco quæstio difficilior. Nam quia Elegia poësis est, hoc est imitatio, nullamq. desiderat veræ poëseos partem, videndum est, qualis tandem imitatio, & cui poëseos formæ subiungenda sit. Neq. enim in triplici illa poëticæ partitione ab Aristotele tradita disertè quicquam, aut explicatè dicitur de Elegia. Quæramus igitur initio necesse est, quid sit id, quo alia poëticæ forma seiungitur ab alijs; vt statuere possimus, illi subiunctam Elegiam esse, cum qua communicat ea, quibus ab alijs singulæ separantur. Aristoteles igitur initio poëtices ita de hac formarum partitione loquitur. Discrepant inter se poëticæ species tribus omnino nominibus. aut enim rebus genere diuersis imitantur, aut res diuersas, aut aliter, & non eodem modo. Cum ait inter se distingui poëticæ formas, quia res genere diuersas imitantur, distinctionem petit à materia, quam tractant. Nam, vt singulæ species poëticæ humanas actiones imitari debeant, non tamen omnes easdem actionum species imitantur. Tria quippè sunt, quod ipse subiungit, humanarum actionum genera, quæ sub imitationem poëticam cadunt. quos enim imitatur poëta, ij, si nobiscum comparentur, vel meliores sunt, vel deteriores, vel similes. idque à pictura petita similitudine sic declarauit. Polygnotus melio-

res, inquit, Pauson deteriores, Dionysius verò similes effingebat. Quo ex loco intelligere fas est, poëtas esse tripartitos: Epicos, ac Tragicos, qui meliores inducunt; quales sunt Heroës, & Reges: Comicos, ac Satyricos; qui partim mediocres, hoc est gregarios ciues, partim plebeios, & his inferiores, hoc est parasitos, ganeones, Satyros, Cyclopas, ac Silenos, eosque vniuersè qui risum excitare possint, expingunt: Lyricos deniq. qui singulos horum ordines exprimunt imitando. Quamuis enim Lyricorum sit, Deos, Heroas, ac primarios viros carminibus celebrare, quia tamen nulla poëseos species est, neq. Epica, neq. Scenica, sed sola Lyrica, quæ simul omnes propè actiones imitetur, Lyricæ distinctio non ab vno tantum genere personarum, sed ab omnibus petenda videtur. Horatius in hanc me sententiam ducit, qui non Deos modò, & victorias, quæ res magnæ sunt, sed ebrietatem, & libera vina, quæ sunt infimæ, Lyricæ materiam facit in Arte poët.

*Musa dedit fidibus Diuos, puerosq. Deorum,*
*Et pugilem victorem; & equum certamine primum,*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre.*

Operæ pretiũ verò est de Lyrica explicatius dicere; quia ei subiũctam esse putamus Elegiam, vt infra dicetur in loco. Lyrica igitur, vt in summa dicam, ortum ducit à Dithyrambica. Dithyrambica verò ipsa præstantiores tantum imitabatur, hoc est Bacchum; qui dictus Dithyrambus est quasi bis natus, aut è duabus egressus in lucem ianuis. ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν. Scitum enim est, quod dicitur in fabulis, Bacchum semel ex vtero Semeles natum esse, iterum ex femore Iouis: quo factum est, vt certa quædam poëseos forma in eius laudem inuenta, Dithyrambica diceretur. Hæc initio quidem canebatur ad tibiam, sine saltu. sed postea paulatim Strophen, Antistrophen, ac Epodum adiunxit. Strophe motus est vel à dextra in sinistram, vt Didymus, ac Victorinus putant, vel à sinistra in dextram, vt contendunt Pindari Scholiastes, & interpres Sophoclis in Electra. Antistrophe conuersio est, vel à sinistra dexteram versus, vel à dextera versus sinistram. Epodus est Chori status, in quo carmina sine vllo motu, ac sine vlla conuersione canebantur. Harum conuersionum, certorumq. motuum originem referunt nonnulli ad Theseum: qui à Labyrintho egressus incolumis, vbi reuenit Athenas, dicitur huiusmodi conuersiones reciprocas, ac status certis saltandi legibus expressisse, vt Labyrinthi errores inexplicabiles ob oculos ciuium poneret. Alij referunt hæc in varios orbium cœlestium motus: quos imitari varia illa corporis conuersione antiqui contenderent. Homerus enim orientem solem dexteram mundi partem appellauit, occidentem verò sinistram. Cum ergo primus ille cælestium orbium globus ab oriente feratur in occidentem, eo motu exprimi videbatur, qui à dextera

tenderet in ſiniſtram. Quia verò errantia ſidera ab occidente feruntur in orientem, motus hic ſuperiori contrarius aduerſa conuerſione, quæ dicitur Antiſtrophe, ſignificabatur. Aliquando igitur hiſce conuerſionibus vſa eſt ſola Dithyrambica: ſed ab ea tandem aliquando tranſierunt ad Lyricam; ac tres velut in partes diſtractæ ſunt, quibus variè Lyrici vtebantur. Nam, vt Ariſtophanis interpres in Veſpis declarauit, motus ille Dithyrambicus in Lyricam tranſcriptus, diuiſus eſt in Epodicum, Meſodicum, Prodicum. Epodicus fuit, in quo principio quidem Strophe poſita eſt, deinde Antiſtrophe, tertio loco Epodus. Meſodicus verò fuit, qui ſtatim poſt Strophen adiunxit Epodum. Denique Prodicus initio collocauit Epodum, ſecundo loco Strophen, tertio Antiſtrophen.

Ex his intelligi poteſt, à Dithyrambica proſeminatam fuiſſe Lyricam; quæ mutuatis ab illa mouendi corporis inter canendum legibus, non Bacchum tantum, non certas aliquas perſonas, ſed omnes imitatione complexa eſt; præſtantiores, infimas, mediocres: vt canit Horatius ijs verſibus quos ante laudaui.

*Muſa dedit fidibus Diuos, pueroſq. Deorum,*
*Et pugilem victorem; & equum certamine primum,*
*Et iuuenum curas, & libera vina referre.*

Hæc cum eo, quo diximus modo ſe habeant, ſtatuendum eſt primò, diſtinctionem harum formarum ducendam eſſe à perſonis imitationi ſubiectis: non quòd à vario perſonarum genere ſingulæ prorſus à ſingulis ſecernantur, ſed quia poëticæ pars aliqua ſit, quæ diſtinguatur ab alijs eo nomine, quòd certum quoddam perſonarum genus tantum imitetur. Nam Lyrica quidem, quia æquè omnia perſonarum complectitur genera, non omnino, perfectèq. diſtinguitur ex eo, quòd diſtinctas ab alijs omnino perſonas imitetur, ſed quòd inſtrumentis, modoque vtatur ab alijs diſcrepantibus. Ipſa etiam Epopœia Reges, ac viros principes, quos imitatur, habet communes cum Tragœdia, ſed tamen ab ea ſecernitur ex imitandi modo, quem obtinet varium, & differentem. Eam igitur verbis Ariſtotelis ſententiam ſubeſſe dicendum eſt; vt velit ijs tribus, non omnino, ac planè, ſed ſeparatim, atq. vt dicunt, diſiunctiuè diſtingui poëticæ formas: vel perſonis nimirum, quas imitantur; vel ſi minus perſonis differant, ſeparari inſtrumentis, quorum acceſſione res imitantur: quod ſi etiam in eo genere conſentiant, aliam diſcrepare ab alia modo ipſo, ac ratione varia imitandi. De perſonis ita diximus.

Sequitur, vt ea dicantur, quorum præſidio poëta perſonarum variarum actiones imitatur. Hæc Ariſtoteles ait eſſe verba, vel ſimplicia, & nuda, vel numeris & metro compoſita, rhythmum, harmoniam, ac ſaltum. Ac verba quidem, vt ab ijs initium faciamus, adhibent

om-

omnes; sed sola verba sine cantu, ac saltu, vna tantum vsurpat Epopœia. Quamquam enim interdum cum aliquo cantu à Rhapsodo recitata olim est Epopœia, ille tamen cantus aduentitius erat, & accersitus; ac propterea illo etiam subducto, fuisset nihilominus Epica imitatio. Rhythmus verò duplex est: alter in cantu aliquo,& saltu positus, alter in verbis ipsis, quæ longius, aut breuius postulant in pronunciatione temporis spatium: qualis est numerus carminum, qui ex varia pedum, siue metrorum dispositione, quasi modulatio quædam existit. Hic ergo numerus carminum, qui dicitur etiam rhythmus, sine cantu, ac saltu solitarius, vni concedi debet Epopœiæ. Tragœdia enim, & Comœdia vetus tribus vtuntur rebus ad imitandum; numerosa oratione, concentu, ac rhythmico saltu. id quod etiam fecit antiqua Satyra, quæ Scenicæ poëseos species fuit; facitq. Dithyrambica, & Lyrica, quæ, vt supra diximus, tribus illis ijsdem præsidijs imitationem perficiunt suam.

Cum ergo, neq. à personis omnes poëticæ formæ omnino, atq. absolutè distingui possint, neq. ab ijs rebus, quarum beneficio eas imitantur personas, vna excepta Epopœia, quæ concentum, ac saltum non requirit, consequens esse videtur, ceterarum distinctionem, ac differentiam ab imitandi modo petendam esse. modus autem hic varius spectari potest tum in personis, tum in verbis, tum in concentu, ac saltu: quæ præsidia poëticæ imitationis sunt. Nam Tragœdia, atq. Epopœia tametsi præstantes, excellentesq. personas imitantur, altera tamen ab altera differt, quòd Tragœdia ita eas imitatur, vt humilem, aut mediocrem nullam admittat. quamquam enim seruos interserit aliquando, interserit tamen honorarios, honestos, planè Regios. Contra vero Epopœia imitatur etiam humillimos, atq. turpissimos. qualis est ille Thersites apud Homerum.

*Quo non ad Troiam venit vir turpior alter.*
*Lumina distortus, claudus pede, gibbus, vtroque*
*Deformatum humero, coniunctum pectus habebat.*
*Oblongi capitis vertex surgebat acutus.*
*Exigua rari suberant in fronte capilli.*

Tales caprarij sunt, ac subulci, tales ancillæ mœchæ, talis Irus pauperrimus in Odyssea: quorum infimæ, plebeiæq. actiones non diligenter modò, sed etiam verbosissimè describuntur. Ceterum, quemadmodum hoc nomine discrepat à Tragœdia Epopœia, ita cum Comœdia consentit in speciem; sed distinguitur eo nomine tamen, quod Comœdia tota est in humilibus huiusmodi actionibus imitandis, easque persequitur quasi proprias, ac sibi propositas ad imitandum: Epopœia verò humiles hasce personas quasi aliud agens sequitur, atque obliquè: sic, inquam, vt à præstantibus, Heroicisque personis, ad quas

rectà

rectà contendit, Heroica sit appellata. Quamquam, si poëtarum quispiam actiones illas solum humiles, atque ridiculas infimorum hominum heroico sic scriberet carmine, vt nihil præterea caneret, scriberet ille quidem Epopœiam, sed minus propriam, & eam, quæ ab Aristotele peiorum imitatio dicitur. Triplicem enim ille facit Epopœiam non longè à principio poëticæ: præstantiorum vnam, mediocrium, aut similium alteram, tertiam infimorum. quam partitionem intuitus Casteluitrus, confirmare non dubitauit, Homeri Margitem Epicum fuisse poëma, etiam si compertissimum sit, eum hominem, quem tamquam Heroëm aliquẽ per iocum imitabatur, ita fuisse ridiculum, vt non modò Comœdiæ, verum etiam Atellanis, Phallicis, atq. Ithyphallicis posset argumentum suppeditare. De hominis enim huius ineptijs, vt impura taceam, hæc scripta reliquit Suidas. Margites vir fuit ineptijs irridendus; quem dicunt, numquam didicisse numerare, nisi vsque ad numerum quintum: cumq. vxorem aliquando duxisset, eam contingere non est ausus, quòd pertimesceret, ne hoc illa deferret ad matrem. denique iam grandior, & ætate prouectus dubitabat, vtrum ex ventre patris, an ex vtero matris suæ in lucem ipse fuisset editus. Itaq. matrem interrogauit, ipsa ne, an pater se peperisset. Hæc igitur Epopœia, vt reuertar ad institutum, Comœdiæ simillima, minus propriè, ac per abusionem quandam est Epopœia. Nam quia propriè illa tantum est Epopœia, quæ summas imitatur personas, ab his tamquam à principe sui parte Heroici poëmatis nomen accepit.

Pergo nunc de multiplici, varioq. imitandi modo copiosius explicare. Duplex est etiam in poëtarum oratione varietas; vna quidem in metrorum, ac versuum genere, altera in incessu quodam sermonis, atque in ipsa narratione. Nascitur ex metro varietas: quia Epopœia vno carminum genere contenta est. quamquam enim Aristoteles varijs permistum metris carmen concedere videtur Epopœiæ, non tamen omnino concedit: quia dicta postmodum mutat, atq. id addit, ad eam vsque diem Epopœiam, simplici, vnicoque versuum genere vsam fuisse, non misto. Scenicæ autem omnes versus variè miscent, ac temperant; quod videre licet in choris. nullum quippè carminum genus est, quod certa lege non persequantur. Quid Dithyrambica? Ipsa quidem per se, vno, ac simplici fortasse vsa est versu, licenti, ac libero: cuius similem suspicor esse in Catulli Galliambo: sed Lyrica, quæ Dithyrambicæ subiuncta est, omne carminum genus admirabili varietate permiscuit; longè tamen aliter, quàm Scenicæ facere solitæ sint. Lyrica enim ita permiscet versus, vt mistis vtatur perpetuò: Scenicæ verò tantummodò varietatem habent in Choris. Ita igitur singulæ poëticæ partes ipsa metrorum varia dispositione distinguuntur.

Sed multo distinguuntur, ac differunt magis ab expositione variæ rei, quam versibus tractant. Sunt enim poëtæ, qui sic personas inducunt loquentes, vt ipsius poëtæ persona nusquam appareat; nusquam audiatur oratio. Ex quo genere Dramatici sunt, & omnes, qui versantur in scena. Alij personas inducunt quidem, sed eas ita loquentes faciunt, vt etiam ipsi sæpe, plurimumq. loquantur: quales Heroici sunt, & qui scribunt Epopœiam. Alij denique neminem inducunt, sed semper ipsi loquuntur. quod Dithyrambici faciunt, ac Lyrici; qui simplici sunt rerum expositione contenti. Scio, Lyricum interdum Deos, hominesue loquentes inducere: sed scio præterea, non id eum agere, quia debet, sed quia potest, ac vult. Neq. enim magis poëta sit Horatius, cum Iunonem loquentem facit in Ode tertia libri tertij, quàm cum Pindarum, nemine prorsus inducto, perpetua laudat expositione in Ode secunda libri quarti. Totum enim hoc imitationis genus, quantum attinet ad sermonem, continetur expressione, ac rerum effictione ita spiranti, ac viua, vt res non quidem enarrari, sed pene subijci oculis videatur: id quod etiam facit Epopœia, cum nullum inducit. in quo quia videbatur Homerus excellere, meritò dictus est à Longino εἰκονογραφῶν, hoc est pictor imaginum. Quare Lucianus in quodam dialogo, Panthæ pulcritudinem poëticè descripturus, Imagines ipsi dialogo nomen fecit, confirmauitq. disertè, rem eo modo describere, non esse, nisi pictorum, sculptorum, ac poëtarum. Addidit postremo, imagines illas oratione poëtarum expressas longè anteferendas esse imaginibus Apellis, Parrhasij, ac Polygnoti. Erit hæc imago, inquit, multo stabilior, multoq. plus tempore superstes, quàm vlla vel Apellis, vel Parrhasij, vel Polygnoti. Hæc enim multò excellentiorem ostendit intuentibus speciem; cum neq. ligno, neq. cera, neq. coloribus, sed Musarum ad hoc vnum aduocatarum industria sit expressa. Hæc, inquam, imago haud dubiè omnium perfectissima erit; cum eodem planè tempore, non corporis solum, sed etiam animi pulcritudinem sit oculis intuentium demonstratura. Sic ibi disputat Lucianus. Loquitur eadem Pindarus in quinto Nemeorum carmine: vbi ait, se non esse statuarum artificem, neq. ea signa cælare, quæ motu careant, ac vita, quæq. sua semper in basi consistant: sed carmina condere statuis meliora, quæ terras, ac maria peruagentur, quæ victorum in Olympicis laudes, ac coronas toto terrarum orbe denuncient, atq. circumferant. Rectè itaq. Philostratus, ac verè in primo Imaginum scripsit, picturæ omnino similem esse poësim: rectè Plutarchus in libro de audiendis poëtis, poësim, non modò picturæ similem fecit, sed planissimè dixit, esse picturam loquentem. Copiosius hæc Cicero docuit in quinta Tusculana. vbi de Homero sic loquitur. Traditum est, cæcum fuisse. at eius picturam, non poësim videmus. Quæ

re-

regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ species formæ? quæ pugna? quæ acies? quod remigium? qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, vt quæ ipse non viderit, nos vt videremus effecerit? Probat hanc picturæ similitudinem Horatius in Poëtica.

*Vt pictura poësis erit: quæ si propius stes,*
*Te capiet magis, & quædam si longius obstes.*
*Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,*
*Iudicis argutum quæ non formidat acumen:*
*Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.*

Neq. verò est, quod aliquis dicat, huiusmodi picturam, atq. effictionem poëtæ esse cum historico, & cum oratore communem. His enim aduentitium est exprimere, ac oratione res, quasi coloribus depingere, poëtæ proprium, & quodammodo ipsa natura insitum. Præterea etiam in illa ipsa effictione plurimum à poëta differunt historici, atq. oratores, vt docet Plinius Iunior in epistola secunda libri sexti ad Lupercum. Descriptiones, inquit, locorum, quæ in hoc libro frequentes erunt, non historicè tantum, sed prope poëticè persequi fas est. Ita eo loco Plinius differentiam indicat esse non leuem inter expressionem historicam, ac poëticam. Vult enim à nobis intelligi, aliquid in eo genere poëtæ licere, quod historico, ac oratori concessum non sit. Tradit hæc Demetrius Phalereus multo planius, cum ait, animaduertendum esse, ne comparationes, quæ parcè ab oratore sunt adhibendæ, proximè ad poëticas accedant: quo de genere multas apud Xenophontem esse confirmat. Quis enim aut historicus, aut orator res eo modo, ac ratione describat, qua nentes vitam Achillis Parcæ fuerunt à Catullo depictæ?

*Læua colum molli lana retinebat amictam,*
*Dextera tum leuiter diducens fila, supinis*
*Formabat digitis: tum prono in pollice torquens*
*Libratum tereti versabat turbine fusum:*
*Atq. ita decerpens æquabat semper opus dens*
*Quæ prius in læui fuerant extantia filo.*
*Ante pedes autem candentis mollia lanæ*
*Vellera virgati custodibant calathisci.*

Quis eo modo, quo textrices expinguntur ab Ouid. in Meta. lib. sexto?

*Et gracili geminas distendunt pectine telas.*
*Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo,*
*Inseritur medium radijs subtegmen acutis,*
*Quod digiti expediunt, atq. inter stamina ductum*
*Percussi feriunt insecti pectine dentes.*

Quis eo, quo Lupam Romuli, Remique altricem Virgilius est imitatus? vbi canit,

*viridi*

*---------- viridi fœtam Mauortis in antro*
*Procubuisse lupam, geminosq. huic vbera circum*
*Ludere pendentes pueros, & lambere matrem*
*Impauidos: illam tereti ceruice reflexam*
*Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.*

Hac descriptione tam expressa, quæ poëtarum pictura dicitur, vtitur quidem Epopœia; sed quia ea minimè contenta, etiam personas inducit, non hæc illi tantum imitatio, effictioq. tribuitur, sed quædam mista, ac ex vtraq. conflata. Nisi enim personas induceret, iudicio Platonis Epica non esset; quantumuis res ad viuum exprimeret, & pictura quadam orationis imitaretur. Contra verò hæc sermonis pictura Lyricæ propria dicitur, quia tametsi neminem inducit, modò depingat, & describat res, vt dictum est, eumq. habeat orationis incessum, qui neq. in historicum, neque in oratorem conueniat, Lyrica tamen est cunctis omnino partibus absoluta.

Restaret modus, quem varium esse diximus in ceteris quoq. præsidijs, quibus res poëticæ subiectas imitamur. Sed ex ijs, quæ dicta sunt, facilius id intelligitur, quàm vt hoc loco debeat pluribus explicari. Epica enim verbis tantummodo ad imitandum vtitur, sine concentu, ac saltu: ceteræ formæ sonum omnes, harmoniam, ac saltum postulant, sed vario modo. Nam Scenicæ quidem non in tota poësi ea permiscent, sed tantum in Choro: Lyrica vbiq. tribus illis, harmonia verbis, ac saltu, eodem planè tempore, ac perpetuò vti debet. Atque hinc factum est, vt Horatius in ijs Odis, quæ numquam fortassis ad lyram erant canendæ, quia ijs tamen compositæ fuerant legibus, quas cithara, certusque postulabat saltus, vel de lyra loquatur, vel ad lyram sic orationem conuertat, quasi eo tempore, quo scribit, ad citharam, lyramue canat, ac saltet. Vt in ode. j. lib. j.

*Me doctarum hederæ præmia frontium*
*Dijs miscent superis, me gelidum nemus,*
*Nympharumq. leues cum Satyris chori*
*Secernunt populo: si neq. tibias*
*Euterpe cohibet, nec Polyhymnia*
*Lesboum refugit tendere barbiton.*

Et in libro item primo, ode sexta.

*Nec sæuam Pelopis domum*
*Conamur tenues grandia, dum pudor,*
*Imbellisq. lyræ Musa potens vetat.*

In ode quoq. duodecima ad Augustum.

*Quem virum, aut Heroa lyra, vel acri*
*Tibia sumes celebrare Clio?*

Nihil enim de tricesima secunda dicendum videtur, quæ initio, testudinis,

dinis, ac barbiti laudationem aggressa, in eodem argumento deinde tota consumitur.

*Poscimus, siquid vacui sub vmbra*
*Lusimus tecum, quod & hunc in annum*
*Viuat, & plures, age dic latinum*
*Barbite carmen.*

Quibus ita constitutis, non erit ita difficilè certam Elegiæ sedem inter Poëticæ formas assignare. Siue enim varia personarum genera spectemus, quæ sibi proponit ad imitandum, siue instrumenta, & præsidia, quibus imitatur, siue modum ipsum imitandi, non ad aliam potius poëticæ partem, quàm ad Lyricam pertinere cōperiemus. Quod enim attinet ad materiam, nullum est actionum humanarum genus, siue præstantium, siue mediorum, infimorumue hominum, quod prætermittat, modò in eos, aut laus, aut vituperatio cadat. De instrumentis nihil est necesse repetere, quæ in proximè superiori disputatione posita sunt; cum multis docuimus, ad imitandum adhibuisse orationem, saltum, & harmoniam. Ostendunt enim id, vel ipsa Elegiæ incunabula, cum à funere nata sit, in quo lugubri modulo, atque accentu canebatur à feminis, quæ Præficæ dicebantur: ostendit ille, quem habuit paulatim processus; cum ad amicarum fores cantari cœpta est: ostendit planissimè Didymus, qui cum tibia sic coniunxit Elegiam, vt eam definierit, luctum ad tibiam decantatum. ostendit deniq. Heliodorus, etiam certam saltandi legem additam esse concentui: vt nihil quod esset in Lyrica, desideraret Elegia. Sed præter ea, quæ produxi testimonia, habeo cur id multo confidentius affirmem ex eo, quòd ab antiquis scriptoribus traditum sciam, inter modos, legesq. tibicinum eam fuisse non postremam, quam Elegon appellabant. Ad hæc. ipsamet imitatio, quam oratione conficit Elegia, planè demonstrat, non posse nisi ad Lyricam reuocari. Neq. enim eius imitatio eam postulat personarum inductionem, in qua poëta nusquam apparet, semper inductæ personæ colloquuntur: neq. illam, in qua partim poëta sermonem habet, partim inductæ personæ loquuntur, sed ea contenta est expressione simplici, atq. effictione rerum spirante, picturæq. persimili, quæ Lyricæ propria est, & dicitur euidentia. Quod si addatur interdum illa personarum inductio, quæ solet etiam à Lyricis, vt diximus, aliquando adhiberi, imitatio quidem videbitur aliquanto perfectior; sed minimè tamen requiritur: ac si prætermittatur, erit nihilominus vera in suo genere imitatio. Si enim imitatio cum tribus poëticæ formis conferatur, ea videbitur genus, quod à Dialecticis dicitur analogum mistum. perfectissima enim omnium imitatio est scenica, quæ personas facit perpetuo sermone colloquentes: quare ceteræ eo perfectiores sunt, quo magis ad eam imitationem accedunt.

His adde, quòd Elegia eandem planè orationis formam, atq. incessum habet, quem sequitur Lyrica. Tarpeia enim non eo lamentatur modo vulnus suum apud Propertium, quo Dido queritur apud Virgilium suum, sed eo, quo apud Horatium Hypermnestra. Adde quòd, quemadmodum Lyricus induit sæpe canentis personam, aut precantis, aut accumbentis, sic Elegiacus lamentatur, exponit intimum animi sensum, dolorem, lætitiam quasi suam: cum tamen alienos affectus imitetur, non exprimat suos. Cum ergo tam similis sit Elegia Lyricæ poësi, vt materiam, instrumenta, modum ipsum imitationis, orationis incessum, aliaq. huiusmodi habeat cum ea communia, non ad aliam poëticæ formam debet, quàm ad Lyricam reuocari.

Quare hinc intelligi potest, errasse nonnullos, qui Elegiacis versibus Epicam à grauissimis, antiquissimisq. poëtis propterea scriptam fuisse putant, quod res bellicas illo versu sint persequuti. Res enim bellicæ non Epicæ tantum argumenta sunt, sed etiam Lyricæ poëseos, ac Elegiæ. quare, nisi eum habeat incessum oratio, eamque imitationem, quæ propria Epicorum est, etiamsi Epicorum amplectatur argumentum, Epica non est: sed si Elegiæ vtatur, & versibus, & incessu, est Elegia. Atq. hoc profectò genere orationis, imitationisq. crediderim compositas Mimnermi, Ceiq. Simonidis Elegias, quibus, vt aliàs memini me dicere, pugnas, & prælia cecinerunt. Neq. enim Patritij iudicium reformido: qui eos Epicam Elegiaco versu scripsisse confirmat. Habeo quippè patronum Aristotelem; qui Epopœiam dixit imitari solitam esse affectiones humanas vno tantum genere versuum, hoc est heroico; quemadmodum vsque ad ipsius ætatem ab Epicis factum erat. Sic enim loquitur in capite primo poëticæ. Epopœia verò tantummodo sermonibus vtitur nudis, vel metris; atque his quidem, vel mistis inter se, vel vno quodam genere, quemadmodum vsque ad hanc diem fecit. Ita vertit eum locum latinè Victorius. Sed Mimnermus, vt tradit Gyraldus in vita, vixit Olympiade circiter trigesima octaua, Simonides quinquagesima sexta, vel sexagesima secunda: Aristoteles centesima tertia, vt rationem subducit Laërtius. Ergo multo ante memoriam Aristotelis Simonides, ac Mimnermus Elegiaco versu victorias, & bella scripserunt. At negat Aristoteles ante sua ipsius tempora Epicam fuisse scriptam numeris mistis, ac propterea etiam Elegiacis. negat igitur Epica fuisse poëmata Simonidis illas, ac Mimnermi Elegias, qui eius ætatem longè antecesserant.

Quid verò de ijs censendum est, qui præcepta ciuilia versibus Elegiacis ediderunt? Illos dicet aliquis non Elegiacos tantum malos, sed malos præterea, minimeq. poëtas. Nam disertè traditum est ab Aristotele, artium disciplinarumque præceptiones in poëticæ materiam cadere non posse, ac propterea deceptos fuisse antiquos, qui omnem poë-

poëticæ distinctionem in vario versuum genere sitam esse credidissent. sic, inquam, vt qui Elegiacum, aut Epicum fecisset versum, eo solum nomine ijs, vel Elegiacus, vel Epicus esset poëta, tametsi musicæ, aut medicinæ præceptiones illo carminum genere comprehendisset. Et quo minus de illius sententia dubitandum esset, ea, quæ dixit, exemplis illustrauit in hunc modum. οὐδὲν γὰρ κοινόν ἐστι ὁμήρῳ, καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον. διὸ τὸν μὲν, ποιητὴν δίκαιον καλεῖν: τὸν δὲ, φυσιόλογον μᾶλλον, ἢ ποιητήν. hoc est. Nihil profectò habet Homerus cum Empedocle commune, nisi versum. ac propterea illum dicere, ac nominare poëtam par est; hunc autem Physicum, & naturæ contemplatorem potius, quàm poëtam. Dicit hæc sanè illo loco Aristoteles distinctè, ac disertè. non tamen inde consequens est, rerum naturam, ac morum doctrinam vniuerseq. Philosophorum materiam tractari nullo modo à Lyrica posse. Neq. enim idcirco reprehenditur Empedocles, quod philosophorum aggressus sit argumentum; sed quòd eam materiam eo planè modo tractarit, quo tractari à philosopho solet. Simplici enim Physicorum doctrinæ nihil adiunxerat, nisi versum; nullum imitationis genus erat secutus, neq. personis inducendis, neq. pingendis rebus illius enargiæ, atq. euidentiæ beneficio, quam postulat poëticæ vis, & natura. Quod si ciuiles præceptiones, aliaq. id genus philosophorum argumenta orationis incessu planè poëtico tractentur, exprimanturque coloribus illis, quibus res exprimuntur à Lyricis, à poëtica profectò non abhorrent.

Itaque vitæ præcepta Elegiacis exposita versibus nego depellenda esse à finibus Elegiæ, modò poëticis ornamentis Elegiarum proprijs expressa sint: cum præsertim videam νομικὴν, hoc est legum ciuilium illam modulationem, veram poësim ab Aristotele dici; quæ tamen Elegiacis scripta numeris erat, addebatq. harmoniam, proprium illud Lyricorum instrumentum. Dicet ad extremum alius, imitationem huiusmodi, quæ leges, & præceptiones exprimit, non esse personarum imitationem, in qua vis, & natura poëticæ sita est. Cui responsum volo, multas etiam esse Horatij odas, in quibus nullam imitatur ipse personam, nullius depingit actiones, sed præcepta vitæ salutaria commemorat. qualis est in libro tertio illa vigesima quarta.

*Intactis opulentior*
*Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ*
*Cæmentis licet occupes*
*Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum,*
*Si figit adamantinos*
*Summis verticibus dira necessitas*
*Clauos: non animum metu,*
*Non mortis laqueis expedies caput.*

Sed quemadmodum huiusmodi Odæ poëticæ sunt imitationes, quia virtutem, vitiumq. describunt, quæ humanis actionibus continentur, sic à poëtica depellendæ non sunt morales Elegiæ, quarum summa, vel vitiorum vituperatio, vel virtutis laudatio est.

Vnum est, quod facere possit, vt Elegia Heroico carmini, & Epopœiæ, quàm Lyricæ videatur esse similior. hoc autem in ipsa partium dispositione positum est. Nam si diuidere velis in partes Elegiam, non in alias diuides, nisi in eas, quæ tribuuntur Epopœiæ. sed nihil prorsus hac ratione vincitur. Quia quemadmodum partes Epopœiæ intelligimus, & distinguimus ex ijs, quas assignauit Aristoteles Tragœdiæ, nec tamen Epopœiam dicimus esse Tragœdiam, sic Elegiæ attribuimus easdem propè partes, quas videmus fuisse tributas Epopœiæ, cum tamen ab Epopœia Elegiam discrepare videamus. Quin si velimus Odarum partes perquirere, non alias profectò inueniemus, quàm eas, quæ designantur in Epopœia. sed quia non eadem ratione tractantur illæ partes, qua tractantur in Epopœia, dicimus esse Lyricæ, non Epopœiæ. Quæ item causa est, cur Elegia ijsdem pene distincta partibus, quibus distinguitur Epopœia, non Epopœiæ subiungatur, sed Lyricæ; quia partes suas Lyricorum more tractat, non Epicorum. quæ nam autem hæ partes sint ex proximè consecuturis disputationibus intelligetur.

## *De Elegiæ partibus vniuersè.*
## *Caput VI.*

DE partibus agendum est Elegiæ: quia vnumquodq. siue magnum, siue breue poëma quoddam quasi corpus est, suis partibus, membrisque compositum. Partium autem ipsarum duo sanè genera fecit Aristoteles in poëticis: quantitatis vnum, alterum qualitatis. Qualitatis partes dixit esse omnino sex, Fabulam, Mores, Dictionem, Sententiam, Apparatum, Harmoniam. Quantitatis autem constituit quatuor; Prologum, Exodum, Choricos, Commos. Has quantitatis partes Tragœdiæ tantum adscribit, non Epopœiæ: qualitatis, si minus omnes, certè aliquas cum vtraque voluit esse communes. Sed quemadmodum ex ea diuisione Tragœdiæ in quantitatis partes certas, Prologum, Exodum, ceteras, intelligimus, etiam Epopœiam oportere suas habere partes, quarum causa distingui possit in ea principium, medium, finis, sic etiam in Elegia faciendum existimo, vt aliquæ designentur, ac distinguantur partes, tum quantitatis, tum qualitatis, ijs, quæ magnis poëmatis adscribuntur, aliqua ratione respondentes.

## De Partibus Quantitatis. Caput VII.

ATque, vt primo loco de partibus quantitatis agamus, eas constituendas esse dixerim similes partibus Epopœiæ, quæ poësis est expositiua. Sed Epopœiæ quantitatis partes variè varios fecisse video. Sunt enim qui has esse dicant, Propositionem, quæ Tragœdiæ Prologo respondet, Perturbationem, Conuersionem, ac Finem. Sunt, qui contendant constitui non posse plures, quàm duas, hoc est Connexionem, & Solutionem. Sed hi de re subtiliter, & exiguè disputant. nos qui de his incuriosius explicamus, nonnullos sequemur Grammaticos, qui has in Epopœia vident, agnoscuntq. partes quantitatis: Propositionem, Inuocationem, Narrationem, Episodium, ac Finem. Ex his enim partibus Propositionem, Narrationem, ac Finem seligere possumus, ac Elegiæ tribuere: cum sine his constare, atque absolui non omnino posse videatur.

## De Inuocatione. An omittenda sit. Caput VIII.

PRætermittenda vero est Inuocatio; quæ ab antiquis Epicis adhiberi propterea initio solet, quòd rem perdifficilem aggrediuntur, & eam, quam sine Musarum, aut alicuius Dei, hominisue, quem pro Deo colunt auxilio, ad exitum perducere se posse diffidunt. Quare, si quid vmquam fingunt admirabile, & supra quàm credibile videri possit, eo munimento insistunt; significantq. non dubiè, se Musarum admonitu, quæ omnia norunt, id compertum habere. Hoc videlicet secutus consilium Virgilius, antequam dicere aggrederetur, quo loco res Latinorum essent, quibusue dominis Italia, maximeq. Latium eo tempore teneretur, quo tempore terram illam est ingressus Æneas, eam ipsam, quam initio flagitauerat opem cum dixit,

*Musa mihi causas memora;*

deintegro, ac rursus implorauit, quia se credibilia dicturum nō esse in tanta rerum antiquitate, atq. in tam obscuris euoluendis annalibus existimabat, nisi qui lecturi carmen illud erant, intelligerent, poëtam res tam longè ab hominum memoria remotas à Musis, quas, & præsides, & familiares haberet, accepisse.

*Nunc age, qui Reges Erato, quæ tempora rerum,*
*Quis Latio antiquo fuerit status, aduena classem*
*Cum primum Ausonijs exercitus appulit oris*

*Expediam,& primæ reuocabo exordia pugnæ.*
*Tu Vatem,tu Diua mone: dicam horrida bella,*
*Dicam acies,actosq. animis in funera Reges,*
*Tyrrhenamq. manum,totamq. sub arma coactam*
*Hesperiam. maior rerum mihi nascitur ordo,*
*Maius opus moueo.*

Hac videlicet inuocatione iterum instituta locum arduum, ac salebrosum, quem repentè offendit, sperat se facilè superaturum, & credibilia facturum ea,quæ alioqui credēda non essent.Eandem loci difficultatem vidit, cum eorum seriem texere deberet, qui ad expeditionem in Troianos, Latinosque ex tota pene Italia, ductore Turno profecti sunt. Quì enim fieri poterat,vt eorum nomina,patriam, arma, cognita sic haberet poëta, vt rei gestæ interfuisse videretur, nisi omnia Musarum beneficio didicisset? Qua igitur arte hic etiam expedietur locus,nisi Musarum inuocatione renouanda?

*Pandite nunc Helicona Deæ,cantusq. mouete.*
*Qui bello exciti Reges,quæ quemq. secutæ*
*Complerint campos acies:quibus Itala iam tum*
*Floruerit terra alma viris,quibus arserit armis.*
*Et meministis enim Diuæ,& memorare potestis.*
*Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.*

Quid cum Troianorum naues à Turno, Turniq. militibus incensas in Nymphas est commutaturus? A quo nam hæc tam admiranda rerum portenta, quæ nemo tradidit litteris, aut vmquam commemorauit, accepisse se dicit,nisi à Musis ipsis,quarum instinctu cetera se didicisse profitetur?

*Quis Deus ò Musæ tam sæua incendia Teucris*
*Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?*
*Dicite:prisca fides facto;sed fama perennis.*

Quin etiam Turnum ipsum debacchantem in prælio, multosq. contrucidantem describere se minus posse confirmat, nisi Musarum præsidio subleuetur. Neq.enim potest percensere numerando eorum nomina Troianorum, qui à Turno sunt interfecti, nisi Musarum aliqua ei redigat in mentem illa, quæ omnium planè memoriam subterfugerunt.

*Vos ò Calliope precor adspirate canenti,*
*Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus*
*Ediderit,quem quisq. virum demiserit Orco:*
*Et mecum ingentes oras euoluite belli.*
*Et meministis enim Diuæ & memorare potestis.*

Hæc, inquam, ab Epicis ita fiunt; qui res sæpè vel aggrediuntur, vel commemorant, non modo arduas, ac difficiles, sed etiam abhorren-

tes

tes à fide. Elegia verò, quæ neq. tam ardua molitur, neq. tam incredibilia proponit, neq. nodos illos habet, quos Horatius Deo vindice dignos appellat, Inuocationem facilè prætermittit. quamquam eam interdum non negligit; quiddam certè Inuocationi simillimum videtur habere, ac Musarum, Deorum, hominum auxilium, more propemodum Epicorum implorare. Id quippè fecisse Propertium video in Elegia sexta libri quarti. vbi cum hoc modo rem proposuisset, de qua dicturus erat:

*Sacra facit Vates. sint ora fauentia sacris,*
*Et cadat ante meos icta iuuenca focos.*
*Cera Philetæis certet Romana corymbis,*
*Et Cyrenæas vrna ministret aquas.*
*Costum molle date, & blandi mihi thuris honores;*
*Terq. focum circum laneus orbis eat.*
*Spargite me lymphis, carmenq. recentibus aris*
*Tibia Mygdonijs libet eburna cadis.*
*Ite procul fraudes; alio sint aëre noxæ:*
*Pura nouum vati laurea mollit iter.*

Cum, inquam, ad hunc modum prolusisset, ad Musam oratione conuersa, Inuocationem adiungit, quasi magnum aliquod, & poëta dignum Epico argumentum tractaturus.

*Musa Palatini referamus Apollinis ædem.*
*Res est Calliope digna fauore tuo.*

Sed quia hæc vel Inuocatio, vel Inuocationis similitudo, ac species rarò apud Elegiacos est, idcirco hanc partem adimendam Elegiæ putaui. non enim eam adhibere nefas existimo, sed adhibere necesse non esse intelligo. Quod si pro re nata interdum vsurpanda videatur, meminerimus oportet, Inuocationem esse debere non Epopœiæ, sed Elegiæ, hoc est breuissimam, & quæ propositio quædam potius sit, quàm Inuocatio: qualis est illa Propertij supra laudata. Addo etiam ideo implorasse Musarum opem eo loco Propertium, quia naualem pugnam, victoriamq. de Cleopatra, deq. Antonio Palatini Apollinis beneficio reportatam aggrediebatur exponere. quod argumentum Epicum quodammodo videbat esse, ac Elegiæ modum superare. Id quod etiam facilè possit esse causæ, cur Ouidius eo planè modo Germanicum Cæsarem appellet initio Fastorum, quo Virgilius Augustum, ac Mecœnatem.

*Tempora cum causis Latium digesta per annum,*
*Lapsaq. sub terras, ortaq. signa canam.*
*Excipe pacato Cæsar Germanice vultu*
*Hoc opus, & timidæ dirige nauis iter.*
*Officioq. leuem non auersatus honorem,*

*Huic tibi deuoto, numine dexter ades.*

Causa, inquam, cur Epicorum propria Inuocatione vtatur Ouidius ea mihi videtur esse, quòd argumentum tractaturus sit non omnino Elegiacum, ac ratione quadam, & via ab Elegiacis haud parum abhorrente. Nam præter versum nihil habere videtur Elegiæ.

## *De Principio, & Propositione Elegiæ.* *Caput IX.*

ITa igitur Inuocatione ab Elegiæ partibus expuncta, consequens est, vt de ceteris explicemus, primumq. de prima, quæ Epicorum Propositioni respondet. Ea est exordium, & principium Elegiæ interdum è re ipsa natum, interdum longè petitum. Quemadmodum enim Propositio in Epopœia, ea, quæ canenda sunt, breuiter exponit, rerum, tum præsentium, tum præteritarum statum breuiter indicat, quod ab Homero factum est egregie, præsertim in Odyssea; sic Elegia ipso statim exordio aperit argumentum, sed longè alia ratione, ac via. Nam Epopœia ita planè, distinctèque rem proponit, vt poëtæ consilium facilè cognoscatur.

*Dic mihi magnanimi Pelidæ Musa furorem.*
*Arma, virumq. cano.*

Sed Elegia latenter, ac velut ex insidijs irrumpit; itaq. dissimulanter interdum argumentum inuadit, vt quid cantantura sit, legenti non facilè possit apparere. Cum enim Messalæ natalem, victorias, ac triumphos celebrare Tibullus instituerет, non eo modo rei principium fecit, quo versus Heroicos eiusdem argumenti exorsus est:

*Te Messala canam:*

sed latentius, multoq. longius, hoc est, à Parcis ipsis petito principio.

*Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes*
*Stamina, non vlli dissoluenda Deo.*
*Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,*
*Quem tremeret forti milite victus Atax.*

Hoc inquam initium nihil aliud est, nisi occulta quædam, latensque propositio, ex earum videlicet genere, quæ in exordijs illigantur ab oratoribus interdum, cum rem, de qua dicturi sunt, nec planè proponunt, nec partiuntur; sed semina quædam tractādæ rei leuissimè spargunt, ex quibus auditores intelligere oporteat, quæ nam sit futura messis orationis. Peti etiam potest exemplum ab Elegia tertia libri primi, cuius initium est.

*Ibitis Aegæas sine me Messala per vndas:*
*O vtinam memores tuq. cohorsq. mei.*

Me

*Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:*
*Abstineas auidas mors precor atra manus.*

Quibus ex versibus prouidere illico possis, suam ægrotationem conquesturum esse Tibullum, cuius nimirum expostulationis quædam veluti semina spargit expositione morbi, quo alienis in terris tenebatur. In Elegia verò decima eiusdem libri primi, otium ac pacem laudaturus, ab eorum detestatione ducit exordium, qui primi arma bellica procuderunt.

*Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?*
*Quam ferus, & verè ferreus ille fuit?*

Quamquam hoc initio multo planiorem videtur habere propositionem, neq. ita recedentem ab ijs, quas adhibet interdum Propertius expeditas, ac Epicis sanè persimiles. Nam in Elegia illa, qua canit Actiacam pugnam, clarè, distinctèq. argumentum proponit:

*Musa Palatini referamus Apollinis ædem;*

propositione cum inuocatione coniuncta. quod etiam Epici sæpissimè faciunt.

*Dic mihi Musa virum, raptæ post tempora Troiæ*
*Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.*

Sed nihil fieri potest planius exordio, & propositione illius Elegiæ, qua Tarpeiæ fabulam explicata narratione describit.

*Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe sepulcrum*
*Fabor, & antiqui limina capta Iouis.*

Quid de Ioue Feretrio dicatur? cuius nominis causam ita dilucidè se narraturum pollicetur, vt Epicorum nullus propositionem habeat magis distinctam, & clariorem.

*Nunc Iouis incipiam causas aperire Feretri,*
*Armaq. de ducibus trina recepta tribus.*

Sed huiusmodi propositionibus ita distinctis rarò vtitur ipse Propertius, alijque: vt vel hinc intelligere debeamus, parcè vsurpandas esse. Proprium enim Elegiacorum est, vti dicebamus, exordijs potius propositionem illigare, quàm eam distinctè proferre. Quare suas interdum rationes, vitæq. modum exponentes, sine vlla dicendarum propositione rerum, exordiuntur, quod in Elegia prima Tibullus secutus est.

*Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,*
*Et teneat culti iugera magna soli.*

Interdum ab hortatione principium faciunt, atq. ab inuitatione aliqua ad cantum, ad sacrificium, ad iter agendum.

*Quisquis adest, faueat, fruges lustramus & agros,*
*Ritus vt à prisco traditus extat auo.*

Interdum à Deorum precatione: quod exordiũ Lyricis est familiare.

Can-

*Candide Liber ades. sic sit tibi mystica vitis.*

Interdum à rerum inanimarum, vel animatarum etiam appellatione. quo exordiendi genere mirificè delectatur Ouidius. vt in Elegia illa, qua ianuæ custodem alloquitur seruum.

*Ianitor indignè dura religate catena*
*Difficilem noto cardine pande forem.*

Et in duodecima secundi.

*Ite triumphales circum mea tempora lauri.*

Et in quintadecima, anulum, quem Corinnæ muneri mittebat, suppliciter obsecrans.

*Annule formosæ digitum vincture puellæ.*

Et in quinta tertij, fluuio, quem traiecturus erat, vt sisteret cursum, vota profundens, ac preces.

*Amnis arundinibus limosas obsite ripas,*
*Ad dominam propero, siste parumper aquas.*

Interdum ab expostulatione, atque ab admiratione.

*Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?*

Et apud Ouidium.

*Esse quid hoc dicam, quòd tam mihi dura videntur*
*Strata, nec in lecto pallia nostra sedent?*

Et quod longè pulcherrimum apud eundem principium est;

*Esse Deos credam ne? fidem iurata fefellit,*
*Et facies illi, quæ fuit ante, manet.*

Infinita denique varietas est in exordijs Elegiarum componendis: sed nullum eorum est, in quo Propositio rerum dicendarum non delitescat. Præstat nunc de Narratione verba facere, quæ sequitur ordine Propositionem.

## De Narratione. Caput X.

Elegia vbi narrat, ab Epica narratione longè recedit. Epicus enim poëta res veluti minimè notas exponit planissimè, copiosissimèque: Elegiacus quasi omnibus exploratissimæ sint, perstringit, ac summatim enumerat, interpositis epiphonematis, lenioribusque sententijs. Habet enim Elegiaca narratio propriam quandam rationem, ac viam, quæ non facilè, nisi ex poëtarum exemplis agnosci possit. Virgilius igitur, Æneæ in Italiam nauigantis tempestatem enarraturus, exorditur à primis causis; hoc est ab illa Iunonis ira perueteri, atq; impotente, quæ cælum, terram, mare conturbat, omnia in omnem partem impellit. Subiunguntur ordine quæ consecuta sunt, errores, hospitia, connubia, itinera, prælia, expeditiones, victoriæ; eo pene

modo,

modo, quo ab Historico solent huiusmodi res commemorari. Neque enim ab illo differt alio nomine, nisi quòd ab intermedia rei gestæ parte narrandi principium facit: velut ab Æneæ tempestate, non ab incendio Troiæ, à quo initium duxisset historicus. Hæc, vt dixi, ita narratione perpetua disponit, complectiturq. Virgilius. Propertius contrà, cum pugnam Actiacam explicaturus esset, causis belli ciuilis omnino prætermissis, quasi notissimis, pugnæ locum describit.

*Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,*
*Quà sinus Ioniæ murmura condit aquæ:*
*Actia Iulææ pelagus monumenta carinæ,*
*Nautarum votis non operosa via.*

Deinde strictim, summatimque, non explicatè, naualis pugnæ seriem, exitumq. persequitur.

*Huc mundi coiere manus: stetit æquore moles*
*Pinea, nec remis æqua fauebat auis.*
*Altera classis erat Teucro damnata Quirino,*
*Pilaq. feminea turpiter acta manu.*
*Hinc Augusta ratis plenis Iouis omine velis,*
*Signaq. iam patriæ vincere docta suæ.*
*Tandem acies Nereus geminos lunarat in arcus,*
*Armorum & radijs picta tremebat aqua.*

Tum Episodio interposito, quo Phœbum inducit, Augustum ad pugnam hortantem; narrationem breuissimè claudit. habet enim satis dicere, pugnatum esse, atque Apollinis præsidio Cleopatram, Antoniumq. fugatos, & fusos ab Augusto fuisse.

*Vicit Roma fide Phœbi: dat femina penas:*
*Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.*

Nam de his dicturus Epicus, naues ipsas singillatim, ordines militum, dispositam aciem ob oculos posuisset, descripsisset locum pluribus, multa multorum, qui pugnaturi erant, nomina, genus, patriam commemorasset. Dicam in summa. etiam Elegiæ narratio earum simillima est, quæ interdum ponuntur in Odis. Tyberis enim eluuionem cum caneret Horatius, rei serie prætermissa, perstringit leuiter omnia, indicatq. breuissimè quod gestum est.

*Vidimus flauum Tyberim retortis, &c.*

Et Rhœtos, Vindelicosque à Druso Nerone debellatos, ac cæsos dicturus, non tam signis, militum ordinibus, conflictu ipso describendo rem explicat, quàm leuissima quadam expositione commemorat.

*Videre Rhœti bella sub Alpibus*
*Drusum gerentem, & Vindelici, &c.*

Tum, ne ratione quidem exposita, qua pugnatum est, victoriam penes

Dru-

Drusum Neronem stetisse confirmat; pergitq. illius virtutem pluribus amplificare.

*Sensere quid mens ritè, quid indoles*
*Nutrita faustis sub penetralibus*
*Posset: quid Augusti paternus*
*In pueros animus Nerones.*

Quod si ne huiusmodi quidem breuis alicuius facti narratio sit in Elegia, quemadmodum sæpenumero factum videmus, meminerimus oportet, illam ipsam expositionem, quæ consequitur exordium, narrationis locum obtinere. Neq. enim ductæ illæ, tractæq. narrationes sunt, nisi in paucissimis Tibulli, Propertijq. Elegijs, & in plerisq. apud Ouidium Epistolis Heroinarum.

## *De Episodio. Quid sit, & quotuplex.*
## *Caput XI.*

Sequitur Episodium. quam etiam partem scio magnorum poëmatum esse propriam: sed scio præterea diuerticulum quoddam in Elegia tam frequens esse, tam varium, ac multiplex, vt principem in ea locum obtinere videatur. Hanc autem digressionem, & diuerticulum appellare communi, eoq. Græco vocabulo placet Episodium.

Est autem Episodium declinatio quædam è via, hoc est ab instituta narratione digressio: ab ὁδοῦ; quæ vox Græcis est via; & cum adiuncta particula egressionem significat extra viam. Sed quia in hac definitione etiam finem esse oportet, ex quo intelligatur, cuius rei gratia poëtæ digrediantur è via, dixerim, Episodium non tantum esse poëtarum à recto poëmatis cursu aberrationem; sed addiderim præterea, euagationem illam esse ornatus, & delectationis causa institutam. quare definitur à Suida, τὸ εἰς φερόμενον τῷ δράματι, γέλωτος χάριν, ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν, quod inducitur in drama, risus, & delectationis causa extra hypothesin, hoc est præter institutum, & propositum argumentum. Addit ad extremum post definitionem Suidas, καταχρηστικῶς δὲ ἐξαγώνιον ἅπαν πρᾶγμα. sed abusiuè, inquit, quicquid præter rem affertur, dici potest Episodium. Quæ ideo subiungit, vt intelligamus, etiam cœnarum acroamata, additasq. ludis & conuiuijs cantilenas, etiam Geleotopœios, hoc est, histriones risum mouentes, qui extra Fabulam inducuntur; etiam embolia, & interpositas personas, quæ interdum non à poëtis, atq. auctoribus Fabularum, sed ab alijs apponuntur, Episodia dici posse. Verum à Polluce multo breuius, multoq. elegantius ita definitur. πρᾶγμα πράγματι συναπτόμενον. hoc est res rei accedens, & quodammodo insititia. Nihil sanè potuit melius, atq. ad

rem

rem accommodatius dici. nam quemadmodum qui tessellatum, aut vermiculatum componunt opus, ingentibus marmoris crustis tesserulas maculosas ad oblectandos aspicientium oculos creberrimas, & multis locis interserunt, sic poëtæ operi vniuerso inserunt Episodia quasi tessellas: vt legentium animus multo magis ea varietate teneatur. Adde quòd affert vtilitatem admirabilem Episodium; cum rationem expediat fabulæ producendæ, atq. amplificandæ: id quod in argumento minus copioso præstare facilè posse, permagnum est. Sed ea, quæ dicta sunt, in omnia planè omnium poëmatum Episodia cadunt. Videndum est nominatim quale sit Episodium Epicæ, à qua similitudinem petere oportet eius, quod est proprium Elegiæ. Aristoteles quidem vnum tantum Episodium Epopœiæ adscribit, continuatum, & longum. cuiusmodi nos esse secundum, tertium, quartum, Virgilij librum dicere possumus; addo etiam quintum. Sed tamen aliud etiam in Epopœia recognoscere nos oportet Episodium concisum, ac breue: cum videlicet delectationis gratia secedit aliquantulum poëta de via, describendis, depingendisq. rebus, aut inducendis personis, quarum effictio, inductioue minus Fabulæ necessaria fuisset. qualis est apud Virgilium descriptio Famæ, Clypeus Æneæ Romanis distinctus historijs, occursus Veneris in primo, & alia penè sexcenta: à quibus statim poëta regreditur, institutamq. repetit narrationem.

### *De duplici Episodio Elegiæ: ac primùm de longiore.* Caput XII.

DVobus igitur his Episodijs duo item simillima excogitauit ad delectationem Elegia; longiusculum vnum, breuissimum alterum. Sed est incredibile dictu, quantam habeat in vtroq. varietatem. Interdum enim ab ipso principio statim egressa, ita perpetuo vtitur Episodio, vt non nisi paulò ante finem repetat institutum. Multa ex eo genere suppetunt Episodia; sed omnium planè pulcherrimum est in Elegia quinta libri secundi apud Tibullum. in qua cum poëtæ consilium esset Messalini, Coruini Messalæ filij, qui Augur fuerat eo tempore creatus, nouum sacerdotium carminibus celebrare, ab inuocatione Apollinis exorsus, ac paucissimis in eius laudem expositis, illico ad Sibyllæ vaticinium egreditur, quo Troianis prædicitur felicissimus in Italiam aduentus; Romanæ Vrbis initia, processus, maiestas, ac dominatus, bella ipsa ciuilia prodigijs obnunciata referuntur. ad extremum, ac planè sub finem reuocat orationem ad Messalinum, eique triumphum amplissimum ex profligato bello vaticinatur. Initium hoc est.

*Phœbe faue: nouus ingreditur tua templa sacerdos,*
*Huc age cum cithara, carminibusq. veni.*
*Nunc te vocales impellere pollice chordas,*
*Nunc precor ad laudes flectere verba meas.*
*Ipse triumphali deuinctus tempore lauro,*
*Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.*
*Sed nitidus pulcherq. veni: nunc indue vestem*
*Sepositam, & longas nunc bene pecte comas.*
*Qualem te memorant, Saturno Rege fugato,*
*Victori laudes concinuisse Ioui.*

Hæc est, inquam, inuitatio, hic orationis ingressus ab Apollinis inuocatione petitus. Phœbi laudes sequuntur, & eæ, quæ vaticinandi scientiam potissimum continent; vt aditum nimirum aperiant ad egressionem ipsi Messalino accommodatam, qui erat populo Romano capturus auguria, & libros Sibyllinos consulturus. Orat igitur Phœbum, vt Messalino Sibyllæ vaticinia lecturo præsto sit, eiq. plana faciat, quæ obscurissimis illis oraculis obuoluuntur.

*Tu procul euentura vides: tibi deditus augur*
*Scit benè quid fati prouida cantet auis.*
*Tuq. regis sortes: per te præsentit haruspex,*
*Lubrica signauit cum Deus exta notis.*
*Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla est,*
*Abdita quæ senis fata canit pedibus.*
*Phœbe sacras Messalinum sine tangere chartas*
*Vatis, & ipse precor quod canat illa doce.*

Cum autem hic Sibyllæ mentio incidisset, de Sibylla sic aggreditur dicere, quasi nihil amplius de Messalino dicturus sit. Totus enim est in exornatione Sibyllæ, quam eo præcipuè nomine commendat, quòd Romam à Troianis nascituram prædixerit, quòd oracula Romanis illa tradiderit, quibus futura omnia continerentur.

*Hæc dedit Aeneæ sortes, postquam ille parentem*
*Dicitur, & raptos sustinuisse lares.*
*Hæc fore credebat Romam, cum mœstus ab alto*
*Ilion, ardentes respiceretque Deos.*
*Romulus æternæ nondum fundauerat Vrbis*
*Mœnia consorti non habitanda Remo.*
*Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ,*
*Et stabant humiles in Iouis arce casæ.*

Tum nonnullis præterea in eandem sententiam interiectis, ad Episodium magis amplificandum, Sibyllam ipsam loquentem inducit: quæ in Italiam venienti iam Æneæ prospera, & secunda cuncta denunciet.

Im-

*Impiger Aenea volitantis frater amoris,*
*Troica qui profugis sacra vehis ratibus,*
*Iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros,*
*Iam vocat errantes hospita terra Deos.*
*Ecce super fessas volitat Victoria puppes;*
*Tandem ad Troianos Diua superba venit.*
*Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.*
*Iam tibi prædico barbare Turne necem.*
*Ante oculos Laurens castrum, murusq. Lauini est;*
*Albaq. ab Ascanio condita longa duce.*
*Te quoq. iam video Marti placitura sacerdos*
*Ilia, Vestales deseruisse focos.*
*Concubitusq. tuos furtim, vittasq. iacentes,*
*Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.*
*Carpite nunc tauri septem de collibus herbas*
*Dum licet: hic magnæ nam locus Vrbis erit.*
*Roma tuum nomen terris fatale regendis*
*Quà sua de cælo prospicit arua Ceres;*
*Quàq. patent ortus, & quà fluitantibus vndis*
*Solis anhelantes abluit amnis equos.*
*Troia quidem tum se mirabitur, & sibi dicet,*
*Vos bene tam longam consuluisse fugam.*
*Vera cano. sic vsq. sacras innoxia lauros*
*Vescar, & æternum sit mihi virginitas.*

Ex hoc loco gradum facit perapposito transitu ad ea commemoranda prodigia, quæ bella ciuilia, & ipsam Cæsaris mortem antecesserunt; affirmans, hæc etiam à Sibyllis prouisa, & denunciata fuisse, beneficio Phœbi, qui vatibus ipsis mentem, ac diuinandi facultatem inspirat.

*Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit,*
*Herophile Phœbo grata quod admonuit,*
*Hæc fore dixerunt belli mala signa cometem,*
*Multus vt in terris deplueretq. lapis;*
*Atq. tubas, atq. arma ferunt strepitantia cælo*
*Audita, & lucos præcinuisse fugam.*
*Ipsum etiam solem defectum lumine vidit*
*Iungere pallentes nubilus annus equos.*
*Et simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes,*
*Fataq. vocales præmonuisse boues.*

Ex hisce prodigijs occasionem arripit meliora precandi, vaticinandiq. prospera populo Romano.

*Hæc fuerunt olim. sed tu iam mitis Apollo*

*Prodigia indomitis merge sub æquoribus.*
*Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,*
*Omine quo felix & sacer annus eat.*
*Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni.*
*Distentet spicis horrea plena Ceres.*
*Oblitus & musto feriet pede rusticus vuas,*
*Dolia dum magni deficiuntq. lacus.*
*At madidus Baccho sua festa Palilia pastor*
*Concinet; à stabulis tum procul este lupi.*
*Et fœtus matrona dabit, gnatusq. parenti,*
*Oscula compressis auribus eripiet.*
*Nec tædebit auum paruo aduigilare nepoti,*
*Balbaq. cum puero dicere verba senem.*
*Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,*
*Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadet.*
*At sibi quisq. dapes, & festas extruet altè*
*Cespitibus mensas, cespitibusq. torum.*

Finis iam appetit Elegiæ in Messalini laudem institutæ, ac de Messalino verbum amplius nullum audimus. Quid igitur? errabit ita vagus poëta, neq. ad locum vnde decessit reuertetur? vix profectò reuertitur. nam ab ijs conuiuijs, & felici, pacatoq. rerum statu, quem descripsit vaticinans, egreditur ad detestationem amoris; perinde quasi vnus hic esset, qui eam interturbaret felicitatem: optatq. vehementer, eo se animi motu tandem aliquando liberari, vt versus condere facilè possit in laudem ipsius Messalini; eo præsertim tempore, quo Messalinus ducet in Capitolium triumphum ex hostibus victor.

*Pace tua pereant arcus, pereantq. sagittæ*
*Phœbe; modò in terris erret inermis Amor.*
*Ars bona; sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,*
*Hei mihi quàm multis ars dedit illa malum?*
*Et mihi præcipuè, iaceo cum saucius annum,*
*Et faueo morbo, cum iuuat ipse dolor.*
*Vixq. cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus*
*Verba potest, iustos aut reperire modos.*
*At tu (nam Diuum seruat tutela poëtas)*
*Præmoneo, vati parce puella sacro.*
*Vt Messalinum celebrem, cum præmia belli,*
*Ante suos currus oppida victa feret.*
*Ipse gerens laurus, lauro deuinctus agresti,*
*Miles io magna voce triumphe canam.*
*Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ*
*Et plaudat curru prætereunte pater.*

*Annue: sic tibi sint intonsi Phœbe capilli,*
*Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.*

Sic impositus est finis Elegiæ longè pulcherrimæ, atque omnium elegantissimæ, reseruato ad extremum vsque regressu. Sunt tamen quæ magis reditum differant, ac producant; cum ab Episodio non nisi postremis carminibus se recipiant in viam. Sunt, quæ multo ante finem iter repetant Episodio interruptum: sed quia non vtuntur Episodio perpetuo, reijciendæ videntur in earum classem, quæ breuioribus Episodijs delectantur.

## *An Episodium Elegiæ sine reditu sit probabile.* *Caput XIII.*

NVnc illud de hoc perpetui, continuatique Episodij genere quærendum est. an liceat interdum sic egredi, vt numquam in eam viam referatur oratio, in quam ipso se dedit initio. Absurdum alicui videbitur esse quod dicā; sed legibus Elegiæ consentaneum est. Confirmo, inquam, licere scriptoribus Elegiarum ab argumento proposito sic egredi, vt numquam eò reuertantur. confirmo autem permultorum grauissima ductus auctoritate, in primisque Propertij; qui in Elegia libri tertij decima huius Episodij luculentissimum exemplum posteritati reliquit. Nam, vt illa se purgaret ignauiæ nota, cuius à multis insimulabatur, propterea quòd turpissimum feminarum iugum, ac seruitium pateretur, id turpe sibi non esse aggreditur ostendere præclarorum hominum, ac Deorum exemplo; qui, vt fortissimi fuerint, feminarum tamen imperium subterfugere non potuerunt. Cum ergo, multis ex eo genere hominibus, Dijsq. nominatim per inductionem enumeratis, ad Antonium peruenisset, qui Cleopatræ perditus amore, peregrinæ feminæ seruitium, quasi vile mancipium pertulit, egreditur ad commemorandum, detestandumq. bellum nauale, quod cum vtriusq. classe commisit Augustus: atq. illa digressione ita concludit Elegiam, vt de amantium, suiq. ipsius illa seruitute ne verbum quidem adiungat.

*Quid mirare, meam si versat femina vitam,*
*Et trahit addictum sub sua iura virum?*
*Criminaq. ignaui capitis mihi noxia fingis,*
*Quòd nequeam fracto rumpere vincla iugo?*
*Ista ego præterita iactaui verba iuuenta;*
*Tu nunc exemplo disce timere meo.*

Exordium hoc est, & propositio quædam Elegiæ. Fidem propositioni facit inductione, petita ab Iasone viro fortissimo; qui à Medea supe-

ratus eſt: ab Achille illo inſuperabili, ac fatis, vt poëtæ dixerunt, inuicto, quem vicit amoris vi Amazonum Regina Pentheſilea: ab Hercule, quem de toto triumphantem orbe terrarum, traxit ſub iugum, atque ad lanificium compulit Omphale: à Ioue ipſo, qui turpiſſimis amoribus eſt infamatus: denique ab Antonio Romano, viro clariſſimo, cui Cleopatra meretrix Ægypti Regina ſic imperauit, vt eum etiam ad arma in patriam ſumenda concitarit.

*Colchis flagrantes adamantina ſub iuga tauros*
*Egit, & armigera prælia ſeuit humo.*
*Cuſtodiſq. feros clauſit ſerpentis hiatus,*
*Iret vt Aeſonias aurea lana domos.*
*Auſa ferox ab equo quondam oppugnare ſagittis*
*Mœotis Danaum Pentheſilea rates.*
*Aurea cui poſtquam nudauit caſſida frontem,*
*Vicit victorem candida forma virum.*
*Omphale in tantum formæ proceſſit honorem*
*Lydia, Gygæo tincta puella lacu,*
*Vt qui pacato ſtatuiſſet in orbe columnas,*
*Tam dura traheret mollia penſa manu.*
*Nam quid ego Heroas, quid raptem in crimina Diuos?*
*Iuppiter infamat ſeq. ſuamq. domum.*
*Quid modò quæ noſtris opprobria vexerit armis,*
*Et famulos inter femina trita ſuos?*

Hi poſtremi verſus inductionis modum faciunt, & Cleopatram carpunt: quæ cum formæ pulchritudine cepiſſet, ac viciſſet Antonium, tanto conatu Romani fines Imperij aggreſſa eſt, vt parum abfuerit, quin improbæ feminæ gentium Vrbs, populorumque Regina ſeruitutem ſeruiret. Quam ego Elegiæ partem Epiſodium nomino, nõ membrum inductionis: quia ſatis inductioni erat, illam Antonij ſeruitutem commemoraſſe. ſed cum ab ea commemoratione lõgius auectus poëta, de bello illo nauali copioſiſſimè dicat, Epiſodio ſanè rem amplificare, non inductione dicendus eſt. In rem præſentem veniamus. Sic enim pergit de Cleopatra, deq. Antonio canere.

*Coniugis obſcœni pretium Romana popoſcit*
*Mœnia, & addictos in ſua regna Patres.*
*Noxia Alexandria, dolis aptiſſima tellus,*
*Et toties noſtro Memphi cruenta malo.*
*Tres vbi Pompeio detraxit arena triumphos:*
*Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.*
*Iſſent Phlegræo melius tibi funera campo,*
*Vel tua ſi ſocero colla daturus eras.*
*Scilicet inceſti meretrix Regina Canopi*

*Vna Philippæo ſanguine aduſta nota.*
*Auſa Ioui noſtro latrantem opponere Anubim,*
*Et Tyberim Nili cogere ferre minas.*
*Romanamq. tubam crepitanti pellere ſiſtro,*
*Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.*
*Fœdaq. Tarpeio conopea tendere ſaxo;*
*Iura dare ſtatuas inter, & arma Mari.*
*Quid nunc Tarquinij fractas iuuat eſſe ſecures,*
*Nomine quem ſimili vita ſuperba notat,*
*Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum,*
*Et longam Auguſto ſalua precare diem.*
*Fugiſti tamen in timidi vaga flumina Nili:*
*Accepere tuæ Romula vincla manus.*
*Brachia ſpectaui ſacris admorſa colubris,*
*Et trahere occultum membra ſoporis iter.*
*Non hæc Roma fuit tanto tibi ciue verenda*
*Dixit, & aſſiduo lingua ſepulta mero.*
*Septem Vrbs alta iugis, toti quæ præſidet orbi,*
*Femineas timuit territa Marte minas.*
*Hannibalis ſpolia, & victi monimenta Syphacis,*
*Et Pyrrhi ad noſtros gloria fracta pedes.*
*Curtius expletis ſtatuit monimenta lacunis,*
*At Decius miſſo prælia rupit equo.*
*Coclitis abſciſſos teſtatur ſemita pontes,*
*Et cui cognomen Coruus habere dedit.*
*Hæc Dij condiderunt, hæc Dij quoq. mœnia ſeruant:*
*Vix timeat, ſaluo Cæſare, Roma Iouem.*
*Nunc vbi Scipiadæ claſſes, vbi ſigna Camilli?*
*Aut modò Pompeia Boſphora capta manu?*
*Leucadius verſas acies memorabit Apollo:*
*Tantum operis belli ſuſtulit vna dies.*
*At tu, ſiue petes portus, ſeu nauita linques,*
*Cæſaris in tuto ſis memor Ionio.*

Atq. hæc eſt eius Elegiæ clauſula, quæ duxit initium ab intolerabili ſeruitute, quam Propertius auctor ſub feminæ perferebat arbitrio. Quam enim habet Auguſti de Cleopatra, deq. Antonio clariſſima victoria cum illa ſeruitute coniunctionem? Et tamen hoc diuerticulo ſine regreſſu terminata eſt Elegia. vt intelligas; hoc poëmatis genus Epiſodio perpetuo, atq. ad finem vſq. producto, poſſe cum laude, atque artificioſè concludi. Sed quàmquam Propertij, aliorumque mihi non exempla ſuppeterent, haberem tamen, cur id nihilominus confirmarem. quod ante quàm pluribus oſtendo, id mihi ponendum eſſe intel-

 ligo:

ligo: Episodium Elegiarum eius omnino generis esse, quo vtitur in Odis poëta Lyricus. nam Episodijs Epicæ quadam tantummodo proportione respondet. Quapropter illa Episodiorum genera, quæ conueniunt Odis, non abhorrebunt ab Elegia. Videamus ergo, an inter digressiones Lyricorum aliquam huic, de qua disputamus, similem inuenire possimus. Principio Episodia illa, quæ vel paulo ante finem, vel in ipso fine referuntur in gradum, atq. ad institutum reuertuntur, ita frequenter apud Lyricos occurrunt, vt non facilè constitui posse videatur, Elegiæ ne, an Odæ magis propria sint. Horatius enim Drusi Neronis è gente Claudia victoriam, quam de Rhœtis, ac Vindelicis reportarat, ornare aggressus, iucundissimo digressus est Episodio, replicanda memoria periculosissimi prælij, quod cum Hasdrubale olim ad Metaurum felicissimo confecerat euentu Claudius Nero, à quo Drusus ipse ducebat originem.

*Quid debeas ò Roma Neronibus,*
*Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal*
*Deuictus, & pulcher fugatis*
*Ille dies Latio tenebris,*
*Qui primus alma risit adorea;*
*Dirus per vrbes Afer, vt Italas*
*Ceu flamma per tædas, vel Eurus*
*Per Siculas equitauit vndas.*
*Post hoc secundis vsq. laboribus*
*Romana pubes creuit: & impio*
*Vastata Pœnorum tumultu*
*Fana Deos habuere rectos.*
*Dixitq. tandem perfidus Hannibal.*
*Cerui luporum præda rapacium,*
*Sectamur vltro quos opimus*
*Fallere, & effugere est triumphus.*
*Gens, quæ cremato fortis ab Ilio*
*Iactata Tuscis æquoribus sacra,*
*Natosque, maturosq. patres*
*Pertulit Ausonias ad vrbes,*
*Duris vt ilex tonsa bipennibus*
*Nigræ feraci frondis in Algido,*
*Per damna, per cædes ab ipso*
*Ducit opes, animumq. ferro.*
*Non Hydra secto corpore firmior*
*Vinci dolentem creuit in Herculem,*
*Monstrumue summisere Colchi*
*Maius, Echioniæue Thebæ.*

*Carthagini iam non ego nuncios*
*Mittam superbos: occidit, occidit*
*Spes omnis & fortuna nostri*
*Nominis, Asdrubale interempto.*

Hic Episodio finis est sub ipsum exitum Odæ, quam his quatuor versiculis principio respondentibus ita concludit.

*Nil Claudiæ non perficient manus,*
*Quas, & benigno numine Iuppiter*
*Defendit, & curæ sagaces*
*Expediunt per acuta belli.*

Tractat eodem modo sextam decimam Oden libri primi: cuius argumenti vis vniuersa in eo posita est, vt veniam à puella petat, quam iambis, ac maledictis lacerarat. Cum enim eo se nomine purgasset, quòd fecisset id iracundia perturbatus, cuius impetum nemo sustinere queat, egressus est ad iræ vim explicandam, atq. amplificandam, pulcherrimo illo vsus commento de hominis effictore Prometheo. Ait enim, Prometheum, cum hominem efformaret è luto, ex omnibus animantibus aliquam decerpsisse particulam, ipsique homini iam informato inseruisse. Ex quo factum vult, vt tam varijs animi perturbationibus à mutis animantibus haud alienis exagitemur. Addit ad extremum, iram nominatim decisam è leonis pectore fuisse; atque animis insitam nostris, excitasse ea, quæ patimur bella, seditiones, discordias, vrbium, ac regnorum euersiones. His expositis, iterum à puella veniam precatur, iambos rescindit, & quam paucissimis Oden absoluit. Innumerabiles pene sunt eius generis apud Lyricos egressiones, quæ omnino cadunt etiam in Elegiam; quod supra demonstrauimus exemplis. Perquirendum nunc est, num in Odis etiam illud sit Episodium, quod regressione caret, & semper aberrat. meminisse enim oportet, hæc ideo à me disputari, vt ostendatur, illud Episodij genus, à quo numquam poëta se recipit in semitam, esse laudabile illo potissimum nomine, quòd eo Lyrici sæpè sint vsi; ad quorum videlicet formam ipsa reuocatur, vt diximus, Elegia. Nam si cetera Lyricorum Episodia communia cum Elegiaco poëta sunt, cur non etiam hoc, quod pulcherrimum est, ac singulare cum illa communicetur? Ne multa. hunc etiam locum exemplis ab Horatio petitis frequentabo: ac primo quidem Ode nobili, quæ tertia est libri primi. vbi cum initio bene precatus esset Virgilio in Atticam nauiganti, ad detestandos nauium inuentores illicò, ac repentè dilabitur: rursusq. ab ea detestatione ad execrandam vniuersè hominum audaciam ita gradum facit, vt in eo consistat, omnino reuersionis oblitus.

*Illi robur, & æs triplex*
*Circa pectus erat, qui facilem truci*

*Commisit pelago ratem*
*Primus: nec timuit præcipitem Africum*
*Decertantem Aquilonibus,*
*Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,*
*Quo non arbiter Hadriæ*
*Maior, tollere, seu ponere vult freta.*
*Quem mortis timuit gradum*
*Qui siccis oculis monstra natantia,*
*Qui vidit mare turgidum, &*
*Infames scopulos Acroceraunia?*
*Nequicquam Deus abscidit*
*Prudens Oceano dissociabili*
*Terras, si tamen impiæ*
*Non tangenda rates transiliunt vada.*
*Audax omnia perpeti*
*Gens humana ruit per vetitum nefas.*
*Audax Iapeti genus*
*Ignem fraude mala gentibus intulit.*
*Post ignem æthereа domo*
*Subductum, macies, & noua febrium*
*Terris incubuit cohors:*
*Semotiq. prius tarda necessitas*
*Lethi corripuit gradum.*
*Expertus vacuum Dædalus aëra,*
*Pennis non homini datis*
*Perrupit Acheronta Herculeus labor.*
*Nil mortalibus arduum est.*
*Cælum ipsum petimus stultitia: neque*
*Per nostrum patimur scelus,*
*Iracunda Iouem ponere fulmina.*

Hactenus Ode: quæ illo perpetuo, ductoq. ad finem vsq. terminatur Episodio, nec Virgilij nauigantis vllam amplius mentionem inculcat, pro quo vota Castori, Pollucique fecerat initio, & nauem ipsam compellarat, rogaueratque, vt cum secundo vsum cursu in Atticæ fines exponeret.

*Sic te Diua potens Cypri,*
*Sic fratres Helenæ lucida sidera,*
*Ventorumq. regat pater,*
*Obstrictis alijs, præter Iapyga.*
*Nauis, quæ tibi creditum*
*Debes Virgilium, finibus Atticis*
*Reddas incolumem p recor,*

*Et serues animæ dimidium meæ.*

Persimilis est Ode libri secundi tertiadecima: quæ ab arbore, cuius casu penè fuerat oppressus Horatius in agro Sabino, statim discedit, & in describendis Inferis hæret sine reditu ad argumentum. Cum enim dixisset, abfuisse parum, quin ipse illa arboris prolapsione raperetur ad Inferos, inde arrepta statim egressionis ansa, in Inferis immoratur: arboris casum ne commemorat amplius quidem.

*Quàm penè furuæ regna Proserpinæ,*
*Et iudicantem vidimus Aeacum;*
*Sedesq. discretas piorum, &*
*Aeolijs fidibus querentem*
*Sappho puellis de popularibus:*
*Et te sonantem plenius aureo*
*Alcæe plectro dura nauis,*
*Dura fugæ mala, dura belli!*
*Vtrumq. sacro digna silentio*
*Mirantur vmbræ dicere: sed magis*
*Pugnas, & exactos Tyrannos*
*Densum humeris bibit aure vulgus.*
*Quid mirum, vbi illis carminibus stupens*
*Demittit atras bellua centiceps*
*Aures, & intorti capillis*
*Eumenidum recreantur angues?*
*Quin & Prometheus, & Pelopis parens*
*Dulci laborum decipitur sono:*
*Nec curat Orion leones,*
*Aut timidos agitare lyncas.*

Etiam huic fini longè simillimum Episodium est in Ode quarta libri tertij: vbi hoc agit, & sequitur, vt inductione quadam ostendat, se Musarum ope multis periculis fuisse liberatum. sed hoc argumento prætermisso, aggreditur de Titanibus, ceterisq. hominum immanium detrusis ad Inferos ita subitò, abruptèq. dicere, vt non facilè deprehendi possit egressionis occasio: quantum tamen intelligere possum, hæc est. Sermonem in inductionis parte postrema conuerterat ad Musas, quas eo potissimum nomine commendarat, quòd saluberrimum ijs consilium darent, quos ipsæ in tutelam suscepissent. Vt igitur contra ostenderet, illos inconsultò res agere, qui diuinitus inspiratum à Musis consilium non habent, eosdemq. quantumuis robore, ac firmitate præstantes sua mole ruere, atq. ad Inferos prolabi, profert in medium Titanum, atq. aliorum exempla, qui aliquid aduersum Deos sine consilio, ac ratione moliti essent. Sed hic ad fabulam, atque ad Episodium transitus obscurissimus est: est tamen is, qui possit planissimè id, quod

dicebam demonstrare: Elegias nimirum, quæ similes Odis sunt, producto ad finem vsque diuerticulo, perpetuoq. vti Episodio iure posse, nec habere necesse de regressione, redituque ad susceptum argumentum, & institutum magnopere laborare: quia sic Lyricis, & Odarum scriptoribus est ius.

*Vester Camœnæ, vester in arduos*
*Tollor Sabinos, &c.*
*Vos lene consilium & datis, & dato*
*Gaudetis almæ. scimus vt impios*
*Titanas, immanemq. turmam*
*Fulmine sustulerit caduco.*
*Magnum illa terrorem intulerat Ioui,*
*Fidens iuuentus horrida brachijs,*
*Fratresq. tendentes opaco*
*Pelion imposuisse Olympo.*
*Sed quid Typhœus, & validus Mimas,*
*Aut quid minaci Porphyrion statu,*
*Quid Rhetus, euulsisq. truncis*
*Enceladus iaculator audax*
*Contra sonantem Palladis ægida*
*Possent ruentes? hinc auidus stetit*
*Vulcanus, hinc matrona Iuno, &*
*Numquam humeris positurus arcum,*
*Qui rore puro Castaliæ lauit*
*Crines solutos, qui Lyciæ tenet*
*Dumeta, natalemq. syluam*
*Delius, & Patareus Apollo.*

Ab hoc loco videtur aliquantulum regredi poëta: non tamen ad institutam initio de Musis orationem reuertitur, sed ad eam, quam egrediens protulerat de inani eorum consilio sententiam, qui aliquid sine ratione moliuntur. Quare continuatum, non interruptum Episodium est, si principij, & argumenti ratio habeatur. id quod etiã alibi tum Horatius ipse sequitur, tum Tibullus, alijq. auctores Elegiarum. Pergit igitur in hunc modum Horatius.

*Vis consili expers mole ruit sua,*
*Vim temperatam Dij quoq. prouehunt*
*In maius: ijdem odere vires*
*Omne nefas animo mouentes.*
*Testis mearum centimanus Gyas*
*Sententiarum, notus & integræ*
*Tentator Orion Dianæ,*
*Virginea domitus sagitta.*

Inie-

*Iniecta monstris terra dolet suis,*
*Mœretq. partus fulmine luridum*
*Missos ad Orcum, nec peredit*
*Impositam celer ignis Aetnam.*
*Incontinentis nec Tytij iecur*
*Relinquit ales nequitiæ additus*
*Custos: amatorem trecentæ*
*Pyrithoum cohibent catenæ.*

Consequens Ode, hoc est, quinta libri tertij habet huius generis Episodium admirabile: in quo Attilius Regulus inducitur de non redimendis captiuis seuerissimam illam in Senatu sententiam proferens. Inducitur autem propterea sic alloquens Patres, quòd paulo post initium poëta Romanorum deplorauerat opprobrium; quo ad infamiam vsque postremam notati erant, cum sub duce Crasso venerunt in hostium potestatem. Dixerat enim, illos milites turpissimè victos esse, turpissimè seruitutem passos, quia corrupto moribus sæculo, sub Imperatore item corrupto, stipendia fecerant. Hinc ad Attilium Regulum elabitur, confirmatque, id sapientissimum illum hominem prouidisse, cum legatus Romam à Carthaginensibus missus, captiuus ipse, captiuos tamen redimendos non esse iudicauit. Intelligebat enim futurum, vt si facilè redimerentur ab hostibus ij, qui per socordiam in Carthaginensium venerant ditionem, milites haberet Romana Respublica molliores, & qui facillimè deditionem hostibus facerent.

*Hoc cauerat mens prouida Reguli*
*Dissentientis conditionibus*
*Fœdis, & exemplo trahentis*
*Perniciem veniens in æuum,*
*Si non periret immiserabilis*
*Captiua pubes. Signa ego Punicis*
*Affixa delubris, & arma*
*Militibus sine cæde dixit*
*Direpta vidi. vidi ego ciuium*
*Retorta tergo brachia libero*
*Portasq. non clausas, & arua*
*Marte coli populata nostro.*
*Auro repensus scilicet acrior*
*Miles redibit? flagitio additis*
*Damnum: nec amissos colores*
*Lana refert medicata fuco.*
*Nec vera virtus cum semel excidit*
*Curat reponi deterioribus.*
*Si pugnat extricata densis*

*Cerua plagis; erit ille fortis,*
*Qui perfidis se credidit hostibus?*
*Et Marte Pœnos proteret altero,*
*Qui lora restrictis lacertis*
*Sensit iners, timuitq. mortem?*
*Hic vnde vitam sumeret inscius*
*Pacem duello miscuit. ò pudor*
*O magna Carthago probrosis*
*Altior Italiæ ruinis.*
*Fertur pudicæ coniugis osculum,*
*Paruosq. natos, vt capitis minor*
*A se remouisse, & virilem*
*Toruus humi posuisse vultum:*
*Donec labantes consilio Patres*
*Firmaret auctor, numquam aliàs dato;*
*Interq. mœrentes amicos*
*Egregius properaret exul.*
*Atqui sciebat quæ sibi barbarus*
*Tortor pararet: non aliter tamen*
*Dimouit obstantes propinquos,*
*Et populum reditus morantem,*
*Quàm si clientum longa negotia*
*Dijudicata lite relinqueret,*
*Tendens Venafranos in agros,*
*Aut Lacedæmonium Tarentum.*

Hæc ita conclusa quàm longè distant ab ijs, quæ fuerant initio proposita de Crassi milite, qui victus sine pugna, per summam ignauiam in Barbarorum seruitutem abduci se passus est?

*Miles ne Crassi coniuge barbara*
*Turpis maritus vixit? & hostium,*
*Proh curia, inuersiq. mores,*
*Consenuit socerorum in armis?*
*Sub Rege Medo Marsus, & Appulus*
*Anciliorum nominis, & togæ*
*Oblitus, &c.*

Quid de Ode septima libri primi dicamus, in qua Teucer inducitur sodales appellans? quid de vigesima septima libri tertij, in qua inducitur Europa, nec ad susceptum reditur argumentum? quid de vndecima libri tertij, quæ ab obstinatione Lydæ principium sumens, exitum reperit in Danai puellis, quas digressione bene longa ad finem vsq. describit? Exemplum, præteritis ceteris, instar omnium sit Ode libri tertij tertia: vbi, vt ostendere præcipuè contendat Horatius, homi-

minem virtutis instructum præsidio & vi, nihil extimescere, numquam de recto, æquabiliq. animi statu dimoueri; inducta tamen Iunone, quæ Deos in Cælitum concilio alloquatur, Oden prorsus absoluit, ac de constantia silet. Sed est necesse videre ipsam totius argumenti cum Episodio continuationem, coniunctionemque; quæ tum occultissima, tum vero etiam artificiosissima est. Pronunciat igitur Horatius, eum, qui altissima virtutis fundamenta iecerit, ita semper eodem loco consistere, vt etiam si suis conuulsus sedibus totus labatur orbis terrarum, tenorem tamen animi seruet eundem imperturbatus. Hac videlicet virtutis via ingressos ad immortalitatem esse Pollucem, Herculem, ceteros, quorum egregia facinora prædicamus, in primisque Romulum Vrbis conditorem, qui Deorum in concilium exceptus est, Iunone placata, veterumq. oblita simultatum, quas cum Troianis, ipsius Romuli maioribus, exercuerat. Tantum enim abest, vt de Romulo à Cœlitibus excludendo deliberarit, vt in Deorum senatu admirabilia quædam de Romuli, Romanorumq. laude loquuta sit. Hæc est Episodij ratio; quam in ipso fonte præstat intueri.

*Hac arte Pollux, & vagus Hercules*
*Innixus, arces attigit igneas:*
*Quos inter Augustus recumbens*
*Purpureo bibet ore nectar.*
*Hàc te merentem Bacche pater tuæ*
*Vexere Tigres, indocili iugum*
*Collo trahentes: hàc Quirinus*
*Martis equis Acheronta fugit,*
*Gratum eloquuta consiliantibus*
*Iunone Diuis. Ilion Ilion,*
*Fatalis, incestusq. iudex*
*Et mulier peregrina vertit*
*In puluerem, ex quo destituit Deos*
*Mercede pacta Laomedon, mihi,*
*Castæq. damnatum Mineruæ*
*Cum populo, & duce fraudulento.*
*Iam nec Lacænæ splendet adulteræ*
*Famosus hospes, nec Priami domus*
*Periura pugnaces Achiuos*
*Hectoreis opibus refringit.*
*Nostrisq. ductum seditionibus*
*Bellum resedit. protinus & graues*
*Iras, & inuisum nepotem,*
*Troica quem peperit sacerdos*
*Marti redonabo. illum ego lucidas*

Inire

*Inire sedes, ducere nectaris*
*Succos, & adscribi quietis*
*Ordinibus patiar Deorum :*
*Dum longus inter sæuiat Ilion*
*Romamq. pontus, qualibet exules*
*In parte regnanto beati ;*
*Dum Priami, Paridisq. busto*
*Insultet armentum, & catulos feræ*
*Cælent inultæ: stet Capitolium*
*Fulgens, triumphatisq. possit*
*Roma ferox dare iura Medis .*

Pergit in eandem sententiam vaticinari Iuno, & futuram populi Romani gloriam prædicare ; sed de virtutis , animiq. constantia, cuius elogium initio texere cœperat , nihil in exitu loquitur amplius Horatius : ratus , satis superq. laudatam illa sententia fuisse, quæ principium fecit .

*Iustum, & tenacem propositi virum*
*Non ciuium ardor praua iubentium ,*
*Non vultus instantis Tyranni*
*Mente quatit solida: neq. Auster*
*Dux inquieti turbidus Hadriæ ,*
*Nec fulminantis magna Iouis manus.*
*Si fractus illabatur orbis ,*
*Impauidum ferient ruinæ .*

Hæc à me tam multa , tamq. longa ponuntur exempla , vt intelligatur , etiam Elegiæ fas esse sic egredi , vt numquam reuertatur : quia Lyrica , in quo genere collocauimus Elegiam , eam sibi licentiam vsurpauit, vt perpetua aberratione vagaretur . non enim id ex ingenio , & pro arbitratu excogitauit , ac fecit Horatius ; sed sumpsit à Græcis, in primisque à Pindaro, cuius laudem æmulabatur.

Ceterum non à Lyricis modò , verum etiam ab alijs quoq. poëtis huius egressionis tam liberæ, licentisq. petere possumus exempla, quæ tribuere debeant eandem veniam Elegiæ. Multa enim sunt in Virgilianis Eclogis, atq. in Georgicis ipsis Episodia, quæ similia videntur Elegiacis . qualis est Sileni cantus in Ecloga sexta , Italiæ laus in Georg. primo, aliaq. permulta. In quibus duas omnino reperio digressiones his, dè quibus hoc loco disputamus, affines . Prior est in fine libri secundi Georgicorum : vbi laudes rei rusticæ Virgilius , egressus ab argumento, copiosè persequitur; de præceptionibus autem serendarum arborum, quas accuratè scribendas sumpserat, nihil amplius cogitat . Posterior est in exitu libri primi : vbi cum multa de futuræ tempestatis, aut serenitatis indicijs cecinisset, signa postremo certissima

ſima deſcribit in Sole, quem hiſtoriæ tradunt Iulij Cæſaris mortem, ac bella ciuilia, quæ mortem ipsā conſecuta ſunt, præmonſtraſſe. Hanc igitur egrediendi nactus occaſionem, prodigia, quæ obitum illum Cæſaris anteceſſerunt, Vrbis clades, inteſtina diſsidia, eo planè modo, quo hæc ab Elegia perſtricta fuiſſent, enumerando commemorat. atq. ita librum abſoluit, cuius argumentum erat ſeminum ſatio, atq. agricultura.

Cum igitur Elegiacorum poëtarum, & Lyricorum exemplo, cum ipſius Virgilij auctoritate ita comprobari poſſit Elegiæ digreſsio ſine vllo reditu ad argumentum, non video cur laudem mereri non deberet is, qui ad horum poëtarum ſimilitudinem arte directa, huiuſmodi Epiſodij licentia vteretur.

## *De altero Elegiæ Epiſodio breuiori.*
## *Caput XIV.*

Reſtat illud alterum Epiſodij genus, quod ego breuius appellabam. Sed quoniam hoc etiam multiplex eſt, in quaſdam quaſi formas partiendum, ac diuidendum erit. Vnum enim eſt, quo mirificè ornatur Elegia; cum egreſsio non ita longa ſubiungitur alicui ſententiæ, ſtatimq. reditur eò, vnde defluxit oratio; iterumq. noua digreſſione, nouoque reditu res amplificatur. Præſtat hæc admirabili modo Tibullus in Elegia tertia libri primi.

*Quàm bene Saturno viuebant Rege, priuſquam*
*Tellus in longas eſt patefacta vias.*

Cum enim exorſus fuiſſet ab aduerſa valetudine ſua, cuius vi detinebatur in alienis terris, impediebaturq. quo minus itinere perpetuo ſequi Meſſalam in bellum proficiſcentem poſſet, ad aureum Saturni ſæculum orationem diſtraxit, à quo non multo poſt, ad valetudinem reuertitur ſuam; Iouem obteſtans, vti ſe illo morbo, mortiſque periculo liberet.

*Parce Pater: timidum non me periuria terrent,*
*Nec dicta in ſanctos impia verba Deos.*
*Quod ſi fatales iam nunc expleuimus annos,*
*Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.*
*Hic iacet immiti conſumptus morte Tibullus,*
*Meſſalam terra dum ſequiturq. mari.*

Iterum hinc eò diſcedit, quò poſtrema eum ſententia ducere videbatur; & campos deſcribit Elyſios, ad quos demigraturum ſe putabat, ſi eo morbo extingueretur.

*Sed me, qui facilis tenero ſum ſemper amori,*

Ipſa

*Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.*
*Hic choreæ,cantusq.vigent,passimq. vagantes*
*Dulce sonant tenui gutture carmen aues.*

Postremò ad valetudinem redit; affirmans, habere se spem, breui futurum, vt conualescat, reuertatur in patriam, ac lacrymantem Deliam consoletur.

*Tunc mihi qualis eris,longos turbata capillos*
*Obuia,nudato Delia curre pede.*
*Hoc precor,hunc illum nobis aurora nitentem*
*Luciferum roseis candida portet equis.*

Hæc Episodij forma interponitur identidem, ac crebrius ad elegantiam incredibilem inculcatur. Ergo in Elegia decima libri primi Tibullus, vbi gladios & bella detestatur, illico post initium egreditur, enuncians,bellorum causam auaritiam esse,ac propterea beatos fuisse,qui aureo illo sæculo vixerunt,quo tempore apparatus bellici nulli erant.

*Non arces,non vallus erat,somnumq. petebat*
*Securus varias dux gregis inter oues,&c.*

Deinde reuertitur ad institutum,Deosq. precatur domesticos, & Lares,vt sibi in castra proficiscenti præstò sint. ab hac precatione arripit occasionem laudandæ frugalitatis antiquorum, quæ spectabatur etiam in sacrorum ornatu.

*Nunc ad bella trahor,& iam quis forsitan hostis*
*Hæsura in nostro tela gerit latere.*
*Sed patrij seruate Lares,aluistis & ijdem,*
*Cursarem vestros cum tener ante pedes.*
*Nec pudeat prisco vos esse è stipite factos:*
*Sic veteris sedes incoluistis aui.*
*Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu*
*Stabat in exigua ligneus æde Deus.*
*Hic placatus erat,seu quis libauerat vuam,*
*Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.*

Rursus ab egressione repetit viam, & armorum studium execratur, statimque digreditur ad describendos Inferos: quò militia pertrahit ante diem eos,qui bello delectantur,& armis.

*Quis furor est atram bellis accersere mortem?*
*Imminet,& tacito clam venit illa pede.*
*Non seges est infra,non vinea culta, sed audax*
*Cerberus, & Stygiæ nauita puppis aquæ.*
*Illic percussisque genis,vstoq. capillo*
*Errat ad obscuros pallida turba lacus.*

Hinc etiam receptum habet ad primam illam animi sui sententiam, qua

qua se studio pacis delectari professus erat, incipitq. vniuersè pacem, quietemq. publicam commendare.

*Interea pax arua colat. pax candida primum*
*Duxit araturos sub iuga curua boues.*
*Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,*
*Funderet vt gnato testa paterna merum.*
*Pace bidens, vomerq. vigent, &c.*

Sed hæc Episodia tam crebra videntur interdum non tam à stirpe, hoc est ab argumento præcipuo nata, quàm ab Episodijs ipsis veluti surculi quidam, & stolones è ramis existentes. Artificium hoc planè rarũ est, ac singulare in Elegia Tibulli septima libri primi. in qua cum à natali Messalæ, quem canendum susceperat, ad eiusdem Messalæ victorias celebrandas elapsus esset, ait se in partem aliquam triumphi vocari debere; cum semper in bello Messalam secutus sit, ac sub eo stipendia fecerit. Ab hoc Episodio natum est alterum, quo vniuersa loca describit, in quibus pugna commissa est, & victoriam Messala, Tibullo comite reportauit.

*At te victrices lauros Messala gerentem*
*Portabat niueis currus eburnus equis.*
*Non sine me est tibi partus honos per bella: Pyrene*
*Testis, & Oceani littora Santoniei.*
*Testis Arar, Rhodanusq. celer, magnusq. Garumna,*
*Carnoti & flaui cærula lympha Liger.*
*At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis*
*Cæruleus placidis per vada serpis aquis.*
*Quantus & æthereo contingens vertice nubes*
*Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas.*
*Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes*
*Alba Palæstino sancta columba Syro:*
*Vtq. maris vastum prospectet turribus æquor*
*Prima ratem ventis credere docta Tyros?*
*Qualis & arentes cum findit Syrius agros*
*Fertilis æstiua Nilus abundet aqua.*

Ad Nilum cum venisset, quò Messalam Imperatorem longo secutus erat itinere, nouo sibi viam expedit Episodio, sine vllo ad natalem reditu, quem initio canere cœperat.

*Nile pater, qua nam possum te dicere causa,*
*Aut quibus in terris occuluisse caput?*
*Te propter nullos tellus tua postulat imbres,*
*Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.*
*Te canit, atq. suum proles miratur Osirim*
*Barbara Memphitem plangere docta bouem.*

Rur-

Rursus à Nilo discedit, & in Osiride, cuius vel leuissima inciderat mentio, commoratur.

*Primus aratra manu solerti fecit Osiris,*
*Et teneram ferro sollicitauit humum.*
*Primus inexpertæ commisit semina terræ,*
*Pomaq. non notis legit ab arboribus.*
*Hic docuit teneram palis adiungere vitem,*
*Hic viridem dura cædere falce comam.*
*Illi iucundos primum matura sapores*
*Expressa incultis vua dedit pedibus.*

Quoniam verò fuerat hic vua commemorata, nouus est Episodio factus aditus, idq. additum in vini laudem, & commendationem est.

*Ille liquor docuit, voces inflectere cantu,*
*Mouit & ad certos nescia membra modos.*
*Bacchus & agricolæ magno confecta labore*
*Pectora tristitia dissoluenda dedit.*
*Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,*
*Crura licet dura compede pulsa sonent.*

Differt igitur hæc Episodij forma à superiore, illo nomine, quòd non tam ab argumento ipso ducit originem, quàm ab alio quodam Episodio. Cui non videntur absimiles aliæ quædam breuissimæ, natæ ex aliquo verbo antecedenti; & quæ repetitiones verius sint, quàm egressiones. vt in Eleg. v. lib. ij. apud Tibul.

*Pendebatq. vagi pastoris in arbore votum,*
*Garrula siluestri fistula sacra Deo.*
*Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:*
*Nam calamus cera iungitur vsq. minor.*

Et alio loco Eleg. j. lib. j.

*Adsitis Diui: nec vos è paupere mensa*
*Dona, nec è puris spernite fictilibus.*
*Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis*
*Pocula, de facili composuitq. luto.*

Hæ, inquam, repetitiones breuissima mihi vidētur Episodia; quia rei, qua de agitur, aduentitia sunt, & argumento, quod habetur in manibus, apposita. quid enim erat necesse id subiungere?

*Fistula cui semper, &c. Fictilia antiquus, &c.*

Postremam breuis Episodij rationem, ac formam Horatius habet, epitheto, & rei, quæ tractatur, explicationi, vel illustrationi persimilem. Nam in Ode octaua libri primi Achillem nominans, hoc Episodio tamquam epitheto quodam, aut explicatione hominem ornat. De Sybari loquitur perditè Lydiam amāte, quem comparat cum Achille in Scyro delitescente.

*Quid latet, vt marinæ*
*Filium dicunt Thetidis ſub lacrymoſa Troiæ*
*Funera, ne virilis*
*Cultus in cædem,& Lycias proriperet cateruas.*

Et in Ode quarta libri quarti dicturus, à Druſo victos fuiſſe Vindelicos, adiungit, ſcire ſe Vindelicos vti ſolitos Amazonia ſecuri, ſed vnde morem illum, & genus armorum acceperint, ſe neſcire.

*Videre Rhœti bella ſub Alpibus*
*Druſum gerentem & Vindelici; quibus*
*Mos vnde deductus per omne*
*Tempus Amazonia ſecuri*
*Dextras obarmet, quærere diſtuli,*
*Nec ſcire fas eſt omnia.*

Etiam Ode trigeſima ſecunda libri primi ſuppeditabit exemplum: in qua cum ſatis fuiſſet dicere, barbito vſum Alcæum poëtam, addidit quatuor verſiculis argumentum, quod ſolitus eſſet Alcæus canere.

*Liberum, & Muſas, Veneremque; & illi*
*Semper hærentem puerum canebat.*

Hæc, inquam, adiungere nulla neceſſitas cogit, ſed perſuadet ornatus, ac delectatio, cuius gratia inſtitutum Epiſodium eſt, vt in Epiſodij definitione traditur à Suida. De fine dicendum nunc eſſe videtur, quo terminari oporteat Elegiam.

## De Fine. Caput XV.

VLtima pars ex ijs, quas diximus eſſe quãtitatis, eſt finis, exituſq. poëmatis in loco, ac tempore terminati. Recte enim ab Ariſtotele in Poëticis finis eſſe dicitur, ac definitur ea pars, quæ poſt aliam nata eſt, & quam nulla præterea conſequatur. vt intelligas, non vbiq. terminari poëmata poſſe, non infinitè produci; ſed oportere aliquas eſſe antecedentes partes, ex quibus oriatur appoſitè finis, nihil ſupereſſe poſt finem, quod exponendum neceſſariò videatur. Quare præcipit idem Ariſtoteles, fabulam neq. ordiendam eſſe temere, neq. ſine ratione terminandam. Vbi enim perfecta eſt, atq. abſoluta illa actio, quam nominatim, & ſolitariè poëta ſuſcepit exprimendam, claudendum etiam poëma eſt, antea, nullo modo claudendum; ne fabula inchoata ſit, atq. imperfecta. Inde factum eſt, vt Comici præſertim paulo ante finem, vel ipſo in fine ſoleant admonere, apertèq. confirmare, actionem exprimendam à poëta, ſuum habere iam finem, & fabulam eſſe peractam: ſi quid ſuperſit, hoc eſt, ſi quid præter actionem illam faciendum ſit, intus confectum iri.

*Ne expectetis, dum exeant huc: intus deſpondebitur,*
*Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtat. plaudite.*

Epici verò quamquam admonere, ac denunciare, ad exitum operis se peruenisse, minimè solent, sed actionis illius absolutione, quam tractant, contenti tantummodò sunt, qualis est procorum mors in Odyssea, Hectoris funus in Iliade, ac Turni cædes in Æneide; quamquam, inquam, hoc modo sine finis denunciatione finem faciunt Epici, non nulli tamen minus Epici, & qui non tam Epicæ structuram habent, quàm Epicæ versus, aliquo interdum indicio significant, modum se poëmati ponere, ac finem facere. vt Virgilius in fine Georg. ij.

*Sed nos immensum spatijs confecimus æquor:*
*Et iam tempus equum spumantia soluere colla.*

Sed in fine quarti totum absoluturus opus, ampliori vtitur epilogo, ac pluribus verbis denunciat finem.

*Hæc super aruorum cultu, pecorumq. canebam,*
*Et super arboribus; Cæsar dum magnus ad altum*
*Fulminat Eufratem bello: victorq. volentes*
*Per populos dat iura, viamq. affectat Olympo.*
*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope studijs florentem ignobilis oti:*
*Carmina qui lusi pastorum, audaxq. iuuenta*
*Tytire te patulæ cecini sub tegmine fagi.*

Nihil verò de Ouidio dicatur: qui claudit hoc exitu Metamorphoseon librum extremum.

*Iamq. opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas, &c.*

Sed hi poëtæ, quemadmodum indicaui, structuram, quæ σύνθεσις à Græcis dicitur, habent ab Heroicis alienam. quare cum his potius conuenit Elegia, quàm cum Epica. Si quis enim eorum compositionem, incessum orationis, epiphonemata, ceteraque huiusmodi ornamenta conferat cum Odis, & cum Elegijs, haud sanè multum hæc inter se differre comperiet. finem igitur expediat Elegia necesse est hisce poëmatis similem, quibus cum tantam habet coniunctionẽ. Fateor equidem, in faciendo fine liberiores Elegias esse, neq. adeo de fine ipso magnopere laborare: sed tamen etiã illas oportet in eo leges habere aliquas. Neq. enim vbiq., ac temere finiri debẽt, sed tãtũ eo loco, in quo esse perfecta rei propositæ videtur expositio, & eo, vbi Episodia ipsa iustam magnitudinem habuerunt. Nam, vt dicam hoc exempli causa, Propertius pugnam Augusti naualem se cantaturum pollicitus, si ante terminasset Elegiam, quàm ad eius exitum pugnæ peruenisset; aut quoniam credebatur ab omnibus, ac palam circumferebatur, eam victoriam Apollinis beneficio, qui pro Augusto steterat in classe, reportatam esse, Episodio aliquo non cõplexus hoc esset, aut si per Episodiũ Apolline inducto, sic egressus ab instituto fuisset, vt infinitè protraheretur

retur oratio, finẽ Elegiæ sine artificio, sine consilio, ac ratione fecisset.

Vbi ergo & expositio nihil desiderat, & quicquid comprehendi per Episodium, aut per inductionem debet, comprehensum iam est, modus imponendus etiam est Elegiæ; sed apposite, ac eleganter. Quod vt facilè præstari possit, quosdam quasi communes ego notauerim locos, ex quibus imponendi finis accommodata ratio ducenda sit.

Ac primo quidem video magnopere à poëtis eum frequentari locum admonitionis, ac denunciationis, de quo paulo ante dicebam. Nam præter ea veterum testimonia, quæ proposui, pulcherrimus est locus apud Virgilium in Ecloga decima; quæ, quia colloquentes pastores non inducit, sed perpetuo sermone vnum tantummodo, hoc est poëtam ipsum loquentem habet, Gallum amore perditum Lycoridis alloquio consolantem, eum omnino sequitur incessum orationis, eam conformationem, quam habere oportet Elegiam. In ea igitur Ecloga video finem factum ab ipsa finis denunciatione ad hunc modum.

*Hæc sat erit Diuæ vestrum cecinisse poëtam*
*Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco*
*Pierides: vos hæc facietis maxima Gallo,*
*Gallo; cuius amor tantum mihi crescit in horas,*
*Quantum vere nouo viridis se subÿcit alnus.*
*Surgamus: solet esse grauis cantantibus vmbra,*
*Iuniperi grauis vmbra; nocent & frugibus vmbræ,*
*Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.*

Hic, inquam, locus suppeditat accommodatam Elegiæ terminandæ rationem, & modum: quia tractatur à poëtis illis, qui ab Elegiacis alieni non sunt. Propertius adeo, vbi Elegiam illam naualis pugnæ iustam habere magnitudinem vidisset, denunciauit ipse quoq. finem, & vsus est, nō eadem solum terminādi ratione, sed etiam forma loquēdi.

*Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo*
*Victor, & ad placidos exuit arma choros.*
*Candida nunc molli subeant conuiuia luco,*
*Blanditiæq. fluant per mea colla rosæ.*
*Ingenium potis irritet Musa poëtis:*
*Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.*
*Ille paludosos memoret seruire Sicambros,*
*Cepheam hic Meroën, fuscaq. regna canat.*
*Hic referat sero confessum fœdere Parthum:*
*Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.*
*Siue aliquid pharetris Augustus parcet Eois,*
*Differat in pueros ista trophæa suos.*
*Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:*
*Ire per Eufraten ad tua busta licet.*

*Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec*
*Injiciat radios in mea vina dies.*

Quamquam hæc Propertij clausula duplicem potest finis locum demonstrare. Neq. enim tantummodò finem denunciat; sed à fine gradum facit ad nouum argumentum breuiter in fine perstringendum, hoc est ad Parthicum bellum, ad signa Romana recepta, ad Crassi mortem, Barbarorum expiatam sanguine, quæ omnia, duce Ventidio, Augusti ipsius auspicio gesta felicissimè sunt. Eadem plane ratione finis est vsus in Elegia prima libri quarti: in qua cum de Romanæ Vrbis initijs, amplificatione, maiestate, imperio, magnitudine, victorijs multa dixisset, sub extremum Elegiam clausurus, finem sibi faciendum esse apertè, dilucidèque confirmauit, ac stylum ad aliud argumentum suo magis accommodatum ingenio referendum.

*Hactenus historiæ. nunc ad tua deuehor astra.*
*Incipe tu lacrymis æquus adesse nouis.*
*Vmbria te notis antiqua Penatibus edit:*
*Mentior an patriæ tangitur ora tuæ?*
*Quà nebulosa cauo rorat Meuania campo,*
*Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis.*
*Scandentisq. axis consurgit vertice murus,*
*Murus ab ingenio notior ille tuo.*
*Ossaq. legisti, non illa ætate legenda*
*Patris, & in tenues cogeris ipse lares.*
*Nam tua cum multi versarent rura iuuenci,*
*Abstulit excultas pertica tristis opes.*
*Mox vbi bulla rudi dimissa est aurea collo,*
*Matris & ante Deos libera sumpta toga;*
*Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,*
*Et vetat insano verba tonare foro.*
*At tu finge Elegos, fallax opus. hæc tua castra:*
*Scribat vt exemplo cetera turba tuo.*
*Militiam Veneris blandis patiere sub armis,*
*Et Veneris pueris vtilis hostis eris.*

Alter hic Propertij locus nouam quoq. parere finis rationem suo fine videtur. Nam præter nouum argumentum, quod se cantaturum pollicetur poëta, continet quasi reprehensionem, quòd maiora sit aggressus argumenta, quàm ingenium, aut institutio, aut Apollo ipse patiatur. Id quod Horatio videtur esse prope solemne: qui sæpe Musam temeritatis accusat in fine, quòd rem suam vincentem facultatem aggredi, & complecti sit ausa. Quare in Ode illa tertia libri tertij, in qua Iunonem in Cælitum Senatu loquentem induxit, Episodium sanè longum ita concludit.

*Non hoc iocosæ conueniunt lyræ.*
*Quo Musa tendis? desine peruicax*
*Referre sermones Deorum, &*
*Magna modis tenuare paruis.*

Et in Ode prima libri secundi cum bella ciuilia, quibus afflicta Respublica fuerat, & oratione perpetua, & acerba detestatione sic commemorasset,

*Quis non Latino sanguine pinguior*
*Campus sepulcris impia prælia*
*Testatur, auditumq. Medis*
*Hesperiæ sonitum ruinæ?*
*Qui gurges, aut quæ flumina lugubris*
*Ignara belli? quod mare Dauniæ*
*Non decolorauere cædes,*
*Quæ caret ora cruore nostro?*

cum, inquam, hæc tam tristia rerum argumenta à Lyricis aliena tractasset, cursum orationis in fine reprehendit.

*Sed ne relictis Musa procax iocis,*
*Cææ retractes munera næniæ,*
*Mecum Dionæo sub antro*
*Quære modos meliore plectro.*

Dicuntur enim hæc in eandem planè sententiam, qua dictum est illud à Virgilio.

*Dum canerem Reges, & prælia, Cynthius aurem*
*Vellit, & admonuit. pastorem Tityre pingues*
*Pascere oportet oues, diductum dicere carmen:*

in eandem, qua Phœbus admonuit, reprehenditq. Propertium, quòd ausus esset Epicam, certè argumentum Epicæ versibus attingere minus idoneis.

*Quid tibi cum tali demens est flumine? quis te*
*Carminis heroi tangere iussit opus?*
*Non hinc vlla tibi speranda est fama Properti:*
*Mollia sunt paruis prata terenda rotis.*
*Vt tuus in scamno iactetur sæpe libellus,*
*Quem legat expectans sola puella virum,*
*Cur tua præscripto seuecta est pagina gyro?*
*Non est ingenij cymba grauanda tui.*
*Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:*
*Tutus eris: medio plurima turba mari.*

Versat idem argumentum, eandemque sententiam in Elegia prima libri secundi cum alloquitur Mecœnatem, eique confirmat, ingenium se scribendæ accommodatum Epicæ nactum non esse, sed amo-

ribus tractandis potius, ac Elegiæ.

*Quòd mihi si tantum Mecœnas fata dedissent,*
*Vt possem heroas ducere in arma manus,*
*Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo*
*Impositum, vt cæli Pelion esset iter.*
*Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri;*
*Xersis & imperio bina coisse vada.*
*Regnaue prima Remi, aut animos Carthaginis altæ*
*Cimbrorumq. minas, & bene facta Mari.*
*Bellaq. resq. tui memorarem Cæsaris: & tu*
*Cæsare sub magno cura secunda fores.*
*Nam quoties Mutinam, aut ciuilia busta Philippos,*
*Aut canerem Siculæ classica bella fugæ?*
*Euersosq. focos antiquæ gentis Etruscæ,*
*Et Ptolemææ littora capta Phari.*
*Aut canerem Aegyptum, aut Nilum, cum tractus in Vrbem*
*Septem captiuis debilis ibat aquis.*
*Aut Regum auratis circumdata colla catenis,*
*Actiaq. in sacra currere rostra via.*
*Sed neq. Phlegræos Iouis, Enceladiq. tumultus*
*Intonet angusto pectore Callimachus.*
*Nec mea conueniunt duro præcordia versu*
*Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.*
*Nauita de ventis, de tauris narrat arator;*
*Enumerat miles vulnera, pastor oues.*

Hæc ergo sententia, quæ tam sæpe tractatur à poëtis, apposite finem imponet Elegiæ, cum præsertim argumētum aliquod magnum canit, ab ipsius abhorrens Elegiæ ratione. Alios nunc locos, & quasi sedes, è quibus accōmodati fines Elegiæ duci possunt, exquiramus. Video ab ijsdem Elegiarum scriptoribus sæpe frequentari repetitionem eiusdem sententiæ, quam initio exposuerant in exordio. qui exitus est naturæ, ac rationi maximè consentaneus: cum par sit, eò ad extremum orationem referre, vnde principio velut à fonte promanauit. Itaque Tibullus in Elegia decima libri primi, quam ab armorum, bellorumque detestatione fuerat exorsus, ab inuocatione pacis finem accersit.

*At nobis Pax alma veni, spicamq. teneto,*
*Perfluat & pomis candidus ante sinus.*

Et in Elegia prima libri primi, cuius initium fuerat diuitiarum contemptus;

*Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,*

finis, eiusdem sententiæ repetitio fuit.

*Ferte,*

*Ferte, & opes: ego composito securus aceruo*
*Despiciam dites, despiciamq. famem.*

Hanc videlicet habet clausulam Elegia septima libri primi de natali Messalæ

*Hunc cecinere diem Parcæ, &c.*

quæ longo post itinere ad natalem reuertitur, & natali terminatur.

*At tu natalis multos celebrande per annos*
*Candidior semper, candidiorq. veni.*

Sed in hoc genere illa videtur esse pulcherrima clausula, quæ in fine non iterat tantum eandem sententiam, à qua ductum exordium est, & totius Elegiæ argumentum; sed etiam eadem pene verba, eandemque verborum figuram, & conformationem inculcat. Huius finis luculentum nobis demonstrat exemplum Tibullus in Elegia quinta libri secundi, cui factum initium est;

*Phœbe faue, &c.*

Iterat enim illud idem votum, & precationem eadem inuocationis figura.

*Annue: sic tibi sint intonsi Phœbe capilli:*
*Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.*

Demonstrat idem exemplum Horatius in Ode trigesima secunda libri primi: quam cum ab appellatione barbiti fuisset exorsus;

*Poscimus si quid vacui sub vmbra*
*Lusimus tecum, quod & hunc in annum*
*Viuat, & plures, age dic Latinum*
*Barbite carmen:*

cum ita, inquam, fuisset exorsus Oden, eadem appellatione barbiti terminauit.

*O decus Phœbi, & dapibus supremi*
*Grata testudo Iouis, ò laborum*
*Dulce lenimen, mihi cumq. salue*
*Rite vocanti.*

Reuocari possit ad hoc genus pulcherrimus exitus Elegiæ quartæ libri tertij de somnio: quæ cum à timore, ac denunciati per somnium mali deprecatione nascatur,

*Dij meliora ferant, &c.*

in eadem significatione timoris, in eademque mali deprecatione inuenit finem.

*Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,*
*Et iubeat trepidos irrita ferre Notos.*

Similis est apud Ouidium finis Epistolæ nobilis, quam scribit Hypermnestra: quæ principio catena se vinctas habere manus affirmat:

*Clausa domo teneor, durisq. coërcita vinclis:*

Et in iisdem desinit vinculis.

*Scribere plura libet, sed pondere lassa catenæ*
*Est manus, & vires subtrahit ipse timor.*

Eiusdem generis est apud eundem finis Elegiæ quartæ libri primi, cuius initium est exprobratio puellæ; quæ nimio medicamentorum vsu dum capillos fucare voluerat, eosdem sibi radicitus extirparat.

*Dicebam desiste tuos medicare capillos:*
*Tingere quam possis, iam tibi nulla coma est.*

Huic exprobrationi consolatio respōdet in fine. sperare quippe puellam iubet, aliquando futurum, vt crines prioribus longiores, pulcrioresque renascantur.

*Collige cum vultu mentem; reparabile damnum est.*
*Postmodò natiua conspiciere coma.*

In hanc etiam referendus est classem finis Elegiæ decimæ quintæ libri secundi, de anulo; quem cum initio sic appellasset,

*Annule formosæ digitum vincture puellæ,*
*In quo censendum nil nisi dantis amor,*

eodem planè modo, eademque sententia alloquitur in fine.

*Irrita quid voueo? paruum proficiscere munus:*
*Ille datam tecum sentiet esse fidem.*

Quid Elegias tantummodo commemoro, cum apud Virgilium ipsum rei rusticæ finis initio Bucolicæ, ipsa verborum, ac nominum iteratione, respondeat?

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studijs florentem ignobilis oti:*
*Carmina qui lusi pastorum, audaxq. iuuenta*
*Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.*

Sed omnium mihi videtur esse artificiosissimus exitus Elegiæ Callimachi de lauacro. Habet quippè singularem ingressum, ductum ab appellatione Nympharum in balneo, & eidem appellationi finem aptissimè respondentem. Nymphas igitur initio compellat, hortaturque, vt quàm citissimè se proripiant, locumq. Palladi se se ibi de more lauaturæ liberum, vacuumque relinquant. ad extremum easdem alloquitur, admonetque, vt veniente iam Pallade, procul è balneo dilabantur. Ita proferam versus, vt à Politiano latinitate donatos offendi.

*Ite foras agedum, quæcumq. liquentibus vndis*
*Membra lauaturæ Pallados, ite foras.*
*Ipsa venit, fremitus sacrorum audimus equorum:*
*Ite agedum, flauæ ò ite Pelasgiades.*

Pergit in eandem sententiam Nymphas, vt egrediantur, hortari, ac potissimum admonere, ne lauantem se Palladem aspicere audeant; nisi

nisi mori continuò, aut humanam formam amittere velint. quo loco pulcherrimum interserit Episodium, explicans acerbissimum supplicium, quo Tiresiam olim affecerat Pallas, quòd eam ausus fuisset in lauacro contemplari.

*---------Caue tu ergo Pelasge,*
*Ne nudam imprudens aspicias Dominam.*
*Qui cernet nudatam Pallada, quæ tenet Vrbem,*
*Vltra iam hoc Argos cernere non poterit.*
*Iam veneranda exi Pallas, dum quiddam ego istis*
*Dicam; nec meus hic sermo, sed alterius.*

Hoc est initium Episodij copiosè commemorãtis Tiresiæ casum: qui cum sitim leuaturus in itinere fontem peteret, ac in eo nudã Palladẽ fuisset intuitus, ab indignata Dea oculorum orbitate affectus illico est. Quam fabulam cũ ad extremam vsq. Elegiam Callimachus absolutissimè protulisset, eò reuertitur aliquando, vnde discesserat, repetitque non sententiam modò, sed verba propemodum ipsa, & conformationem orationis, quæ posita principio fuerat.

*En verè nunc Pallas adest: eia ergo puellæ,*
*Queis Argos curæ est, ite Deam accipite.*
*Cumq. bonis verbis, & cum prece, cumq. vlulatu*
*Salue ò Diua, vrbem protege & Inachiam.*
*Salue hinc abscedens, iterumq. huc flecte iugales*
*Ac rebus Danaum sis precor auxilio.*

Alium video locum poëtarum vestigijs maximè tritum; quem placet Inscriptionem appellare. Nam sæpè in exitu ipso votum soluunt, aut tumulum optant, & voto, vel tumulo indicem, atque inscriptionem adiungunt. Exemplo sit apud Propertium Arethusa, quæ de reditu viri concepto animis voto, illius arma suspensuram se pollicetur ex sacro pariete prope portam Capenam cum inscriptione, ipsam Elegiam sic concludente.

*Armaq. cum tulero portæ votiua Capenæ,*
*Subscribam, saluo grata puella viro.*

In Elegia vero prima libri secundi ad Mecœnatem, tumulo suo multo longius addidit Epigramma idem Propertius. cum enim amore perditus mutuum iam amorem planè desperaret, ac vitam, vt declarat hoc disticho,

*Vna meos quoniam prædata est femina sensus,*
*Ex hac ducentur funera nostra domo,*

suum ipsius funus inscriptione comitatur, ac indice tumuli, quem studiosè designat, hoc modo.

*Quandocumq. igitur vitam mea fata reposcent,*
*Et breue in exiguo marmore nomen erit;*

Mecœ-

*Mecœnas nostræ spes inuidiosa iuuentæ*
*Et vitæ, & morti gloria iusta meæ,*
*Si te forte meo ducet via proxima busto,*
*Esseda cælatis siste Britanna iugis.*
*Taliaq. illacrymans mutæ iace verba fauillæ:*
*Huic misero fatum dura puella fuit.*

Multis adhibetur locis à Tibullo similis finis; sed egregiè in secunda libri tertij Elegia: vbi miserum sibi pertimescens interitum, & pro salute vota concipiens, ita loquitur.

*Ergo cum tenuem fuero mutatus in vmbram,*
*Candidaq. ossa super nigra fauilla teget,*
*Ante meum veniat longos incompta capillos,*
*Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.*
*Sed veniat caræ matris comitata dolore:*
*Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.*
*Præfatæ ante meos manes, animámq. precatæ,*
*Perfusæq. pias ante liquore manus,*
*Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa*
*Incinctæ nigra candida veste legent.*
*Et primum annoso spargant collecta Lyæo,*
*Mox etiam niueo fundere lacte parent:*
*Post hæc carbaseis humorem tollere velis,*
*Atq. in marmorea ponere sicca domo.*
*Illic quas mittit diues Panchaia merces,*
*Eoiq. Arabes, diues & Assyria,*
*Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:*
*Sic ego componi versus in ossa velim.*

Hoc ordine, funere suo, ceremonijsque solemnibus ita descriptis, proponit, designatque indicem mortis: quem iubet ad extremum affigi sepulcro.

*Sed tristem mortis demonstret littera causam,*
*Atq. hæc in celebri carmina fronte notet.*
*Lygdamus hic situs est: dolor huic, & cura Neæra:*
*Coniugis ereptæ causa perire fuit.*

Placet huc etiam referre clausulam Elegiæ nonæ libri primi eiusdem Tibulli.

*At tua tum me pœna iuuet, Veneriq. merenti*
*Fixa notet casus aurea palma meos.*
*Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus*
*Dedicat, & grata sis Dea mente rogat.*

Sed poëtarum nemo frequentius ad hunc finem delabitur, quàm Ouidius. Notissimæ quippè sunt epistolarum clausulæ, quarum permul-

tæ

tæ desperationem Heroinarum continent, & in tumulo Epigramma, vel votum.

*Inscribere meo causa inuidiosa sepulcro,*
*Aut hoc, aut simili carmine notus eris.*
*Phyllida Demophoon letho dedit, hospes amantem.*
*Ille necis causam præbuit; ipsa manum.*

Cui moritura iam concinens Dido, Æneam persimili damnat inscriptione, sibiq. ipsi parentat.

*Nec consumpta rogis inscribar Elisa Sichæi;*
*Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit.*
*Præbuit Aeneas, & causam mortis, & ensem:*
*Ipsa suo Dido concidit vsa manu.*

Video etiam sæpè finem peti ab aliquo dicto acuto, aut epiphonemate ijs minimè dissimili, quæ adhiberi solita sunt in clausulis Epigrammatum: quod secutus potissimum Tibullus est in Elegia sexta libri quarti.

*Quamuis nulla mei superest tibi cura Neæra,*
*Sis felix, & sint candida fata tua.*
*At nos securæ reddamus tempora mensæ:*
*Venit post multas vna serena dies.*

Hi sunt celebriores, nobilioresq., quos apud poëtas offendimus Elegiarum fines: sed sunt alij præterea longè plurimi, quos difficilè sit ad certos locos reuocare: cum Elegiæ liberiora poëmata sint, & nullis pene legibus in hoc genere teneantur.

## De Partibus Qualitatis. ac primo quidem de Constitutione. Caput XVI.

QValitatis partes, vt initio monuimus, quatuor in poëmatis etiam hisce minoribus designandæ sunt: Synthesis, siue constitutio, Mores, Sententia, Dictio. Quæ quidem Epopœiæ tribuuntur; sed possunt tamen proportione, ac comparatione quadam etiam in ipsam Elegiam conuenire. Dicuntur autem hæ partes qualitatis, quod ab his poëma, non quidem quantum, hoc est, magnum, aut paruum dicatur, sed quale, hoc est, bene, vel male constitutum, moratum, vel à moribus, ac decoro discedens, instructum sententijs, atque affectibus, vel his carens, oratione ornatum idonea, vel contrà inornatum: quæ quidem qualitatis sunt omnia non quantitatis. Itaq. partes illæ, de quibus supra disputauimus, poëmatis membra quædam sunt, veluti corporis: hæ, quas dicimus qualitatis, eiusdem corporis, ac membrorum quasi color, succus, nerui videntur esse.

Dicen-

Dicendum eſt ergo primum de Syntheſi, vel ſyſtaſi, quam Ariſtoteles in capite quarto Fabulam vocat, eamque definiens, eſſe rerum ipſam compoſitionem, conſtitutionemue pronunciauit. λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων. Fabulam hanc, inquit, intelligo ipſam rerum eſſe compoſitionem. Et paulo poſt. μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις. Horum verò maximum ipſa rerum coagmentatio eſt. Ex quibus intelligas non modo quid Syntheſis ſit, verum etiam hanc partem eſſe talem, ac tantam, vt in ea poſita eſſe omnia videantur. Vt enim in eodem capite confirmat Ariſtoteles, poëmatum animus, & quaſi ſpiritus hæc rerum ſiue compoſitio, ſiue coagmentatio eſt. De hac ergo coagmentatione, & compoſitione ſic præcipit, tum capite quinto, & ſexto, tum etiam alibi ſparſim: oportere principium habere ſuum, medium, ac finem accommodatum; nec vnde ſors tulerit incipere, aut vbilibet deſinere: oportere magnitudine terminari iuſta; qualis in pulcherrimis animantibus cernitur; quæ neque plus nimio proceræ ſunt, neque plus nimio paruæ: debere denique vnam eſſe; ſic, inquam, vt vnum ad finem vniuerſa colliment, quæ tractantur in opere.

Sint igitur etiam Elegiacæ coagmentationis eædem pene leges: vt principio nimirum, medio, fine conſtet accommodato; nec caſu incipiat, aut temere deſinat; ſed vnumquodq. ſic diſponat, & collocet ordine, quemadmodum in animantis corpore membra, vel in ædificatione partes operis diſpoſitæ ſunt. Vt enim Virgilius non quidem ab excidio Troiano, ſed ab errore illo ſeptenni ducit initium, deinde incendium Ilij, ceteraq. iam prætermiſſa Epiſodijs interſerit; ſic Elegiacus poëta exquiſitum aliquod, atque à communi abhorrens exordium afferet, ex ijs petitum fontibus, quos aperuimus cum ſupra de exordio ageremus: deinde paulatim ad rem ipſam exponendam, ac tractandam accedet: tum eandem amplificabit Epiſodijs, ad extremum clauſula terminabit, atq. idoneo fine concludet omnia. ex quibus exiſtet quidam in eo genere nexus, quædam præter opinionem, expectationemq. legentium ſolutio, ijs prope ſimilis, quas in poëmatis Epici conſtitutione cernimus. Cum ergo quædam ſint, quæ melius initio ponuntur, alia quæ in medio, alia demum quæ in fine collocantur artificioſius, erit eius, qui Elegiam veluti corpus componit ex partibus, omnia ſic digerere, vt quæ capitis locum obtinere debent, ne ponantur in fine, neue illa, quæ medium, aut vltimum ſibi vindicant locum, collocentur in capite.

Ex his vero partibus ita conſtitutis illa exiſtet vnitas, quam in coagmentatione ſummopere poſtulat Ariſtoteles. Quemadmodum enim Dramatis, vel Epopœiæ Fabula ita dicitur vna eſſe, ſi actiones ſingulæ, quæ tractantur in poëmate, ad vnam illam referantur prin-

cipem,

cipem, atq. præcipuam, in qua summa omnis continetur, & vis, sic profectò Elegiæ compositio tum habenda verè est vna, cum singula Episodia, siue longa illa sint, siue breuiora, ad rem à primo institutam appositè pertinebunt. Quamquam enim hæc longè differunt inter se, maximèq. distracta sunt, huius tamen beneficio partis, quæ synthesis, aut systasis dicitur, tam affabrè componuntur, vt omnia vnum esse videantur.

Restat ipsa constitutionis magnitudo, quam Aristoteles ait esse debere iustam vniuersè; nec præscribit nominatim alium poëmatis finem, nisi quem operis absolutio postulat. Quare nos, quod attinet ad Elegiæ magnitudinem, nihil certi statuere possumus. Si tamen antiquorum exempla sequenda sint, & eorum relegenda vestigia, qui hoc scriptionis genere omnium maximè floruere, dixerim, Elegiam paulo longiorem esse posse, quàm Oden. Nam præter vnum Ouidium, laudatissimus quisq. ex hisce limitibus vix excedit.

## De Moribus. Caput XVII.

ANtequam de moribus explicemus, illud hoc initio nosse oportet, quod ad omnia penitus intelligenda patefaciet viam: triplicem apud Aristotelem orationi moratæ subiectam esse notionem. prima in eo posita sermone est, qui facilè potest aliorum animos ad probos mores impellere: secunda in eo, qui ostendit dicentis mores esse bonos; vt cum oratores confirmant initio dicendi, se liberos omni perturbatione esse, Reipub. studiosos, iustos, probitatis amantes, &c. Tertia cernitur in poëmatis tantum, atq. in earum potissimum inductione personarum, quæ indicant quidem animi sui propensionem ad aliquid, vel sequendum, vel fugiendum, sed tamen quid eligant non plane declarant. Ita enim se res habet. mos quantum ad hanc notionem attinet, vel est innata nobis ad aliquid volendum, aut nolendum procliuitas, vel est ad idem ex frequentatis actionibus inueterata qualitas. Cum igitur is, qui loquitur apud Poëtas, indicat quidem hanc animi sui procliuitatem, & inueteratam consuetudinem, sed non aperit quid eligat, quidue demum velit, aut nolit, illius oratio morem habere dicitur. cum præterea declarat animi sensum, delectum, siue electionem, & voluntatem, tum est in oratione sententia, atq. affectus: de quibus in proximo post capite disputándum erit. Itaq. mos antecedit, sequitur ex eo, ac manat affectus, siue sententia, quæ in electione consistit. Sed hæc apud Aristotelem videamus; qui capite quarto poëtices ita morem definit. ἔστι δὲ ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποῖά τις, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον ἢ προαιρεῖται, ἢ φεύγει. est autem mos

quid-

quoddam huiuſmodi, quod aperit quidem alicuius electionem, aut inſitam voluntatem, declarando, qualis illa ſit, ſed tamen in ijs verſatur rebus, in quibus non dum apparet, eaſne ſequatur, an fugiat. In hunc enim modum placet, non tam ad verbum reddere, quam interpretari ſententiam Ariſtotelis. Atque vt breuiſſimè rem illuſtremus exemplo, quod proponit eo loco Pet. Victor. ita dicamus. Apud Euripidem Andromacha in Troadibus confirmat, in anteacta iam ætate domi ſe manſiſſe perlibenter, nec facile pedem foras extuliſſe, contra quàm pleræque feminæ vulgò faciunt; quæ ludos, & conuiuia frequentant: obſeruaſſe virum, eiuſq. haud grauatè ingenium toleraſſe. Quibus verbis aperit illa quidem ingenium, & naturam ſuam, adeoq. docet ſibi placere animi moderationem, & caſtitatem; ſed non plane tamen ſignificat affectum aliquem certum, electionemq. ab ea conformatione naturæ, vitæq. conſuetudine promanantem.

Hanc igitur deſcriptionem moris etiam in Elegia reperiemus. Addidit enim Ariſtoteles, eius eſſe, qui mores exprimere velit, intueri tria, neceſſarium, decorum, veroſimile. χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσι ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἢ τὸ εἰκός. oportet in moribus quærere, vel neceſſarium, hoc eſt decorum, vel veroſimile. At hæc exprimit haud minus Elegia, quàm faciat Epicus. Quamquam enim Elegia non ſemper inducit perſonas loquentes, tamen, & cum inducit, inducit ſuis præditas moribus, & cum poëta ipſe loquitur, perſonam indutus amantis, lugentis, aut geſtientis, præ ſe fert mores, habituſq. animi, quos vel neceſſitas, vel decorum, vel veriſimilitudo poſtulat. Facit igitur amantes incredulos, timidos, peruicaces, indociles, confidentes, ſuſpicioſos, omnia deteſtantes, molles, ignauos, varios, indignabundos; feminas inconſtantes, perfidioſas, formæ cupidas, voluptarias. Sed tamen hos affectus, quos electiones appellat Ariſtoteles, indicat leuiſſimè pars hæc qualitatis, quæ Mos appellatur. Nam eos apertè declarare eius eſt partis, quæ ſententia dicitur. Quòd ſi hæc in aliquo relegere velimus antiquorum exemplo, ſatis erit Elegia Tibulli decima libri primi: vbi mollem, delicatumq. ita ſuis ſe verbis effingit.

*Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?*
*Quàm ferus & verè ferreus ille fuit!*

Oſtendit enim ille quidem, ſe bella deteſtari, non tamen planiſſimè hanc ſententiam aperit animi ſui, niſi cum poſtmodum addit hæc de aureo ſæculo.

*Tunc mihi vita foret: vulgi nec triſtia noſſem*
*Arma, nec audiſſem corde tremente tubam.*
*Nunc ad bella trahor; & iam quis forſitan hoſtis*
*Hæſura in noſtro tela gerit latere.*

Sed de ſententia mox.

De

## De Sententia. Caput XVIII.

QVemadmodum in proximè superiori capite Morem, siue moratam orationem fecimus duplicem, vnam oratorum, alteram poëtarum, sic sententiam hoc loco distinguere bifariam, ac bipartitò diuidere necesse habemus; hoc est in eam, quæ pertinet ad oratores, & in alteram, quæ poëtarum est propria. non quòd illa oratorum seruire poëticæ non queat, sed quòd de ea præcipiant tantummodo Rhetores; de hac ij solum præcepta describant, qui poëticæ proprium artificium persequuntur. Cum igitur eius cognitio sententiæ, quæ Rhetorum est, ad hanc etiam, quæ conuenit in poëticam, aliquid afferre momenti possit, dicam primum quæ nam, & quotuplex illa sit: vt demum intelligatur, an cum ipsa quoq. communicari queat Elegia.

Est adeo sententia apud dicendi magistros, & Rhetores nihil aliud, quàm oratio sumpta de vita; hoc est oratio, quæ demonstret, doceatque breuiter, & summatim qualem vitam ipsam esse oporteat, & quibus officijs, aut virtutibus informatam. Eiusdem autem partitio sententiæ, vt à Quintiliano didicimus, huiusmodi est; vt alia dicenda sit simplex, alia complexa, siue composita. Simplicis exemplum esto. Ne quid nimis. Nosce te ipsum. Compositæ: Obsequium amicos, veritas odium parit. Alia sententiæ potest esse diuisio, in eam, quæ referatur ad personam, & in eam, quæ rem tantummodò complectatur, & explicet. Prioris exemplum apud Quintilianum hoc est. Principes, qui scire omnia volunt, multa necesse habent ignoscere. Posterioris. Nihil est tam populare, quàm bonitas. Videtur hæc accepisse Quintilianus ab Aristotele. qui in libro Rhetoricorum secundo in eundem prope modum de hoc argumento disputauit. Ac primo quidem sententiam sic definiuit. Sententia est enunciatio, non quidem de singulis rebus, aut hominibus, vt qualis, aut qui vir Iphicrates sit: sed vniuersè prolata. neque de quibuslibet rebus: vt si quis rectum obliquo contrarium esse dixerit; sed de rebus agendis, deq. ijs, quæ in agendo prosequenda sunt, aut fugienda. Quæ definitio ita potest explanari per partes. Ait, sententiam esse nihil aliud, quàm enunciationem: vt intelligamus, esse oportere propositionem integram, & perfectam, quæque aliquid esse, vel non esse significet. Sed cum enunciationes aliquæ de rebus peculiaribus sint, hoc est, eæ, quæ de vna tantum re, vel de vno certo proferuntur homine, aliquæ verò generales, hoc est eæ, quæ de vniuersis vniuersè dicuntur, docet, enunciationem illam, quæ propriè sententia est, non esse de singulis rebus, neque de certis qui-

quibusdam hominibus, sed de vniuerso genere prolatam vniuersè. Est enim sententia quoddam veluti decretum, & lex: leges autem, & decreta feruntur in omnes. Quoniam verò hæ quoque generales enunciationes de rebus esse possunt, quæ non cadunt in actionem, neq. vitam instituunt humanam, sed intelligentiam tantum hominis per contemplationem alunt: qualis esset ea, quæ declararet, ab inani, & vacuo rerum naturam vehementer abhorrere, vel quemadmodum ipse ait, obliquum esse recto contrarium, id etiam disertè subiungit; oportere huiusmodi enunciationes, quæ propriè dicendæ sententiæ sint, esse de actionibus humanis: vt de administranda Repub. de virtutibus excolendis, de fugienda improbitate, deq. alijs eiusmodi rebus, quas aut expetere solemus, aut declinare. vt: Pleriq. metu cessant peccare, non innocentia. Omnes sibi melius esse volunt, quàm ceteris. Nulla re propius accedimus ad Deum, quàm misericordia. Atq. hanc in hunc modum tradit Aristoteles sententiæ definitionem. Partitionem autem adiungit eam, quam ab ipso Quintilianus expressit. Quamquam enim genera sententiarum vult esse tātummodò duo, vult tamen ea esse veluti fontes, & capita ceterarū, à quibus aliæ duæ à Quintiliano descriptæ promanant. Primum ergo genus facit earum, quæ rationem adiunctam habent. Vt apud Terentium in Adelphis. Homine imperito nihil fieri potest iniustius: qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat. quæ quidem sententia respondet illi, quæ composita dicitur, aut complexa. Alterum genus docet rerum earum esse, quæ sine ratione subiecta proferuntur. Vt apud eundē Terentium in eadem Fabula. Pecuniam in loco negligere magnum interdum est lucrum. hæc autem similis illi est, quæ simplex appellatur. Causa verò huiusce bipartitæ diuisionis ea videtur esse, quemadmodum ipse docet Aristoteles, quòd enunciationes huiusmodi de rebus humanis aliquæ sint admirabiles, aut incredibiles, & paradoxis similes, nec facilè fidem inueniant apud auditores, nisi subiecta ratione probentur. Non enim credit vulgus quod magnificè diceres: iniuriam accipere melius esse, quàm inferre. debet adeo eiusmodi sententia ratione subiuncta probari, ac demonstrari. Aliquæ vero sunt, quæ nihil habent abhorrens à vulgari opinione, ac propterea probatione non indigent. Quotus enim quisq. verum esse non credat illud?

----------------*trahit sua quemq. voluptas.*

Hæc ergo sententia, quod dicere institueram initio, à dicendi magistris sic exposita, & explanata, non est à poëtis aliena. quippè qui docent etiam interdum vniuersè quid expetendum in vita homini sit, quid fugiendum. Vt.

------------*Varium, & mutabile semper*
*Femina*

*Quid*

-------------Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?
-----------Superanda omnis fortuna ferendo est.
-----------Facilis iactura sepulcri.

Quæ postrema, quia non vnicuiq. videbatur esse probabilis, cum pleriq. de suo laborent sepulcro, deq. sui nominis fama secundum obitum extendenda solliciti sint, adiuncta ratione probatur.

*Iam pridem inuisus Diuis, & inutilis annos*
*Demoror, &c.*

Sunt itaque, vt eò tandem accedam, quò deuenire consilium est, suæ in hoc genere sententiæ etiam Elegijs: sed humiliores, & suauiores quàm illæ tam grandes Epicorum. Quod enim ille de mobilitate, ac leuitate feminæ ita splendidè dixit, pronunciauit item Tibullus, sed suauius, & temperantius in Elegia iv. lib. iij.

*Ah crudele genus: nec fidum femina nomen.*

Et ibidem paulo post.

*Sed flecti poterit; mens est mutabilis illi.*

Quod Propertius expressit, additis comparationibus, aliquanto magnificentius: sed à suauitate tamen Elegiæ non longè discessit in libro secundo Eleg. vij.

*Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,*
*Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.*
*Quam cito feminea non constat fœdus in ira.*

De auro autem, pecuniaq. idem Propertius haud dissimilia loquitur ijs, quæ dicta sunt à Virgilio.

*Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es? &c.*
*Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes, &c.*

De patientia demum animi rebus in arduis retinenda Ouidius idem cecinit, quod de superanda fortuna Virgilius affirmauit.

*Perfer, & obdura. dolor hic tibi proderit olim.*

Qui quidem poëta omnium maximè hisce sententijs abundat, & ijs nominatim, quæ compositæ sunt, ac rationem enunciationi subiungunt.

Ceterum, hoc de sententiarum genere, quemadmodum initio dixi, non loquitur Aristoteles cum in poëticis de sententia præcipit; sed de quadam animi, voluntatisque declaratione planissima, quæ certis consequitur ex moribus, de quibus ante disputauerat.

In hac enim parte illa est electionis apertissima significatio, quæ in superiore tantum adumbratur. Sic enim in capite quarto poëtices docet hæc Aristoteles. Sententia in ijs est, in quibus ij, qui dicunt, sui declarant animi voluntatem. Quid autem in tractanda sententia sequi debeamus, exposuit capite decimonono, vbi planissimè confirmat,

ſententiæ officium eſſe, demonſtrare, ſoluere, affectus excitare, rem aut imminuere, aut amplificare. Ex quibus id quod in affectibus eſt poſitum ita huic poëmati, quo de agimus congruit, vt nullum apud poëtas ſcriptionis genus magis patheticum inueniatur, quàm Elegia. Mores igitur ipſos varij conſequuntur affectus, gaudium dolor, triſtitia, cupiditas, odium, amor, ceteri, qui ſua exprimi ſinguli ſententia debent ad viuum. Quàm enim ſpirat ardenter ille apud Propertium Arethuſæ in coniugem abſentem, atque in caſtris verſantem amor?

*Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis:*
*Eſſem militiæ ſarcina fida tuæ.*
*Non me terrerent Scythiæ iuga, cum pater altas*
*Africus in glaciem frigore nectit aquas.*
*Omnis amor magnus, ſed aperto in coniuge maior.*
*Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipſa facem.*

Et paulo poſt etiam mollius hunc affectum animi patefaciens eadem Arethuſa, amorem ſuum eſſe meticuloſum muliebriter indicat.

*Dic mihi num teneros vrit lorica lacertos?*
*Num grauis imbelles atterit haſta manus?*
*Diceris & macie vultum tenuaſſe; ſed opto*
*E deſiderio ſit color iſte meo.*

Eamus per alios affectus. Triſtitiam ſic expreſſit Ouidius in Amorum primo libro Elegia duodecima.

*Flete meos caſus; triſtes rediere tabellæ.*

Et Propertius libro primo Elegia duodeuigeſima.

*Hæc certè deſerta loca; & taciturna querenti,*
*Et vacuum Zephyri poſſidet aura nemus.*
*Hic licet occultos proferre impune dolores:*
*Si modo ſaxa queant ſola tenere fidem.*

Gaudium idem Ouidius in Amorum ſecundo, Elegia duodecima.

*Ite triumphales circum mea tempora lauri.*
*Vicimus, &c.*

Et Propertius libro ſecundo, Elegia quinta decima.

*O me felicem, nox ò mihi candida, &c.*

Timorem Tibullus: libro tertio, Elegia quarta.

*Dij meliora ferant, nec ſint inſomnia vera,*
*Quæ tulit heſterna peſſima nocte quies.*
*Ite procul vani, falſumq. auertite viſum, &c.*

Et in eodem libro Elegia quinta.

*At mihi Perſephone nigram denunciat horam.*
*Immerito iuueni parce nocere Dea.*

Sed hi, ceterique apud Elegiacos affectus animi non ſic exprimuntur ma-

magnificè, quemadmodum eos expressos apud Virgilium, aliosq. poëtas intuemur, sed suauius, molliusque; vt ipsa postulat Elegiæ ratio. Quare de dictione postremo loco dicendum est.

## De Dictione. Caput XIX.

Dictionem Aristoteles ait esse τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν: interpretationem animi per verba. Hoc enim ordo postulabat; vt constituto poëmate per synthesim, expressis moribus, exposita sententia, dictio ad extremum adderetur apposita, & verba eligerentur idonea sententijs.

Dixerim ergo primum vniuersè: dicendi genus Elegiacum esse debere medium, ac temperatum. Habent enim etiam poëtæ tria genera, characteresq. dicendi; qui à Virgilio, vt docet Macrobius, expressi tribus operibus sunt. Scripsit quippè Bucolicon humili genere, Georgica medio, Æneida sublimi, atq. grandiloquo; quemadmodum argumentum, & materia postulabat. Cum igitur Elegiæ materia sit humili, magnæq. plerumq. interiecta, intermediam quoq. dicendi vult notam, hoc est floridam, & temperatam. Itaq. mollis Elegiæ dictio esse debet, simplex, candida, suauis, speciosa verbis, nitore venusta, ordine, ac modo concinna. quas virtutes, atq. ornamenta licebit in Tibullo, in Propertio, in Ouidio ipso relegere. Nam Propertius, vt ait Scaliger, candidus est, & limatior, quàm à plerisq. iudicetur; Ouidius tener, ac simplex, Tibullus æquabilis, delicatus, semper idem: Cornelius Asinij Pollionis filius, atq. à Virgilio adamatus habitus est inter Latinos durior, vt docet Quintilianus; sed miror, si vera Cornelij Galli, antiqui poëtæ illa est Elegia, quam paucis ante annis edidit Aldus mutilatam, & curtam. Nam quæ Cornelij Galli inscriptæ nomine circumferuntur elegiæ, & voluminibus Tibulli, atq. Propertij à librarijs adduntur, non Cornelij sunt, sed Maximiani Galli, qui non ita superiori vixit memoria, vt discere potes à Lilio Gyraldo in Histor. poëtarum. Illud, inquam, fragmentum Cornelij Galli, quod expositum est ab Aldo, non modò duritie caret, atq. asperitate, verum etiam eam habet dictionem, vt à Tibulli suauitate parum discedere, cum Propertij grauitate contendere videatur. Sic enim ipse Cornelius canit, ac loquitur in Parthorum castris sub Ventidio clarissimo Imperatore, factus certior de valetudine Lycoridis, quam in Vrbe reliquerat.

*Illa meos reditus spe non præsumit inani,*
*Et fouet in tacito gaudia certa sinu.*
*Me vocat absentem, me me suspirat in vnum;*
*Et de me noctes cogitat, atq. dies.*

*Quin etiam argento, puroq. intexitur auro*
*Altera iam castris parta lacerna meis.*
*Illic bellantum iuuenum studiosa figuras,*
*Atq. audita leui prælia pingit acu.*
*Pingit & Eufratis currentes mollius vndas,*
*Victricesq. Aquilas sub duce Ventidio.*
*Qui nunc Crassorum manes, direptaq. signa*
*Vindicat Augusti Cæsaris auspicijs.*
*Parthe tumens animis, & nostra cæde superbe,*
*Hic quoq. Romano stratus ab hoste iaces.*
*At mea cum primis victrix apparet imago:*
*Exigit hoc pietas, & bene fidus amor.*
*Ipsa quoq. exprimitur deiecto pallida vultu:*
*Stat lacrymans, & me penè vocare putes.*
*Quàm bene, cum ferrum non dum prodiret in auras,*
*Omnia pacis erant; & sua cuiq. satis.*
*Diues erat, si quis parui possessor agelli*
*Seuerat ille prius, deinde coquebat olus.*
*Non locus inuidiæ, quamuis vicinus abundè*
*Et pecus & messes, mustaq. haberet ager.*
*Cur mihi non illis nasci mea vita diebus*
*Contigit: inuidit quis bona tanta Deus?*
*O niueas luces, ò aurea tempora, verè*
*Aurea Saturni sæcla fuere senis.*
*Nunc ferrum erupit, rabiesq. asperrima ferri, &c.*

Ex horum, inquam, poëtarum Elegijs petenda est vera dicendi nota. quæ, vt diximus, candida est, florens, concinna, iucunda. Sed sunt tamen quidam quasi loci vnde peti huiusmodi iucunditas, & concinnitas debet. Ac primo quidem sunt numeri: quorum alij sine dubio alijs sunt, aut dulciores, aut concinniores, aut grauiores. Grauis enim est, sed cum suauitate coniunctus ille, quo sæpe vtuntur initio versus hexametri.

*Ibitis Aegæas*
*Musa Palatini.*

Aut initio etiam ipsius pentametri.

*Non exorato stant adamante fores.*
*Iungere pallentes nubilus annus equos.*

Ille suauior, qui ab ecthlipsi, aut collisione litterarum existit.

*Magnum iter; ad doctas proficisci cogor Athenas:*
*Crescit enim assiduè spectando cura puellæ.*

quod est apud Propertium. Et quod apud Tibullum

*Ipsum etiam solem defectum lumine vidit.*

Suauiſſimus tamen omnium eſt,& grauiſſimus ille apud Ouidium:qui partim fit ex colliſione,partim ex penultimo ſpondeo.

*Caſtori Amyclæo,& Amyclæo Polluci.*

Petitur interdum concinnitas à quadam quaſi celeritate,ac trepidatione verborum. Vt apud Tibullum.

*Cæruleus placidis per vada ſerpis aquis.*

*Namq.agor,vt per plana citus ſola verbere turbo.*

Interdum à tarditate,vel grauitate.vt in Elegia tertia libri ſecundi.

*Claudit & indomitum moles mare;lentus vt intra*

*Negligat hibernas piſcis adeſſe minas.*

Et alibi.

*Parce per immatura tuæ precor oſſa ſororis.*

Interdum à quadriſyllabo in fine pentametri, qui numerus ſemper habitus eſt mollior in Elegijs,Scaligero teſte in Hypercritico; videturq. accommodatus præſertim argumentis flebilibus:quale illud eſt Catulli plane in loco.

*At tu non orbum luxti deſerta cubile;*

*Sed cari fratris flebile diſſidium.*

Nam ceteroqui videtur Catullus nimius in huiuſmodi quadriſyllabis,fractus,& veluti confragoſus. Sunt tamen qui illa ipſa Catulli duritie, atq. aſperitate ſic delectantur, vt eam audeant etiam imitari. Principatum in his habent Fracaſtorius, & M.Antonius Flaminius. Illius enim Elegiam legimus in eo genere, elaboratam in obitu M. Antonij Turrij Veronenſis,hoc initium præferentem.

*Et ſi ego met tanti caſu perculſus amici*

*Solamen noſtris diſcuperem lacrymis,&c.*

Huius illam de Amore Lycinnæ.

*Quid mirare tuo ſi regnat corde Lycinna;*

*Nec ceſſat tantis te cruciare malis?*

*Crede mihi non ſolus amas.Veneris puer omnium*

*Eſt Diuum,atq. hominum maxima pernicies.*

Et eam,in qua Pauſilypi colles Neapolitanos alloquitur.

*Pauſilypi colles,& candida Mergellina,*

*Et myrteta ſacris conſita littoribus,&c.*

Sunt, inquam, quibus hæ placeant numerorum ſalebræ, & quadriſyllabon illud in fine. mihi probantur quidem, ſed nominatim in argumento flebili,aut alioqui atroci, ac peracerbo, quemadmodum dixi. In alijs enim argumentis,biſyllabus videtur eſſe iucundior; ille præſertim,quem antecedunt aliqua interdum participia paſſiua,quæ admirabilem pentametro venuſtatem addunt,vt apud Tibullum.

*Inſideat celeri conſpiciendus equo.*

*Somnia ter ſalſa deueneranda mola.*

*Incedat donis conspicienda meis.*
*Mœnia consorti non habitanda Remo.*
*Sed culta, & diris non habitanda domus.*
*Aëriæ & nubes diripienda ferant.*
Ceterum ad suauitatem Elegiacæ dictioni conciliandam, erit ex vsu plurimum obseruare ipsarum sonum, & quasi qualitatem litterarum. Nam, vt de vocalibus primum dicamus, A, & O, magnum efficiunt sonum. Italiam fato. Ionio in magno. & Neptuno Ægæo. E, non habet tam magnum sonum, sed mediocrem, adeoque verba, quæ huiusmodi vocalem habent, erunt suauiora, quàm prima; vt ciere, dicere. I, minus etiam sonat, & mollit vocem. Vt vidi, vt perij. omnium verò accidit mollissimè, ac suauissimè V, præsertim si in eadem voce geminetur.
*Et color in niueo corpore purpureus.*
Ex consonantibus autem F, spiritum habet, & quasi flatum; ac propterea erit ea littera rebus violentis, aut æstuosis exprimendis accommodata.
------------*ferunt sua flamina classem.*
-----------*fractasq. ferunt ad littora voces.*
------------*fracta remurmurat vnda.*
S, sibilum habet clarum, si sequatur vocalis: videturq. suauis.
-----------*sale saxa sonabant.*
Z, stridorem.
*Quinque tenent cœlum Zonæ.*
Et ---------*nemorosa Zacynthos.*
R, Asperitatem.
*Asper acerba tumens. studijs asperrima belli.*
N, tinnitum quodammodo tremulum: nomina, numina, neminem.
M, vt diximus, in Ecthlipsi suauitatem.
L, mollitudinem incredibilem. vt non immerito hæc littera dicta sit liquida, quasi mollis, ipsiq. palato quodammodo lubrica: quod Persius expressit his versibus.
*Phyllidas, Hypsipylas, & vatum plorabile si quid*
*Eliquat, & tenero supplantat verba palato.*
Nec sine summo consilio, ac ratione Virgilius, quemadmodum animaduertit Quintilianus, hanc litteram eo versu frequentauit, quem volebat esse dulcissimum.
*Mollia luteola pingit vacinia caltha.*
Quin omnes omnino poëtæ, cum mollitudinem quærunt in litteris, confugiunt ad illa diminutiua, quibus abundat vbiq. Catullus; sed in eo præsertim ludo, vbi sunt hæc.
*Ne laneum latusculum, manusq. mollicellas*
*Inu-*

*Inusta turpiter tibi flagella conscribillent.*

Esset facilè per ceteras litteras eadem via iter habere: sed ex his satis, superq. potest intelligi; illud videndum esse Elegiaco poëtæ, vt tam è vocalibus, quàm è consonantibus seligat eas, quæ suauiores esse videbuntur, ac dulciores.

Ad figuras potius extremo loco veniamus: in quibus maximè dictionis posita est vis. ac eas primò perstringamus, quibus vix aliquod imponi potest nomen: quales sunt quædã enclyticarum traiectiones.

*Nec cithara, intonsæ profueruntq. comæ.*
*Pocula de facili composuitq. luto.*
*Messalam terra dum sequiturq. mari.*
*Serus inoffensum rettuleritq. pedem.*
*----perfractas conqueriturq. fores.*
*Texuit, auratas disposuitq. vias.*
*Dolia dum magni deficiuntq. lacus.*
*Accendet; flammas transilietq. sacras.*

Et syllabarum dissolutiones in certis quibusdam verbis, quæ facile distrahi possunt.

*Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.*
*Stamina non vllo dissoluenda die.*
*Nulla queat posthac quam soluisse dies.*
*Sit satis ornatas dissoluisse comas.*

Et temporis præsentis in præteritum commutationes, quibus frequentissimè Tibullus vtitur in Modis infinitis. vt in Elegia iv. lib. j.

*Nec te pœniteat duro subijsse labori,*
*Aut operi insuetas atteruisse manus.*

Et in Elegia prima libri secundi.

*Nec pecudes, velut ante, petit: fixisse puellas*
*Gestit, & audaces perdomuisse viros.*

Similem temporum commutationem habere videtur etiam illud in Elegia sexta libri tertij.

*Ite procul durum curæ genus, ite labores.*
*Fulserit hic niueis Delius alitibus.*

pro fulgeat; nisi modus quidam potentialis sit, vt loquuntur Grammatici.

Aliæ sunt figuræ suis distinctæ nominibus cum ceteris quoq. poëtis communes, sed quæ propriam quandam sibi vindicent in Elegia rationem. Quis enim repetitione non vtitur? illa tamen suum videtur habere modum apud Elegiacos minimè communicatum cum alijs. vt apud Ouidium.

*Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.*
*Attice, crede mihi, militat omnis amans.*

Et

Et *Semibouemq.virum,semiuirumq.bouem.*
Et *Cedere iussit aquam,iussa recessit aqua.*
Aut apud Tibullum alia frequens huiusmodi repetitio.
*Cespitibus mensam,cespitibusq.torum.*
Quæ quidem repetitiones videntur illis similes, quæ sunt in aliorum versibus:sed ratione discrepant,ac modo. Vt
*Dicemus,Daphninq.tuum tollemus ad astra:*
*Daphnin ad astra feremus. amauit nos quoq. Daphnis.*
Et *Pastorum Musam Damonis,& Alphesibœi,*
*Immemor herbarum quos est mirata iuuenca*
*Certantes,quorum stupefactæ carmine lynces.*
*Damonis Musam dicemus,& Alphesibœi.*
Vel apud Catull. *Gemelle Castor,& Gemelle Castoris.*
Vel apud eundem Virgilium.
*--------------------------Nymphæ,*
*Laurentes Nymphæ,*
cum appositione illa epitheti, quæ maximum addit ornamentum.
Hæ,inquam repetitiones, vt similes videantur repetitionibus Elegiacorum,habent tamen aliam collocationem, & modum. Quam enim dissimilis illa?
*Dum cumulant aras ad tua sacra veni:*
*Sed nitidus pulcherq.veni,&c.*
Et *Garrula syluestri fistula sacra Deo.*
*Fistula cui semper decrescit arundinis ordo.*
Vel *Et seu quid merui,seu quid peccauimus,vror,*
*Vror io.remoue sæua puella faces.*
Vel *Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:*
*Abstineas auidas mors precor atra manus.*
*Abstineas mors atra precor.*
*Annuat & Cherinthe tibi quodcumq.rogabis,*
*En age quid cessas? annuit ille,roga.*
Ad repetitionis figuram referri, ac reuocari debet versus intercalaris, quo inter Elegiacos poëtas reperio singulariter vtentem Ouidiũ in Amor.libro primo Elegia sexta.vbi subinde,atq.identidem repetit hunc versiculum.
*Tempora noctis eunt;excute poste fores.*
Haud minorem habet varietatem apostrophe. Quamquam enim familiaris est Heroicis, Elegiacis tamen esse videtur, & audacior, & frequentior.Illæ enim apud Virgilium,
*Te nemus Angitiæ,vitrea te Fucinus vnda,*
*Te liquidi fleuere lacus:*
*---------------Tuus ô clarissime frater*
Pan-

*Pandare:* &

*Hinc albi Clitumne greges;*

apostrophæ quidem sunt: sed longè differunt à subitis quibusdam, necopinatis Elegiæ conuersionibus ad personas, ad res inanimas, ad stirpes, & saxa, ad montes, & oppida, ad alia, de quibus nullus erat institutus sermo, nulla commemoratio.

*Quidue domus prodest Phrygijs innixa columnis*
*Tænare siue tuis, siue Cariste tuis?*

quod est apud Tibullum in Elegia tertia libri tertij. & apud Propertium in prima libri quarti.

*Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:*
*Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.*

Obuiæ sunt huiusmodi conuersiones apud omnes quidem, sed apud Ouidium præsertim, qui multus in his est: ac fortasse plus nimio figuram illam persequitur.

Habet præterea locum in Elegia peculiarem comparatio, à comparationibus Heroicorum haud mediocriter differens. His enim comparationes sunt explanatæ, longeq. tractæ similitudines.

*Ac veluti optata ventis æstate coortis*
*Dispersa immittit siluis incendia pastor, &c.*
*Quàm multa in siluis autumni frigore primo, &c.*

Elegiacis autem poëtis sunt contractiores, & leuiter indicatæ: nec fermè producuntur, nisi per conglobata. Vt apud Tibullum in Elegia quarta libri tertij.

*Candor erat qualem præfert Latonia Luna,*
*Et color in niueo corpore purpureus.*
*Vt iuueni primum virgo deducta marito*
*Inficitur teneras ore rubente genas.*
*Vt cum contexunt amaranthis alba puellæ*
*Lilia, & autumno candida mala rubent.*

Et in Elegia quarta libri primi.

*At si tardus eris, errabis. transiet ætas*
*Quàm citò non segnis stat, remeatq. dies.*
*Quàm citò purpureos deperdit terra colores,*
*Quàm citò formosas populus alta comas.*
*Quàm iacet, infirmæ venere vbi fata senectæ,*
*Qui prior Elæo est carcere missus equus.*

Et apud Ouidium in Elegia quinta libri primi.

*Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ:*
*Quale ferè syluæ lumen habere solent.*
*Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo;*
*Aut vbi nox abijt nec tamen orta dies.*

Ac paulo post.

*Qualiter in thalamis formosa Semiramis isse*
*Dicitur, & multis Lais amata viris.*

Quæ postrema comparatio mihi redegit in memoriam genus quoddam conglobatarum similitudinum à fabulis, aut ab historijs petitum, Ouidio si minus proprium, certè maximè familiare. nisi fortasse, non tam ad comparationem, quàm ad exemplum locus huiusmodi pertinere possit. Sic igitur in Elegia septima libri primi.

*Talis periuri promissaque, velaq. Thesei*
*Fleuit præcipites Cressa tulisse Notos.*
*Sic, nisi vittatis quòd erat Cassandra capillis,*
*Procubuit templo casta Minerua tuo.*

Quin Elegiam decimam ab huiusmodi comparationibus exorditur. & ijsdem comparationibus promouet.

*Qualis ab Europa Phrygijs aduecta carinis*
*Coniugibus belli causa duobus erat.*
*Qualis erat Lede, &c.*

Ceteræ quoque figuræ suppetunt omnes apud poëtas Elegiacos: interrogationes, concessiones, correctiones, allegoriæ, parabolæ, hyperbolæ, paranomasiæ, allusiones, antitheta. Sed nihil propemodum habent, cur distinguantur ab ijs quas alij poëtæ vulgò tractant in carminibus suis. Hæ de multis paucissimæ idcirco à me fuerunt hoc loco perstrictæ, quòd notam quandam videantur habere peculiarem, ac propriam Elegiæ.



# *RECENSIO RERVM NOBILIVM quæ toto continentur in opere.*

Numerus paginam: p. principium, m.medium, f.finem paginæ significat.

A




Abstractiones animi. Vide, *Animus*, *Vacatio*.

Abyla, Calpeque diuulsæ vi irrumpentis Oceani. 88.p.m.89.f.

Acheron quid Platonicis.235.f.

Achilles ante Argonautarum expeditionem natus. 43. f. 47. m. fuerit ne Phthius, an Larissæus. 68. 69. eius ocreæ stanneæ, an ferreæ. 15.f. 103.p. ex ira furentis hominis symbolum. 230.m. optimiq; ducis. 231.m. Vide, *Pedes*.

Ακροβατικὸν machina quid.272.m.

Actus fabulæ quid, vbiuè terminentur. 368.p. quot esse debeant.275.f. Chori interuentu distinguuntur. 276. p. olim plures,pauciores uè,quàm quinque. 372.373.tamen quinque retinendi. 373. m.si nguli non habeant plus septem scenis. 374. p. Cur Actus aliqui in Tragœdia dicantur Episodia. 276.f.277.m. præter cantum tibicinis interseri possunt actibus machinæ, saltationes, ac personæ extra argumentum colloquentes. 368.m.370.m. immo & Dij per machinam. 371. p. Vide, *Chorus*, *Scena*.

Adolere vnde dictum. 107.f.

Adolescentes cuiusmodi in Comœdijs inducantur. 392.f.

Aduersitor seruus quid.345.f.

Aegyptus mobilis. 85. p. quæ portenta pro Dijs coleret. 114.m.

Aemilius Macer Iliadem conatus absoluere.200.p

Aenaria Insula, Vide, *Inarime*.

Aeneas an primus in Italiam venerit. 24.25. An Didoni suppar ætate fuerit. 41.42.46. Troiam Græcis cum Antenore prodidit. 49.f. 52.p. m. an verè pius.47.f. Viri prudẽtis,omniq; virtute instructi symbolum. 235. p. 239.240.& optimi Imperatoris.ibid. eius virtutes.244.245.246.

Aeneis an ijs versibus inchoetur, *Ille ego qui quondam*. 20.21.22. eius argumentũ, Aeneas errans,ac laborans ad parandam Italiam. 63. f. 209. m. cur eam cremari Virgilius iusserit. 198.f. an ad eius absolutionem desiderentur,quæ Vegius addidit.198.f. 246.m. an rectè Turni morte terminetur. 197.p. 200. 201. tota est vna actio. 202. p. f. quia vnius hominis, vnoq;fine circumscripta.208.p. Iliadem continet,& Odysseam.208.m.f. 209.m.244.m.Vide, *Maphæus*, *Tucca*, *Virgilius*.

Aes an pro ferro aliquando sumatur. 110.p.m.

Aeschylus primus è scena abstulit cruenta spectacula.307.m.

Aesopi Phrygis fabulatoris argutè dictum.228.m.

Aetas bona iuuentus: senectus mala. 169.f.170.

Aetnæ Virgiliana descriptio contra Phauorinum defenditur.92.93.

Affectus,seu perturbationes animorum à corpore potissimum,siue ab anima sentiente promanant.136.f.137.f.remanent post mortem ex Platonicorum sententia,nisi antea virtutis beneficio purgati sint.137.f. exuperantia quædam in his est,quam purgari oportet.251.f.252.p.quid sit affectus purgare 339.m.Vide, *Ebrietas*.

Agamemnon hominis libidinosi symbolum.230.m.

Agna, vel ouis mactabatur Iunoni. 115.p.

Agnitio in fabula quid. 293.f. An possit esse sine peripetia.293.f.294.m.f.quãquam vbi agnitio, ibi peripetia, potest hæc tamen ante illam collocari. 294.f. duplex est: vel cùm vterque ab vtroque, vel cùm alter tantum agnoscitur.297.p.fit per signa,vel innata,vel aduentitia.297.m.298. item è signis corporis, aut extra corpus. 298.m. quænam dicatur excogitata à poëta,vel extra fabulam. 298.f. 299. præclara, quæ ex rerum serie quasi necessariò nascitur.299.p.m.300.301. quædam fit beneficio recordationis. 301. f. 302. p. quædam per syllogismum.302.m.f.303.p. interdum etiam per paralogismum. 303.m.f. omnium optima, quæ maximè verisimilis, & admirabilis.304.p. Vide etiam *Error, Tragœdia.*

Alba longa ab Ascanio condita. 41.f.

Alexander Macedo qualem mortem timuerit.34.m.an temerarius sese obijciens discriminibus. 156.f. cur Iliadem Homericam lectitaret. 231. m. corpore fuit maximè temperato.242. m.quantopere cantu musico permotus sit.397.m.

Alexander Seuerus Imperator quàm honorificè appellaret Virgilium. 220.m.

Allegoria in Epico poëmate exploditur ab Aristarcho.213.m.cui contradicunt reliqui omnes. ibid. Est proprius poëtæ character,ac nota. 214. p.turpitudinem obtegit fabularum. 215.m. 217. An eius meminerit Aristoteles in Poëtica. 216. m.f. 217. p. Allegoria raptæ Helenæ, domumque post decennium reuectæ. 214. m. rerum naturalium aliquæ. 221. f. 222. 223.224. rerum moralium. 225. 226. Vide, *Enargia, Epica, Landinus, Paris, Virgilius, Vulcanus.*

Amœbæum carmen,eiusque leges.380. Vide, *Pastoritia.*

Amphiboliæ exempla.15.p.m.

Anachronismus, non solum permutat tempora,sed antiquis etiam vocabulis pro nouis vtitur,& contra.107.p. 108.m.109.f.122.m.patet latius quàm prolepsis.ibid. Vide, *Anticipatio,* seu *Prolepsis, Poëta.*

Ancillulæ, Anusq; ridiculæ qua forma fuerint in Comœdia.346.p.

Anima corpori inclusa ceu carceri.235. m. illam ab initio procreatam cum Angelis,mox demissam in corpus error Platonicorum. 236. f. eius vehicula duo, ostracium,& æthereum,ex ijsdem. 188. p.m. eorum animas, qui suffocentur aquis, penitus interire persuasũ antiquis. 35.m.animæ mortuorum, siue Vmbræ an strictos gladios,ac lanceas timeant. 137.p. Animi à corpore abstractio philosophica. 241. eæ numerantur septem. 242. 243. Vide, *Vacatio.*

Animantes quadrupedes vt pedes moueant.3.p.variæ pro Dijs sunt habitæ. 114. p. m. quædam propriæ Dijs singulis victimæ. 114.f. 115.p. quasdam sibi Dij vt proprias seponebant. 115. m. Vide, *Dij.*

Anser Isidis victima.115.p.

Antenor primusnè è Troia venerit in Italiam.24.m.Vide, *Aeneas.*

Anticipatio figura, quæ & Prolepsis, & Præsumptio poëtis vsitata.39.m.40.p. fit cum vocabulis nouis appellamus ea, quibus id nomen nondum erat impositum. 122. m. quid differat ab anachronismo.ibid.exempla eius aliqua. ibid. quo tempore ea vti fas sit. 123.p. triplex est, Grammatica, Oratoria, Poëtica: postrema duplex.123. f.124.p.Vide, *Poëta.*

Antistrophe. Vide, *Chorus, Dithyrambus, Strophe.*

Antode. Vide, *Chorus.*

Antoninus Imperator cur dictus Pius. 50.f.

Apelles pictor Ephesius, non Cous. 69. m.diuinus quãdo dici ceperit.120.f.

Apollonius cur dictus Rhodius, cùm fuerit Alexandrinus.69.m. Vide, *Argonautica.*

Apparatus, seu spectaculum quid in

Tragœdia. 266. p.m. ab arte poëtica alienus. ibid. Vide, *Poëma.*
Apulia cur dicta Virgilio humilis Italia. 91. p.
Aquila Thebanis pro Deo culta. 114. p. Vide, *Cycnus.*
Ara. Vide, *Pulpitum.*
Archias belli Cimbrici scriptor contra fabulæ vnitatem peccauit. 206. m.
Arcticus, & Antarcticus polus. Vide, *Cœlum.*
Argentarij qui dicantur latinis. 107. m.
Argo nauis in Cœlo collocata. 165. m.
Argonautica scripserunt Orpheus, Epimenides Gnosius, Apollonius, Varro Atacinus. 206. m. omnes contra vnitatem fabulæ peccarunt. ibid.
Arimi populi, qui & Arimæi. 175. f. in Syria, vel Cilicia sunt, non prope Prochytam. 176. p. Arimi Etruscorum lingua dicuntur Simiæ. 176. m. Vide, *Typhœus.*
Argumẽta, seu Periochas Plautinis, Terentianisque Comœdijs quis fecerit. 361. m. 362. p. primis versuum literis nomen Comœdiæ continebant. 361. f. 362. p. Vide, *Comœdia, Dij, Fabula.*
Aristarchus Alexandrinus grammaticus Homeri censor. 213. m. Vide, *Allegoria.*
Aristotelis laus. 2. f. scripsit etiam Elegias. 384. p. eius Poëticam qui illustrarint. 395. p. m. Vide etiam Syllabum scriptorum.
Arrianus scriptor Heracleidos contra fabulæ vnitatem peccauit. 205. m.
Ars imitatrix quælibet vnam sibi tantum formam proponit. 203. m. f.
Artemisius an ænei tormenti repertor. 111. p.
Arundo cur pro sagitta. 107. f.
Atellana. Vide, *Comœdia, Exodus.*
Auctor quis latinis dicatur. 284. m.
Aues docuere nos modos musicos. 379. m.
Aulæa quæ, & qualia in apparatu Tragico. 272. f.
Auletica. Vide, *Poësis.*
Aurelianus Imperator cur perduelli Zenobiæ vitam condonarit. 75. p.
Auspicari cur latinis sit exordiri. 107. f.
Αὐτόματον machina quid. 272. m.

B

Bacchus bis natus. Vide, *Dithyrambus, Tragœdia.*
Barbari dicti omnes, præter Græcos. 71. m. 72. p. præsertim vero Phryges, & Persæ. 72. m. f. cur aurum dictum barbaricum. 71. opes barbaricæ, idest maximæ. 72. f. Vide, *Troia.*
Biremis primum ab Erythræis exædificata. 106. f.
Boëthus belli inter Augustum, & Brutum scriptor contra vnitatem fabulæ peccauit. 206. m.
Bombarda. Vide, *Artemisius, Eutropius, Salmoneus, Tormenta.*
Boues Heliopolitanis habiti Dij. 114. p. sacri erant Soli. 112. m. 115. m.
Βροντεῖον machina quid. 272.
Buta Romanas res carmine complexus contra fabulæ vnitatem peccauit. 206. f.

C

Cadauer affinis, cognatiuè interfecti cur summis in membris concidebatur. 139. m. f. 140. m. præsertim vero per proditionem occisi. 140. m. f. 141. p.
Cæpæ, ac porri Agyptijs Dij habiti. 114. m.
Cæruleus pro alto, ac profundo. 179. f. seu pro nigro. ibid. differt à cærulo. 180. p. Vide, *Tyberis.*
Cæstus, & Pancratium à Lycurgo Lacedæmonijs interdictum. 43. f. 44.
Calamitas aliena nostræ solatium. 253. m. f.
Camerinus Iliadem conatus absoluere. 200. p.
Canes olim Regum custodes. 8. f. pro Dijs colebantur. 114. m.
Caninius Rufus belli Troiani scriptor contra vnitatem fabulæ peccauit. 206. m.
Capra, & hircus à Mendesijs culti pro Dijs. 114. p. m. Libero mactabantur. 115. p.

Carcinus poëta Comicus. 371.p. alter Tragicus.ibid.
Carthago quando primum cōdita.41.f. incertum id tamen.47.p.
Casti homines templum sunt Dei. 243. m.diuinant. ibid. alijs donantur muneribus.243.m.f. Vide, *Ioannes.*
Catastasis. Vide, *Epitasis.*
Catastrophe, exitus est, & mutatio fabulæ.292.p.376.m. quædam simplex, quædam implexa.292.m.possitne simplex esse sine peripetia.295.m.f.
Causa belli Latinorum aduersus Aeneā quæ,quæuè occasio.150.151.
Κεκραμένον quid.15.m.
Cedri arboris,citriq;discrimen.37.quibus gignatur in locis.ibid.
Cephus Babylonijs pro Deo cultus. 114.p.
Κεραυνοσκοπεῖον machina quid. 272.m.
Cercopes impostores in simias versi. 176.f.
Cercopithecus quibus pro Deo cultus.114.m.
Cerui sintnè in Africa.37.p.38.f.Ceruæ cornibus carent. 4.m. 38. m. mactabantur Dianæ.115.p.116.m.
Charus Heracleidos auctor contra fabulæ vnitatem peccauit.205.m.
Cherilus item, qui bellum Xersis scripsit.206.m.
Choragus,& choragium quid.256.m.
Chorus post actum quartum an semper excedat.277.f.278.p. an canat interdum post actum quintum.278.p.permissa ei in veteri Comœdia maledicendi licentia. 331. m. è Comœdia expulsus,& cur? 278.m. 331 f.332.p. non tamen omnis, sed qui erat pars fabulæ.371.m. quis numerus eorum, qui in choro agerent.278.m.f.280.m. maximè probantur quindecim, aut duodecim.278.m.Satyri è choro tragico depulsi.278.f.chori munera cantus,& saltatio.279.p.284.p. idq; cum tibia,& cithara.283.f. An ante prologū induci possit.279.p. Choriphæus eius moderator.279.m. ex qua parte theatri egressus chori.279.m.quid in eo Strophe, Antistrophe, Ode, Autode, Epode. 279.m.f. 281.p. 402.f. eius figura ordine constat, & iugo. 279.f. 280. p. figura interdum cyclica. 281. m. interdum flexuosa in morem labyrinthi.281.f.282. 283. chorus diuidebatur in partes.283.f. loquitur interdum; partesque actoris,seu monitoris suscipit.284.m.f.285.p.alia eius munera.285.286. Tota eius ratio diuiditur in parodum, stasimon, & commum.287.f.288. An chorici semper sint in proscenio. 288. m.f. An chorus initium Tragœdiæ facere possit. 290. f. an locum spectatorum interdum obtineat.303.f. actibus interseritur. 372. f. non ponitur in extrema fabula. 373. p. Vide etiam *Actus, Commus, Comœdia, Iuga, Parodus, Poëma, Scenica, Stasimus, Theseus, Tibicines.*
Cicero pater patriæ primus dictus. 51. p. eius eloquentiæ genus copiosum. 210.f.211.p.vnus omnes dicendi formas complexus egregiè. 211. m. Vide, *Virgilius.*
Circumstantiæ. Vide, *Peristases.*
Citharistica. Vide, *Poësis.*
Citria mala,quæ & Medica, & Persica, & Citromela.37.m.
Ciuitates turbant aut qui potentia pollent, aut qui desperatione laborant. 337.f.
Cocytus quid Platonicis.235.f.
Cœli vertex, pedesuè qui: quæ item pars eius dextera,vel sinistra. 185.m. f.186. cur illud incudis filium poëtæ dixerint.224.m.f.cur dictum æneum. ibid.
Κόλα, & κόλον quid.343.f.
Color fluuiorum vel insitus,vel aduentitius.180.
Columba Veneri Sacra. 111. f. eidem immolabatur.115.f.116.p. Syris sanctum animal. 112. m. & pro Deo habitum.114.p.115.m. cur Homero,ac Virgilio in ludis exposita iaculantiū ictibus.11.f.112.p.116.f.
Κώμη græcis vicus. 329. f. κῶμος Deus comessationis.330.m.
Commiseratio vnde nascatur. 258. f. 259.p.

Com-

Commus chori luctus, ac lamentatio pars Tragœdiæ vltima. 289.p. an distinguatur à choro.ibid.in paucis est Tragœdijs.289.f.

Comœdia vnde dicta. 329.330. eius finis,stultorum insanias deridere.319.m.338.f.nulla carere debet ridiculo. 339.p. inuenta, vt inopes,destitutiq; de felici rerum successu ne desperent. 338. p. præcipuus eius fructus ostendere quid ridendum, quid magno æstimandum. 339. f. 340.p. eius encomium. ibid. ex fine, ac personis præcipuè secernitur à Tragœdia. 319.m.328.m. Est deteriorum imitatio secundum ridiculum. 327.f. 328. quas imitetur personas. 328.m.f. cur deteriores? 337.338. in his ipsis imitandis differt ab Epica. 404.f. 405.p. quamuis deteriores imitetur, non tamen semper deterrimas.337.p.immo interdum Reges, Heroas, Deos non omnino repudiat.335.m.336.m. eiusmodi tamen Comœdiæ imperfectæ sunt, nec probantur Aristoteli. 336. m.f. Argumenta, nominaque confingit.320.m.f.nō tamen ideo nobilior, quàm Tragœdia. 321.m. minimè tamen absurdum, verum alicuius personæ nomen in ea retineri. 362. m.f. an sit eius proprium felici exitu terminari.319.p.376.f.an possit & tristi. 376.f.

Comœdia Græca vetus, media, noua. 331.p. vetus maledica. 331.p.m. media sustulit maledicta, præterquam in poëtas. 331.f. nullum nominatim, vitia generatim irridebat. 332.p. qui græci in quouis horum trium generum floruerint. 332.m. Omnis latina Comœdia nouæ græcorum consentanea. 332.f. quamuis vetus, media, noua apud latinos elegantia internosci possint.333.p.Prætextata nobilissima latinarum, à prætexta, qua Magistratus; seu Trabeata, à trabea, qua Consules in pace vtebantur.333. m. proxima Togata, à toga Senatorum. 333. f. postrema Tabernaria, seu Tunicata, qua inducebantur humiles fortunæ personæ.333.f. Atellana omnium maximè iocosa, solo ab alijs differens argumento.334.p. Varia Comœdiarum argumenta.334.m. Palliata à græcorū pallio græcas inducebat personas. 334.f. Partes qualitatis Comœdiæ sex. 353.m. Vide, *Poëma*. tota eius actio vno die concluditur.354.p.m. sæpe à medio, vel à fine orditur.ibi.eius dictio familiaribus colloquijs consentanea. 354.f. an populari, vulgariuè lingua conscribi possit.354.f.355.p.tibiarum,ac modorū musicorum in Comœdia leges.356.f.357.p.m. Partes quantitatis Comœdiæ.359.f.Vide,*Poëma*.in titulo nomē auctoris,ac fabulæ cū breui sūma proponebatur. 359.f.360.p.nomen multiplici sumebatur ex capite. 360. m. f. quid Comœdia simplex, aut duplex.363.p.m. sæpe duabus ex actionibus in vnam fabulam, siue argumentum coalescentibus componitur. 363. 364. in his tamen vna est persona præcipua. 364. m. non tamen damnatur, si qua reperitur, in qua duæ sint personæ primariæ. 364. f.Mimi, ac Tibicines,sublato choro, eius actibus interiecti. 368.f. 369.p. vtitur metro,concentu,ac saltu.404. p. Comici Græci permulti. 332. m. 335.f.336.p. Comici Latini. 333.p.m. Vide etiam *Adolescentes, Ancillæ, Chorus, Epica, Episodium, Finis, Grex, Liuius, Machina, Officia, Poësis, Poëma, Prologus, Protasis, Saltatio, Scena, Senes, Serui, Tibicines.*

Componere sæpe est humare,ac sepelire.170.m.

Consiliari quid.285 f.

Constitutio fabulæ. Vide, *Fabula, Elegia, Epica.*

Conuiuij absoluendi,vel interrumpendi tempora quinque. 130.131. Vide, *Mors.*

Cordax quid.370.f. Vide,*Saltatio.*

Cornelius,Seuerus,Siciliēsis belli scriptor, contra fabulæ vnitatem peccauit.206.m.

Cornelius Gallus an scripserit, quæ eius nomine circumferūtur,Elegias. 459.m.p.

Cothurnus, Tragicum calceamentum, attollebat actores.273.f.

Κράδης machina quid.272.p.

Crathis fluuius albumne, an flauum colorem capillis inducat. 98.p.99.m.

Cratinus Homericam Odysseam irridet in fabula.331.f.

Credibile est quod fieri potest: incredibile, quod factum est nunquam. 162.p. 163.m. 195.p. satis tamen est, si factum aliquando sit simile.164.p.

Crista quid in galea, aut animalibus. 67.p.f.

Crocodilus pro Deo colebatur ab Aegyptijs. 114.m. aquatici, an terrestris fimum sit aptum mulieris faciei fucandæ.98.p.f.99.f.100.f.

Cumæ Chalcidensium colonia quando conditæ. 122.f.

Cunei, hoc est sedilium ordines in theatro.267.m.

Cycnus an aquilam in certamine vincat. 174. p.f. cur dicatur purpureus. 179. suauiter prope mortem canit. 190.f.191.m. alioqui obstrepit.191.f. 192.p.

Cyllarus, Castoris, an Pollucis equus. 100.p.

Κυνέη quid propriè.107.m.

Cyprus. Vide, *Insula*.

D

DAntes Aligherius commendatur. 233.p. eius de Paradiso Cantica quomodo inuenta.ibi. allegorias adamauit. ibid. & 234.f. sui ducem itineris elegit Virgilium 233.f.

Deiphobus Helenam habuit post obitum Paridis. 138.f. à Menelao occiditur.ibid. 141.p. an aures ei, nares, manusque præcisæ. 138. 139. 140. proditus ab Helena.139.p.141.p.

Delectatio poëtica vnius magis, quàm multarum actionum expressione cõparatur. 204.p. m. & cur? ibid. vnde vniuersè delectatio capiatur. 204.m.

Delus Insula an fluctuauerit aliquando.83.f.85.p.98. f. An terræ motibus quateretur, contrariæ scriptorum sententiæ.85.m.

Demetrius Cynicus quãtum fuerit mimi saltatione permotus.397.m.f.

Descriptiones poëticæ ab Historicis, & Oratorijs differunt.97.p.407.m.f.

Δέσις Aristoteli quid in fabula.291.p.

Dialecticus, ac Poëta sæpe vel vnius viri docti sequuntur sententiam. 18.f. Vide, *Poëtica*.

Dictio est interpretatio animi per verba.263.m. 459.p. dicendi genera tria. ibid. Vide, *Comœdia, Elegia, Poëma, Tragœdia*.

Dido, ne secundas Iarbæ admitteret nuptias, sese coniecit in rogum. 42. 43. cur vnum tantum pedem fingatur exuta. 104.p. 105. m. iustam putauit Virgilius habuisse voluntariæ mortis causam. 134.m. cur apud Inferos reposita potius inter amantes.129.& seq. Vide, *Aeneas*.

δίδομεν, & διδόμεν accentu vario quid apud Homerum. 12.m.f.13.p.m.

Dies in horas æquales, inæqualesque diuisus.167.p. ille artificialis, hic naturalis.ibid. sex horæ negotijs, totidem quieti dabantur. 167. m. f. diei pars melior, idest maior, quæ septem horas continet.168.m. seu potius matutina, quia negotijs agendis magis idonea.168.f.169.p. siue quia meliori ætati, hoc est iuuentuti, similior. 169. f.170. dies condi, sepeliriuè dicitur. 170.m.

Dij dormientes cur inducantur ab Homero.10.m. cur eos propitios, infensosuè mortalibus poëtæ finxerint.25. 26. cur inter se altercantes. 25. f. orbem terræ, eiusque partes, atque homines diligunt. 26. p. tunc à Poëtis per machinam inducuntur, cùm dignus vindice nodus inciderit, non aliter.56.f.275.p. argumentum fabulæ cur interdum explicent. 275. m. non discumbebant cum cibum caperent, sed sedebant. 109. p.m. Dijs res sacras violare piaculum.112.m. quænam animalia pro Dijs habita.114.m. quæ quibus Dijs immolabantur.114. f.115.m. quænam sibi Dij propriè sepsuerint. 115. p. quid Deos facere posse antiqui senserint. 164.m. mun-

di molitione, ac fabrica delectantur. 216.p. eorum pugna pugnam elemẽtorum significat. 220.m.f.222.m.223. p. Vide, *Animantes, Boues, Capæ, Capra, Cephus, Columba, Crocodilus, Homerus, Ibis, Pater, Philosophi, Poëta.*

Dionysius Thrax cur dictus Rhodius. 69. m. Dionysij duo Mitylenæus, & Afer, res omnes Bacchi complexi carmine, contra fabulæ vnitatem peccarunt. 205.f.

Dithyrambus dictus Bacchus bis natus, quasi duabus egressus ianuis. 402. m. eodem nomine dictum carmen, quod ei canebatur. 250. m. Dithyrambica poëticæ species, Lyricam quoque, seu Melicam, Nomicenque complectitur. 396. f. Dithyrambica, eique subiunctæ formæ metro, cantu, ac saltu vtuntur. 404. p. ijsque simul eodem tempore, ac semper. 397. p. Dithyrambicæ saltus, Strophe, Antistrophe, Epodus. 402.f. omni metri genere vtitur. 405.f. initio Bacchum, ac præstantiores imitabatur. 402. m. Poëta Dithyrambicus semper ipse loquitur. 406.p. Vide, *Strophe.*

Diuinatio futurorum è septem animi vacationibus oritur iuxta Platonicos. 241.f.242.243. Vide, *Vaticinium, Melancholici, Pythia, Socrates, Zoroaster.*

Dorica modulatio componẽdis animis accommodata. 357.m.

Draco peruigil papauere, ac melle alebatur, vt minus sæuiret. 101.f. 102.p. & vt locum suum amaret. 102.m. eius cristæ metaphoricè dicuntur iubæ. 66.m.67.f.

Dramata. Vide, *Fabula, Pastoritia, Poësis, Tragicocomœdia.*

Dux, siue Imperator, anima, vinculumq; exercitus. 155. m. & quasi acies gladij 155.f. & quasi gubernator in nauigio. 156. p. mortis aleam subire non debet cum hoste confligens. 155.156. nisi necessitate cogente. 156. m. 157. ob eandem potest, & ab exercitu ad tempus discedere. 157.m.158.

## E

Ebrietas animi perturbationi similis. 131.p.135.p.

Ecloga tria in genera diuiditur. 380. Vide, *Pastoritia.* Eclogæ piscatoriæ. 380.f.

Eγύκλημα machina quid. 272.m.

Εἶδος quid græcis significet. 9.p.m.

Elementa. Vide, *Dij.*

Ἔλεος, hoc est vlula, nomen Elegiæ dedit. 384.f.385.m.

Elegia, vnde dicta. 384. m. f. 385. p.m. 386.f. a quo inuenta. 383.f. qui versibus Elegiacis poëmata scripserint. 384.p.390.p.m. 459.m. initio nil, nisi funebre, eius materia. 386.m.f.394.p. mox à funere traducta ad amantium querimonias. 385.m.f.388.f. 389.p. & ad gaudia, animique lætitiam. 389.m. & ad leges, philosophicaque, & ciuilia præcepta. 389.m.f. 390. p.f. 411.f. immo, & ad res bellicas. 390. p. m. 410.m. ad viros principes, vaticinia, somnia. 391.m.f.392.p. etiam ad epistolas, & epitaphia. 394. m. f. ad alia omnia. 392.p.m.394.p.m. 409.m. præcipuè tamen ad amores. 392. f. 393. Elegia imitatio est poëtica. 398.f.399. hoc est humanarum actionum. 394.p. 399.f.409.m. & vitia, virtutesque exprimit. 412.p. non postulat necessariò personarum inductionem. 409.f. cantu vtitur. 399.f.400.p.409.m. & saltu. 400.m.f. 401.p. 409. m. Ad Lyricam poëseos formam reuocatur. 409. p.f. 410. p. 412. m. Partes easdem habet. quas, & Epopœia. 412.p. partes quantitatis in ea, Propositio, Narratio, Finis. 413.p. Inuocationem cur prætermittat. 415. p.m. non tamen negligit aliquando. 415.m.f.416.p. cuiusmodi propositione vtatur 416.417. aut potius principio. 417.f. 418. cuiusmodi narratio Elegiaca. 418. 419. Episodio vtitur longiore. 421.f.422. interdum ab ipso principio egressa, non nisi sub finem repetit institutum. 421.f.425.p. immo & interdum nunquam ad institutum redit. 425. 426. 427.436.m.

Episodij breuioris in Elegia genera varia. 437.438. 439. interdum in illa Episodium ex Episodio nascitur.439. 440. Partes qualitatis in Elegia, Constitutio, Mores, Sententia, Dictio, cur sic dictæ. 451.f. qualis eius synthesis, seu cōstitutio esse debeat.452.m.vnitatem habeat. 452.f.453.p. longitudo eius iusta.453 p.quales debeat mores exprimere, 454.m.f.sententiæ Elegiacæ suauiores, humilioresque, quàm Epicæ. 457. m. f. affectibus abundat Elegia.458. suauiter, molliterque expressis.459.p. qualis Elegiaca dictio. 459. concinnitas numerorum. 460.f. 461.462.an quadrisyllaba dictio conueniat in fine pentametri. 461. m. f. literarum etiam obseruandus sonus. 462. figuræque nonnullæ. 463. p. m. præsertim repetitio, apostrophe, comparationes breuiores, & conglobatæ, & aliæ. 463.464.465.466. Vide etiam *Aristoteles, Episodium, Finis, Midas, Narratio, Poëma, Propositio, Theocles, Tyrtæus*.

Eloquentia quadruplex, copiosa, breuis, sicca, florida.210.f.

Emmelia quid.370.Vide *Saltatio*.

Empedocles philosophus cur dictus *καλυσανέμας*. 214.p. an sit poëta censendus.396.m.411.p.

E archus quomodo reuixerit.242.p.

Enargia vis est orationis, rem excellenti modo ponens ob oculos. 193. f. 398.f. iuuatur metaphoris, allegorijs, superlationibus.ibid.

Ennius, Romanarum rerum scriptor, à fabulæ vnitate discessit.206.f.

Epica, siue Epopœia, sicut & Tragœdia, Reges, ac Principes imitatur. 403.f. Imperatoris conformationem continet.231.m. differt à Tragœdia, quòd etiam personas mediocres, humilesque poëmati interserit suo. 404. m. obliquè tamen: nec tanquam personas proprias, ac sibi propositas, quod facit Comœdia.404.f.405.p. Triplex est, præstantiorum, mediocrium, infimorum. 405.p. postremæ duæ non sunt propriè Epopœia. 405. m. non ipsa sola res canit bellicas.410.m.nisi personas induceret, non esset Epica. 408.p. ita has inducit, vt ipse interdum poëta loquatur. 406.p. an, cum ipse loquitur, non inductis personis, sit Epicus, vel imitator.30.p.m.imitatione, & allegoria constat, quasi corpore, & anima. 214.m. 216.m. qualis eius effictio, siue expressio.408.p. res effingit, atque imitatur nudis verbis, & metro, sine alijs instrumentis, atq; præsidijs. 396.f. 404. p.m. 408. m. an vno carminis vtatur genere. 405. f. constitutio Epica differt ab historia. 61.m. nullo certo tempore definitur, vt tragica.255.m.f.

Epicum poëma inferius tragico. 324.f. 325. 326. interdum à rhapsodis cum cantu, vel ab histrionibus recitabatur.324.p.m.404.p.An Epici sua poëmata in libros diuiserint.79.p.similes sunt Comicis in fine operi imponēdo.201.m. 246.f. Epici poëmatis partes quantitatis Propositio, Inuocatio, Narratio, Episodium, Finis.413. p.Epica, tragicaq; narratio similes 61.m.Vide etiam *Allegoria, Comœdia, Elegia, Episodium, Finis, Poësis, Præparatio, Inuocatio, Narratio, Poëma, Propositio, Tragœdia*.

Epicurus voluntariæ mortis auctor, cū conflictamur molestijs. 132.f.

Epimenides. Vide, *Philosophi, Argonautica*.

Επίσειστοι cur dicti milites gloriosi. 343. p.

Episodium est quasi declinatio à via. 420.m. ornatus, & delectationis gratia. 204.f.420.m. siue est res rei accidens, & insititia.420.f.421.p. quomodo definiatur à Suida. 96.f.97.p. 420. m. quid sit Episodium in Tragœdia. 276.m.cur sic dictum. ibid. & 277.m. non eodem modo sumitur in Tragœdia, & in Epopœia.277.p.quid in Comœdia.369.p.est pars Epopœiæ.413. p. eiusdemque actionis quasi membrum, & pars. 204. f. Epicoque poëmati necessaria.61.f.pars tamen poëmatis non censetur. 63. p. m. 277. p. quid sibi velit Aristoteles, cum ait esse debere fabulæ necessarium. 95. m.

satis

satis est si vel sit, vel esse videatur. ibid. & 165.p.f. aut si verosimile. 96. p. Episodica fabula cur pessima. 257. m. damnantur etiam Aristoteli, quæ nimium producunt fabulam. 371. f. 372. p. Episodiorum exempla. 95. m. Epicæ longiora.421.p. sed & breuiora.421.m. vtriusque etiam generis in Elegia. 421. f. huius Episodia similia Lyricis. 428. p. Lyricus interdum ab Episodio non, nisi sub finem, sese refert in gradum. 428. p. 429. p. interdum semper aberrat, nec vnquam regreditur.429.m.f.430.431.432.433. 434.435.436. quod & interdum facit Virgilius in Eclogis, atque in Georgicis.436. f.437.p. Vide etiam *Actus, Poëma, Elegia.*

Epitasis in fabula est rerum nodus, & implicatio.291.p.375.f.376.p.an differat à catastasi.291.f.

Epode, Antode. Vide, *Chorus, Dithyrambus, Lyrica, Strophe.*

Equus Soli mactabatur. 115. p. qua ratione pedes in incessu attollat.3.p.solus inter belluas flet. 194.f. an præsagiat. 193.p. 194.f. eius lacrymæ prodigiosæ.194.f.195.p. Equus Capitolinus.3.p.

Error Tragicus quatuor complectitur genera.304.305. duo agnitionem habent, duo illa caret.304.m.305.f. quis horum deterrimus. 309. m. f. 310. p. quis optimus, aut mediocris. 310.m. f.311.

Εσχετο, ambigua vox Homero.10.m.

Euander an primus venerit in Italiam. 24.f.

Eubœa. Vide, *Insulæ.*

Eugamenes Cyrenæus, Thesprotij scriptor belli, cõtra fabulæ vnitatem peccauit.206.f.

Eumolpus Corinthius Iliadem conatus absoluere. 199.f.

Euridice morsu pedis interiens quid significet.103.f.

Eutropius Theodosij Eunuchus an inuentor tormenti bellici, quam dicunt bombardam.311.p.

Exodus quid in Tragœdia. 277. f. propriè est exitus fabulæ, qui Actu quinto continetur. 277.f.278. Exodium in Atellana egressio, & diuerticulum. 369.p.

F

FAbri ferrarij dicti ærarij, qui & fusores.107.m.

Fabula est synthesis, hoc est compositio, constitutio, seu coagmentatio rerum, quæ tractantur in poëmate. 254. m. 353.f.452.f. cur sic dicta. ibid. ab argumento non differt. 205.m. inuenta ad arcana philosophiæ occultanda, inuolucris ad delectationẽ cõparatis. 213.f. 215.p. Vnius poëmatis vna esse debet.203.p.m.204.p.m. Vna est, cum vnam in toto opere actionem poëta sequitur. 201.f. 256.f. 353.f. non satis est vnius hominis multas, nec multorum multas, vnamue actionẽ imitari; sed necesse est, vnius vnam.205.257.p. quinam poëtæ cõtra fabulæ vnitatem peccarint. 205.m.f. 206.207. est poëmatis anima.452.p.præsertim Tragœdiæ.254.m.257.f.corpori animantium quomodo similis. 255.p. quas conditiones fabula, præsertim tragica, habere debeat. 254.f. 255. 256.257.452. p. fabula episodica pessima, & quænam illa dicatur. 257. m. fabulæ dramaticæ actio tota vno die concluditur.255.m.354.p. ideo sæpe dramatis actionẽ à medio, vel à fine ordimur. ibid. iusta eius magnitudo esse debet. 255. 256. 354. f. Fabula simplex, aut duplex quid.363.p.Vide etiam *Actus, Catastrophe, Chorus, Episodium, λύσις, Poëma, Tragœdia.*

Fatum, quæ & necessitas dicitur, poëtis est supra Iouem. 164.f. 165.p. omnia sub fati, Parcarumque necessitate. 166.m. an fatalis moriendi necessitas protrahi, contrahiue possit. 183.184. 185.Vice, *Parcæ.*

Femina, quàm vir, iniquius interficitur. 74.f.75.p.

Ferrea ne fuerint arma, an ærea, vel stãnea heroicis temporibus. 110.p.m.

Figuræ, Vidæ, *Elegia.*

Finis fabulæ, seu poëmatis quid. 441.f.

Comici admonere solent fabulam habere iam finem. 441. f. Epici non solent. 442. p. in fine imponendo liberior Elegia. 442. m. f. varia tamen ratione, ac legibus Elegiæ, Odæque constringuntur in faciendo fine. 442. f. 443. vsque ad 450. per admonitionem, seu denunciationem. 443. 444. per reprehensionem. 444. f. 445. 446. per repetitionem sententiæ, quam initio proposuerat. 446. f. 447. 448. 449. per inscriptionem, vt tumuli. 449. f. 450. 451.
Flauum pro pulchro apud poëtas. 178. p. Vide, *Tyberis*.
Fletus. Vide, *Lacrymæ*.
Fluuij. Vide, *Color, Crathis, Dij*.
Formosi homines bello parum idonei. 153. p.
Fortis vir timet genus mortis inglorium. 33. 34. 36. abhorret à cæde feminæ. 74. f. 75. p.
Fumi volumina globo, quàm flumini, similiora. 93. m.
Funes, rudentesuè nauium num è corio fuerint aliquando. 117. 118.

G

GAbiensis terra tremit. 84. p.
Galeæ crista. 67. p. f.
Galerita, quæ & Alauda. 67. m.
Gallus, gallinaque victimæ Aesculapio propria. 114. f.
Genius quibus rebus attributus. 166. m.
Γεράνος machina quid. 272. p.
Germani recens natos infantes scuto exceptos imponebant Rheno ad fidem coniugum explorandam. 711. m. f. Vide, *Infantes*.
Gigantes ante Centauros cõtra Iouem præliantur. 45. m.
Gladiatores cur inducti. 54. m.
Γνάθους, vnde Gnathones, quid. 343. m. Gnathonis parasiti nomen verum, non fictum in Comœdia. 362. f.
Gordianus Imperator cum Platone, & Aristotele semper Virgilium lectitabat. 218. m. Gordianus Poëta in Antoniniade peccauit contra fabulæ vnitatem. 206. p.
Grex quid agat in Comœdijs. 374. f.
Grus, machina ad corpora rapienda. 371. m.
Gyges Lydius picturæ inuentor Plinio. 40. f.

H

HAbenæ in nauibus Virgilio quid significent. 117. 118. quid, cum dicuntur immissæ flammis. 118. f. quid cum palmitibus, arborumuè ramusculis. ibid.
Harmonia. Vide, *Poëma*.
Helena suprema Troiani excidij nocte Danaos aduocauit. 74. p. m. Vide, *Allegoria, Deiphobus*.
Hercules Poëtis antiquior. 44. f.
Hermesionactes, res Colophoniorum vno complexus poëmate, contra fabulæ vnitatem peccauit. 206. f.
Hermonius senex quid. 342. m.
Heroicum carmen quod dicatur. 325. f. Vide, *Iambicum, & Tragœdia*.
Hexametrum carmen magnificum. 265. p. an, & quibus in locis aptum Tragœdiæ. 265. p. f. cur dictum Heroicum. 265. m.
Hieronis Siciliæ Regis laus. 107. f.
Hipparchus Rhapsodos instituit. 79. m.
Hippias Thasius Homeri defensor. 12. m.
Historicus non semper locorum ordinem in enumerationibus sequitur. 182. p. rerum potius, quàm temporis, ordinem sequi debet. 182. m. Vide, *Descriptiones, Narratio, Poësis, Poëta*.
Homerus accusatus à Platone, quòd de Dijs absurda cõfinxerit. 5. p. excusatur. 5. f. an anteferendus Virgilio. 28. 29. 30. 31. 208. m. An magis, quàm Virgilius, imitator. 30. f. 31. p. eius Iliadẽ ab Odyssea quis diuiserit. 79. m. f. Homericus mos idem ac poëticus. 60. m. cõtrarias interdum sententias sequitur. 184. m. f. Homeri laus. 201. f. 207. m. 209. p. ab Aristotele, & Proclo explanatus. 212. p. m. à summis philosophis Anaxagora, Platone, Arcesila laudatus. ibid. à Christianis Cyrillo, Basilio, Fulgentio lectitatus. ibid. eius figmenta cum

figmentis histrionicis comparantur. 222.p.moralis philosophiæ præceptis abundat.229.f.Vide, *Aristarchus, Dij, Virgilius, Ilias, Odyssea. Xenophanes,*
Horæ. Vide, *Dies,*
Hospitalia in theatro machinas continebant.268.f.269.p.
Hostius Istrici belli scriptor contra fabulæ vnitatem peccauit.206.m.

I

IAmbicum carmen aptum colloquijs. 264.f. cur dicatur heroicum. 265.m. 325.f.Tragœdiæ proprium Senarium, Octonario repudiato. ibid.326.p. Vide, *Tragœdia.*
Iani aperiendi mos. Vide, *Numa.*
Iarbas. Vide, *Dido.*
Iason in Anauro fluuio alterum amittens calceum quid significet 104.105. per speciem honoris in Chalcidem missus à Pelia, qui sibi ab illo timebat. ibid. eius patrocinium Iuno suscipit. 105. p. primus longam nauim fecit.106.f.Vide, *Sesostris.*
Ibis pro Deo ab Aegyptijs adoratur. 114.m.
Icadius, siue Icarius pater Penelopes Lacedæmonius, an Cephalensis. 16.f. 17.p.
Icastice, poëticæ imitationis species, imitatur quæ vera sunt, aut esse possunt.120.m.398.p.eius figmentum dicitur similitudo.ibid.
Idolum, & similitudo quid differant. 120.m.398.Vide, *Phantastice, Poëta.*
Ilias Homerica an absoluta. 199. p. m. rectenè morte Hectoris terminetur. ibid. quis eam conatus absoluere. 199.f. 200.p. sed frustra. 201.m. eius scopus. ibid. vnica tantum actione continetur. 201.f. 206.m.207.f.208.f. 209. p. Vide, *Aemilius, Alexander, Camerinus, Eumolpus, Quintus, Homerus, Leschis, Odyssea, Triphiodorus.*
Imagines poëticæ, quæ dicantur. 406. m.f.
Imitatio, quæ delectationem habet, finis poëtæ.159.f.alterum genus huius inductione constat personarum, alterum expressione verborum. 193. m. earum discrimen. 194.p. & poëtæ, & cuiusuis, qui res imitetur, artificis, vnius tantum rei debet esse. 203. m. 207.m. varias poëseos distinguit species. Vide, *Poësis, Poëta.* Scenica omnium perfectissima. 409.f. Vide etiam *Elegia, Epica, Icastice, Lyrica, Mimus, Phantastice.*
Imperator cur sic dictus. 155. m. Vide, *Dux, Tragœdia.*
Inanitas, poëtæ vitium, quid sit. 152.p.
Inarime vna, an duabus vocibus ab Homero dicta? 175.m.f.176.p. à Virgilio vna voce dicta Insula Aenaria, quæ & Pithecusa prope Prochyten. 176. m.huic impostores homines in pithecos, hoc est simias, versi, fecere nomen.176.f.
Infantes, pueros uè recens natos frigidis durabant aquis Ligures. 170.f. Spartani.ibid.171.p. Germani, seu Celtæ. 171. Thraces. 172.f. Cantabri. 172.f. idem quoq; olim faciebant Itali.172. f.Vide, *Romulus.*
Inferi loci, eorumque iudices, pœnæ, flumina, regiones à poëtis fictæ num omnino habendæ pro fabulis? 226. 227.nil aliud sunt Platonicis, nisi nostra corpora.235.m.f.Vide, *Monstra.*
Insulæ fluctuantes in agro Reatino, Cæcubo, Vadimonis lacu. 84. m. & Calaminæ.ibid. & ad aquas Cutilias. m. f. & in Lydia. ibid. & in agro Tiburtino. f. & Cyaneæ, ac Symplegades.98.f.affertur eius rei causa.84.m. Insulæ Sicilia, Cyprus, Eubœa maris impetu à continenti diremptæ. 88. f. Vide, *Delus, Mare, Thule.*
Interpunctio varia quantum variet sententiam.13.f.14.p.m.
Inuocatio Epico poëmati cur præmittatur.413.m.adhibetur etiam quoties narratur aliquid, quod fidem superet. 413.f. 414. cum propositione interdum coniungitur. 417. m. Vide, *Elegia.*
Ioannes Apostolus dotes nonnullas habuit ob castitatem.243.f.
Isthmij ludi à Theseo post mortem Hercules instituti.44.f.47.m.

talia quibus olim finibus circumscripta. 24.f. cur humilis sit dicta à Virgilio. 90. 91.
Iubæ quid in animali. 65.f. ijs lea caret. 66. p. sic dicuntur interdum plumæ colli versicolores. 67. p. Vide, *Draco.*
Iuga quid in choro, curuè sic dicta. 280.m.f.
Iuno Peliæ Regi Thessaliæ cur infensa. 104. 105. Vide, *Agna, Iason, Luna.*
Iustinianus Imperator Pij cognomen adeptus. 51.m.
Iuuentus. Vide, *Aetas, Dies.*
Ixion rota tortus pœnam ambitus significat. 226.m. incautum etiam, aut imprudentem hominem. 236.p.

L

LAcrymæ hominum ne solum sint, an etiam belluarum. 194. f. Vide, *Equus.*
Lais scortum, Corinthia, an Siciliensis. 68.f. 69.p.
Lancea terrigenarum quid Aristoteli. 297.f. 298.
Landinus totum poëma Virgilij explicat allegoricè. 254.f.
Lapides solidi supernatant interdum in aquis, & cur? 84.m.
Lea crinibus caret. 66.p.
Leges versibus olim cur scriptæ. 389.f. legalis, seu νομικὴ pars poëseos. 396. f. 411. f. præsidia habuit orationis, rhythmi, & harmoniæ. 400. p. Vide, *Solon.*
Leo pro Deo à Leontopolitanis cultus. 114.p.
Leschis Iliadem conatus absoluere. 200.p.
Lethe fluuius quid Platonicis. 235.f.
Linus poëtarum antiquissimus. 44.f. 47. m. threnorum inuentor. 387.p.
Literæ singulæ qualem sonum habeant. 462. earum sonus, & qualitas in carmine obseruanda. ibid. Vide, *Elegia.*
Liuius Andronicus Comœdiam primus latinè scripsit. 333.p.
Logeum, seu λογεῖον quid in Orchestra. 268.m.
Longæuus propriè quid significet, 142. p. m. an pro immortali rectè vsurpetur. ibid.
Lucretius an sit poëta. 396.m.
Luna, seu Diana cur Iunoni à poëtis fingatur contraria. 222. m. Vide, *Taurus.*
Lupus Lycopolitanis pro Deo cultus. 114.p.
Luscinia cantu planè admirabilis. 379.m.
Lutescere quid significet. 178.f. 179.p.
Lycomedius senex quid. 342.m.
Lyrica, seu Melica species Dithyrambicæ. 396.f. 402. m. ab ea saltum, & conuersiones accepit. 403. p. motus eius Epodicus, Mesodicus, Prodicus. 403. p. humanas actiones, hoc est vitia, virtutesque imitatur. 412. p. leges, disciplinarumque præcepta tractare potest, si imitationem adiungat. 411.m.f. res bellicas interdum canit. 410.m. poëta in Lyrico poëmate solus loquitur. 406.p. personas tamen potest inducere. ibid. res omnes imitatur. 402.p.m. 403.m. si tamen eas ad viuum exprimat, ac depingat. 408.p. vtitur vbique, ac semper metro, cantu, & saltu. 404.p. 408.m. omnique genere metri. 405. f. cur lyram sæpius Lyricus alloquatur. 408.f. Vide, *Elegia, Episodium, Narratio, Poësis, Poëma, Strophe,*
Λύσις, hoc est solutio, quid Aristoteli in fabula. 292.p. ea autem simplex est, & composita. 296.p.m. quædam naturalis, alia artificiosa. 296. m. præstantior naturalis, & sine machina. 296.m.f.

M

MAchinæ quæ, qualesuè, & cur in scena. 271.f. 272.p.m. machina vbi vtendum. 296. m. f. An in Comœdia induci possit. 371.p. machina ἐγκύκλημα, & ἐξώστρα. 371.m. Vide, *αὐτόματον, Grus, Dij, Lysis.*
Macrobius à Gellio pleraque suffuratus. 149.f.
Magi nudis pedibus Dijs Inferis sacrificabant. 103.p.

Man-

Mandragora Tigrim nutriebat Turcarum Imperator.102.p.
Manilius an poëta?396.m.
Manubiæ affixæ postibus refigi non poterant.71.f.
Maphæus Vegius Aeneida conatur absoluere.198.m.199.f. sed frustra.246. m.Vide, *Aeneis*.
Mare possitnè terras conuellere, Insulasque facere. 88.89. subinde locum, litusque mutat. 89. p.m. cum terra vnum facit globum.90.f.
Margites Homericus ridiculus. 348. m. an poëma heroicum. 405.p. eius hominis ineptiæ.405.m.
Μασχαλισθῆναι, quid græcis significet. 139. m. 140. m. quid μασχαλίσματα 141.p.
Melancholici diuinant, ex Platonicis. 242.m.Vide, *Socrates*.
Melica.Vide, *Dithyrambus*.
C.Melissus primus trabeatam Romanis dedit Comœdiam.333.f.
Mella fluuius cur flauus dictus. 178.m.
Mensæ secundæ heroicis temporibus nullæ.109.f.
Mercurius Atlantem, maternum auum, in Mauritania sæpius inuisit.96.p.m.
Metamorphoses cuiusmodi à poëtis fictæ.164 p.m. in scenam non inducendæ, & cur?271.p.m. earum scriptores Parthenius, Theodorus, Callisthenes, Ouidius, Nestor Larãdæus contra fabulæ vnitatem peccarunt.207.p.
Metaphora cuiusmodi esse debet. 119. p.poëtæ illa frequenter vtuntur. Vide, *Poëta, Enargia*.
Metis ab Ioue vorata, ex quo Pallas è cerebro Iouis existit, quid significet.225.
Μιαρὸν quid Aristoteli.316.m.
Midas nonnullis Elegiæ inuẽtor. 383.f.
Mimnermus poëtanè Epicus, an Elegiacus? 390.m.410. m.f. quando vixerit. 410.f.
Mimus vnde dictus. 368.f. primò gesticulatione tantùm, mox etiam verbis res imitabatur. ibid. Publius, & Laberius egregij Mimi. ibid. quænam argumenta tractarent.369.m. sententias grauissimas proferebant interdum.369.m.f. 370.p. Vide, *Comœdia Demetrius*.
Monodia lugubre carmen.387.f. à quibus scriptum.387.f.388.
Monomachia paria debet habere præsidia.196.f.
Monstra ex contrarijs animalium conflata partibus rectène à poëtis finguntur. 119.120. cur apud Inferos à Virgilio, & poëtis efficta. 120. 121. immo & à Christianis.121.m.
Mores poëta debet exprimere. 257. f. 258. ea præcipua poëtæ pars.ibid. & 259.260. in morum expressione spectandum, vt probi, vt conuenientes, vt similes, vt æquabiles sint. 258.259. 260. probi mores in præcipuam personam cadunt. 258. f. similes mores dicũtur, qui vulgatæ de persona opinioni respondent. 259.f.260.p. mores quid differant à sententia. 261. m. f. 262. p. m. 453. f. quid morata oratio tum apud poëtas, tum oratores. 453. m.455.p. quid mos. 453.f.454.p. spectandum in his necessarium, decorum, verisimile. 454.m. Vide, *Elegia, Poëma, Poëta*.
Mors omniũ miserrima, cum quis aquis suffocatur. 35. p. præcipuè quod ijs extingui animam antiquitas credidit. 35.m. voluntariæ mortis oppetendæ, sicut & abrumpendi conuiuij, iuxta Platonicos tempora quinque. 130. 131. mortem voluntariam oppetiere pro patria Curtius, Menœceus. 130. m. ad sedandam discordiam Otho. 130.f. ne alios sceleris contagione fœdarent Oedipus, Alcmæon, Orestes. 131.m. ne miseri viuerent Polemon Laodicensis, Euphrates, Democritus philosophi: Pomponius Atticus, Festus, Cato, Virrius. 132.p. postremam hanc cõsciscendæ sibi mortis causam, & Stoici probant, & Epicurus. 132. f. sed ij ignaui habendi. 133.134. Mortis dies an ita fatalis, ac certus, vt contrahi, protrahinè non possit. 183. 184. 185. Pythagoricis quædam mors animalis, quædam animæ.236.m.
Mortuorum animas humanarum hostiarum

rum sanguine delectari crediderunt Ethnici.54.p. 77.p. eorum præcipuè, à quibus ipsi essent occisi. 55.m.237. m.Morientes vaticinantur interdum. 188. 189. cum cadaueribus mortuorum res ipsis caræ cremabantur olim. 193.m.
Mulier vnde dicta.74.f.
Musica animi sedat affectus.340.m.quãtum ijs concitandis possit.397.m. Vide,*Comœdia, Dorica.*

N

NAenia lugubre carmen, vt Threni, ac Monodia. 387.388. à Pontano vocabulum hoc traductum ad nutricias cantilenas.387.m.f.
Narratio Epica qualis.418.f.ab historica differt.419.p. Elegiaca ab vtraque diuersa.418.f.119. hæc similis lyricæ. 419.f.420.p.expositio ipsa rerum,narrationis locum in Elegia plerunque subit.420.p.Vide,*Poëta.*
Nationes quænam recens natos infantes frigidis aquis immergerent.Vide, *Infantes.*
Nauigantes, terras sub se depressas existimant.90.m.
Neacles pictor qua ratione Nili aquas à marinis in tabula internosci posse existimauerit.120.f.121.
Neptunus Apollini cur contrarius. 222.m.
Nestor Larandæus. Vide, *Metamorphosis.*
Νευροσπαστικὸν machina, quid. 272.m.
Nilus inundatione,cum copiosa est,fertilitatem affert. 46. p. conuecto limo Pharum insulam continenti adiunxit. 89.p.
Noctescere quid. 178,f.179.p.
Noctua, siue Vlula mortis symbolum. 384.f.385.p.cur?385.m.
Νομικὴ quid. Vide, *Legalis, Dithyrambica.*
Nonnus Panopolitanus idem, qui Bacchi vitam,atque Euangelium S.Ioannis heroico scripsit carmine. 205. f. contra vnitatem fabulæ peccauit. ibid.
Numa Pompilius Pythagoræ minimè æqualis. 44.m.47.m. primus aperiendi Iani morem induxit.45.p.47.m.
Nuncius in Tragœdia olim nullus. 307.m.

O

ODeum, siue ᾠδεῖον quid in Orchestra. 268. m.
Ode.Vide,*Chorus,Finis,Lyrica.*
Odyssea vnica tantum actione continetur tota. 201.f. 207. m.f.277. p.m. seu duplici actione vno fine terminata. 364.p.eius argumentum.63.m.277.p. an Iliade præstantior. 365. m. Vide, *Cratinus,Homerus,*
Officia personarum quæ risum excitent in Comœdia. 341.f.343.
Oi vario accentu quid significet. 12.13.
Olympus ab Ossa distinctus Peneo immisso fluuio.88.f.
Onagri, hoc est syluestres asini vbi? 38.p.
Oppianus, qui scripsit de piscibus, an poëta?396.m.
Ὄψις quid in Tragœdia.266.p.
Opulescere quid.178.f.179.p.
Orchestra vnde dicta.267.m. quem locum habeat in theatro. 207.f. 268. p. Vide, *Logeum,Odeum,Pulpitum.* Orchestica.Vide,*Poësis.*
Orpheus.Vide,*Argonautica.*
Ortygia Insula. Vide,*Delus.*
Ouidius.Vide,*Metamorphosis.*
Οὐρεὺς Homero custodem, non mulum significat.8.m.9.p.

P

PAcuuius quales Comœdias scripserit.333.p.
Pædo Albinouanus,scriptor Theseidos, contra fabulæ vnitatem peccauit. 205.m.
Pallas è Iouis cerebro genita, vorata Meti,quid poëtis significet.225.
Palliata.Vide,*Comœdia.*
Pancratium.Vide,*Cæstus.*
Paniasis scriptor Heracleidos contra fabulæ vnitatem peccauit.205.m.

Parasitus vnde dictus.343.p. quod eius officium in Comœdia.343. m. dictus etiam Colax, & Gnatho.343.m.f. quo habitu fingebatur. 343. m. Vide, *Sertius, Gnatho.*
Parcæ necessitatis filiæ. 166. m. tres sunt, per tria diuisæ tempora, præteritum, præsens, futurum. ibid. significant necessitatem certo tempore moriendi.166.p. Vide, *Fatum.*
Paridis iudicium de trium Dearum pulchritudine, an extet apud Homerum.219.p. quid ea fabula allegoricè significet.219.m.f.
Parodus in choro quid. 287. f. 288. p. quam sedem habeat in Tragœdia. 288.m.
Parthenius, vnus Heracleidos, alter Archelaidos scriptor, cõtra fabulæ vnitatem peccarunt.205.m. Vide etiam, *Metamorphosis.*
Pastoritia poësis. 336.f. 378.f. genus est vetustissimum. 378.f. 379.p. pastores primi ab auibus didicere cantum. 379.p.f. quid cœperint imitari. 379.f. Eclogarum pastoritiarum genus vnũ vnius personæ. 379.f.380.m. alterum duarum, aut plurium sine contentione. 380.p.m. tertium cum contentione, & altercatione, quod amœbæum dicitur.ibid. Assurgunt interdum, inductis Dijs, præsertim Sileno.380. f. interdum in his solus poëta loquitur.381.p. Pastoritiæ Comœdiæ, siue Dramata nouum inuentum. 381.p.m. ad Satyræ veteris genus reuocari potest. 378.f.381.m. non est improbandum.381.f.382.
Pater interdum ætatis, interdum honoris nomen.64.p.m. eo nomine Dij vocantur omnes.64.f. immo & montes, & fluuij, quia Dij habebantur. ibid. 65. p. & ij à quo familiæ ortum habent.65.m.
Πάθος interdum non affectum animi, sed cædis perpessionem significat.308.m. 309.m.
Peccata poëtarum. Vide, *Poëta.*
Pedes affectus significant, & cur.103.m. f. cur Achilli soli pedes paterent vulneri.103.f. Vide, *Euridice, Magi.*
Pelias. Vide, *Iason, Iuno.*
Pentametrum carmen interdum sine hexametro.400.m.f.401.p. eius suauiter condendi leges.461.& seq. Vide, *Elegia.*
Pericles ante Archelaum Macedonum Regem decessit è viuis.45.f.
Perioche. Vide, *Argumentum.*
Peripetia in fabula est mutatio in contrarium præter expectationem.292.f. 295.m. Vide, *Agnitio, Tragœdia.*
Peristases. Vide, *Poëta.*
Persæ. Vide, *Barbari.*
Persona histrioni primum curanda.273. p. quales initio fuerint, quis perfecerit.ibid.m. personæ primarum, aut secundarum partium.274.p. Scenicæ, & Choricæ. 274. m. quoties in Scenam ingredi, quot loqui debeant.274.m.f. 374.m. aliqua semper agat in proscenio. 274. f. Choricæ personæ in Scenam subeunt actu absoluto.275.p. ne loquantur cum populo. 374. m. nisi claudant fabulam, aut prologum agant.374.m. Vide, *Comœdia, Tragœdia*, vbi quæ huic sint aptæ personæ. Vide etiã, *Elegia, Epica, Imitatio, Lyrica, Mores, Poësis, Ridiculum, Scena.*
Perturbatio, idest cædis perpessio, seu πάθος. 308.m. Perturbationes animi. Vide, *Affectus.*
Phantasia poëtica quid sit grammaticis. 159.160.
Phantastice, species altera imitationis poëticæ, res pro arbitratu fingit, etiã quæ veræ esse non possunt. 120. m. 398. p. eius figmentum idolum dicitur.ibid.
Pharus Alexandriæ, olim Insula. 89.p. Vide, *Nilus.*
Philanthropia, hoc est humanitas, est remissa quædam commiseratio. 217.m. erga inimicos etiam. ibid. auelli non potest à nobis, ibid.
Philosophi cur absurda de Dijs confinxerint. 5.m. præcipui quique Epimenides, Zoroastres, Socrates, Plato Plotinus, Porphyrius, soliti sunt à sensibus abstrahi.241.p.m.
Philosophia tres in partes tributa. 270.f.

Philostratus, vitas Pelopidæ, Epaminondæ, Thesei singulis complexus poëmatis, contra fabulæ vnitatem peccauit. 205.m.

Phlegeton quid Platonicis. 235.f.

Phormio parasitus in Comœdia nomen verum, non fictum. 362.f.

Phryges. Vide, *Barbari, Tibicines.*

Pictura fuerit ne ante Troianum bellũ. 39.40. quis eius inuentor. 40.f. 41.p. vbi, & vnde nata. 41. p. Vide, *Gyges, Poësis, Poëma, Polygnotus, Pyrrhus.*

Pietas in parentes est maximè, & in patriam. 48.p. interdum & in Deum, vtpote nostrum procreatorem. 48.f. 49. p. interdum & pro misericordia, seu clementia. 49.m. cur Imperatores aliqui dicti sint Dij. 50.51. cur Aeneas. 47. & seq. Vide, *Antoninus. Iustinianus, Seuerus.*

Pisander scriptor Heracleidos contra fabulæ vnitatem peccauit. 205.m.

Pisces Syris pro Dijs habiti. 114.p.

Pisistratus an auctor Rhapsodiæ. 79.m.

Pithecusa Insula. Vide, *Inarime, Typhœus.*

Plato de natura pauca disseruit, multa de moribus. 232.m. Platonici è sacris libris hausere pleraque. 216.p. Vide, *Philosophi, Anima, Inferi.*

Plautus, & Terentius Comicorum elegantissimi. 333. p. qua in re Plautus inferior Terentio. 377.p. Vide, *Argumenta.*

Plinius Veronensis ne fuerit, an Nouocomensis. 69. f. Plinij iunioris floridum dicendi genus. 210 f. 211.m.

Plotinus corpore fuit maximè temperato. 242.m. diuinasse fertur. ibid. Vide, *Philosophi.*

Podium quid in theatro. 268.m.

Poësis, seu Poëtica ars imitandi, siue imitatio est. 395.398.f. hoc est effictio, atque exemplum ab exemplari expressum. 395.f. non ab illo, quod animo conformamus, quæ est Idea, sed à rebus ipsis. 396.p. Picturæ persimilis. 406.m.f. 407.p. Differt ab alijs, quæ imitantur, artibus, præcipuè rebus ipsis, quas imitatur: quæ sunt persona, atque actiones humanæ verosimiles. 230.p. 231.328.p. 378.f. 396.m. debet enim fingere verisimile. 215.p. cadantnè in eius materiam artium, disciplinarumque præceptiones. 410.f. 411.p. non respuit has, si imitationem adiungat. 411. m. differt & ab alijs imitandi artibus, quibusdam instrumentis, & quasi præsidijs, quibus vtitur. 396.f. quæ sint ea præsidia. 396.f. 398. p.f. nobilior est poësis quàm historia, & cur. 321.p.

Tres poëticæ imitationis species Aristoteli, Epica, Scenica, Dithyrambica. 396. f. 398. p. An etiam eius species sint Citharistica, Auletica, Orchestica. 397.p. 398.p. duæ species Platoni, Icastice, & Phantastice. 120.m. 398.p. Rursus imitatio vel Exegematica est, idest enarrans, vel Dramatica, idest agens. 398. m. Exegematicæ species Epica, & Dithyrambica ibid. Dramaticæ Tragœdia, Comœdia, & Satyra antiqua. 398.m. tum Exegematica, tum Dramatica in Icasticen, & Phantasticen diuiduntur. 398. f. Species poëseos differunt inter se, quia personas, actionesuè diuersas imitantur. 401.f. 403.m. vel instrumentis, præsidijsq; quibus vtũtur. 403.f. vel modo, rationeque imitandi. 403.f. Epici, Tragicique præstantissimas personas, actionesuè imitantur. 402. p. Comici, & Satyrici tum mediocres, tum infimas. 402. p. Lyrici omnes ordines complectuntur. 402.p. 403.m. Vide, *Leges, νομική, Pastoritia, Scenica, Tragœdia.*

Poëtica ars à nonnullis Dialecticæ, Sophisticæuè subiungitur. 221.p. ab Aristotele ciuili 230.f. eius artis finis, vel delectatio, vel vtilitas, vel vtrunque. 203. p. De poëtica arte qui scripserint. 395. m.

Poëma picturæ cur simile. 258.p.m. illud interdum poëma dicitur, quod excludit Episodia aduentitia. 63. p. m. Partes eædem, aut ferè similes tum qualitatis, tum quantitatis Epici, Tragicique poëmatis. 412.f. immo & Elegiæ, & Lyricæ. 412.f. 413.p. diuerso tamen modo tractantur. ibid. Partes

qualitatis poëmatis, præsertim Tragici, sex vniuersè sunt Aristoteli, Fabula, Mores, Dictio, Sententia, Apparatus, Harmonia. 412.f. conueniunt etiam quadam ratione Comœdiæ. 353.f. & Elegiæ. 451.f. Partes quantitatis Tragœdiæ, Prologus, Episodiũ, Exodus, Choricus duplex, Commus. 254.p. 412.f. Comœdiæ, Titulus, Argumentum, Prologus, Actus quinque. 359.f. Epici poëmatis Propositio, Inuocatio, Narratio, Episodium, Finis. 413. p. Elegiæ, Propositio, Narratio, Finis. 413. p. Vide, *Elegia, Epica, Episodium, Fabula, Inuocatio, Lyrica, Principium, Prologus, Scriptores, Sententia, Tragœdia.*

Poëta imitator, pictori similis. 2.f. 203. m, propositum eius admiratio, vel delectatio. 3.m.f. 120.f. 203.p. 213.f. nam & ipsa admiratio delectationem gignit. 159.f. 160.p. 213.f. 296. p. quod admirabilius est, seligit. 29.p. 31.f. idcirco interdum factum narrat, quod fieri nequit. 159.m. 160. m. an pauca debeat ex sua persona loqui. 28.p. an eius vaticinia obscura esse debeant. 29.m. an personas inducere debeat. 30.m.f. 31.p. ad Deos confugit, in his tantũ, quæ naturæ vi fieri nequeunt. 87. f. 88. cur absurda de Dijs confingat. 5.m.f. idola, seu simulacra rerum inanimatarum, quasi essent animata, confingit, vt res ipsas exprimat magis. 159. 160. 193.m. 194.p. interdum vnius nationis mores ad alias transfert. 172.m. locorum ordinem in enumerationibus non semper sequitur. 182. p. in vno quopiam homine mores omnium vniuersè imitatur. 320.f. Vnicum argumentum, seu finem, hoc est vnicam vnius actionem sibi constituit, & cur? 203.p.m. morum expressio munus poëtæ præcipuum. 257.f. 258. 259. Poëtæ, historicique discrimen. 230.m. 320.f. differt vtriusque narratio. 59. 60. 61. & cur? 60. m. cuiusmodi conciones poëticæ esse debeant. 31.p. diuersa ipsi, atque historico incipiendi, ac desinendi ratio. 20c.m. in rerum expressione quomodo differat ab historico, & Oratore. 407.p.m. Furor poëticus. 185.p.

Poëtarum errata quænam grauia Aristoteli. 80.f. 81.p. excusandi illa sexdecim aperit rationes, & quasi capita. pag. 3. vsque ad 20.

Primum, quòd non in propria, sed aliena in arte peccauit: præsertim verò si ea ratione res fit admirabilior. 2.f. 3. p.m. 38.m. hæc enim peccata illis sunt leuiora. 3.f. 4.p. 174.m.

Secundo, quòd rem imitetur, non qualis illa est, sed qualem esse deceat, aut oporteat. 2.f. 4.m. 139.p.

Tertio, quòd rem exprimat, qualis fama fertur; vulgataque, ac populares sequatur sententias. 4.f. 5.m. 6.p. 26.f. 46.f. 86.f. 87.p. 99.f. 163.f. etiã si id falsum sit, præsertim apud virosdoctos. 100.f. 119.f. 120.p. 174.m. id enim esse, ac fieri dicit, quod esse, fieriue videtur. 91.m. eiusque verisimile satis est, si sit vulgo, ac popularibus verisimile. 46.f. 52.p.

Quarto, quòd exprimat consuetudinem illarum gentium, quarum actiones imitatur. etsi alioqui parum decoras. 6 m.f.

Quinto, quòd nõ solum spectat id quod fit, sed περιστάσεις etiam, quæ rem circumstant, quis, quid, vbi, quo tempore, cuius gratia: ex quibus verisimile fit rem ita contigisse. 7.p.m. 76.f. 83.m. 116.f. 158.m.

Sexto, ex diuersa eiusdem vocis apud diuersos populos significatione. 8. 9. vocabulis enim vtitur, quæ aliud alteri nationi significant. 8.p. 176.m.

Septimo, quòd frequenter figuris vtitur, præsertim hyperbole, ac metaphora. 2.f. 10. 11. 194.p. & prolepsi, siue anticipatione. 39.m. & anachronismo, hoc est temporis inuersione. 43. 44. 45. 46. cur ea permissa poëtæ. 46.m.f. qua eadem ratione vocabula noua pro veteribus, contrauè vsurpat. 107. 108. 109. 118.m.

Octauo, ex accentus mutatione, qui variam eidem vocabulo significationem impartitur. 11.f. 12. 13.

Nono, ex varia interpunctione, qua tueri

ri possumus orationem absurdam. 15. f. 14. p. m.
Decimo, si orationi ambiguæ commoda possit ex ipsa serie, ac structura subesse sententia. 14. f. 15. p.
Vndecimo, quòd vtatur vocabulo, formaque loquẽdi quam habet communis vsus. 15. m. 107. p.
Duodecimo, si vocabulum multiplicis sit significationis. 15. f. 16 p. m.
Tertiodecimo, si poetæ accusator præiudicata opinione ducatur, cuius cõtrariam poëta sequatur. 16. f. 17. p. m.
Quartodecimo, quòd quamuis incredibilis res videatur; sæpe tamen multa fiunt, quæ fieri non posse putamus. 17. f.
Quintodecimo dissoluitur criminatio eo planè modo, quo & sophismata: expendendo an sit idem quod dicitur, an ad idem, an eodem modo. 18. p. 113. f. 127. f. 191. m.
Sextodecimo, quòd poëta sequutus est docti cuiuspiam hominis, prudentisque sententiam: nam inter discrepantes sententias, quam vult, eligit. 18. f. 19. p. 70. m. 144. p. etiam inter se fortasse pugnantes. 85. m. 184. 185. 192. p. præsertim verò, vt ita res fiat credibilior. 31 m. 189. f. Vide, *Descriptiones, Dij, Empedocles, Epica, Imitatio, Mores, Tragœdia.*
Polycritus rerum Siciliensium scriptor contra fabulæ vnitatem peccauit. 206. m.
Polydamas ad Troiæ proditionem trãsigendam ad Græcos legatur. 49. f.
Polygnotus Atheniensis Theophrasto inuentor picturæ. 40. f.
Porcus Dijs Laribus mactabatur. 115. p.
Porphyrius. Vide, *Philosophi.*
Porticus quid in theatro. 269. m.
Posthumus, qui post obitum patris nascitur. 142. p. quasi natus post humatum parentem. 143. p. Item, qui patri postremo loco, siue post conditum testamentum natus. 142. f. 143. f. hac posteriore ratione scribẽdum, postumus, sine aspiratione. 143. p. m.
Præparatio, siue Isagoge aliqua Epico poëmati præmittenda. 27. m. 30. p.
Præsumptio poëtica, siue Anticipatio, & Prolepsis. 125. f. ex præsenti rerum statu præsumimus in præteritum, si mutatio nulla facta sit in re. 125. p. poëta etiam, quod videt præsens, præsumit sic etiã in præterito fuisse, si res mutationi non fuit obnoxia. 125. f. 126. p.
Prætexta quid. 333. m. Prætextata. Vide, *Comœdia.*
Primus interdum temporis ordine, interdum dignitaais. 24. p. m. 151. f.
Principiũ poëmatis quomodo definiatur ab Aristotele. 57. f. 62. m.
Procne in hirundinem, an in lusciniam versa? 100. p.
Prochyta. Vide, *Arimi, Inarime.*
Prolepsis. Vide, *Anticipatio, Anachronismus, Poëta.*
Prologus quid in fabula. 275. f. 276. p. quod eius officium. 276. m. 375. p. non idem in Comœdia, atque in Tragœdia. 365. f. quid in Comœdia. 366. m. in Comœdia agitur ab vna persona ad fabulam non pertinente; contra in Tragœdia. 366. p. Prologi in Comœdijs genera quinque. 366. 367. loquitur cum populo. 375. p. Vide, *Chorus, Poëma, Protasis.*
Propositio in Epopœia poëtæ cõsilium planè exponit. 416. m. in Elegia latenter. 416. m. f. 417. p. interdum etiam in hac distinctè. 417. m. hoc tamen rarò. 417. f. Vide. *Inuocatio.*
Proscenium quid in theatro. 268. m.
Protasis breuem habet rerum gerendarum significationem. 290. p. 375. m. quid differat à prologo. 375. m. actu primo semper absoluitur in Tragœdia, non semper in Comœdia. 290. m. an à choricis personis peragi possit. 290. f.
Proteruia quodnam sacrificium apud Romanos. 349. f.
Pueri perferendis frigoribus assuefaciendi. 173. p.
Pulpitum locus editior in Orchestra. 268. m. an differat à Thymele. ibid. dicitur & Ara. ibid.
Purpureum pro pulchro. 178. f. 179. p. m. purpurare, idest nitescere. ibid. Vide,

de, *Viola*.
Pyrrhus, cognatus Dædali, picturæ inuentor Aristoteli.40.f.Pyrrhi Epirotarum Regis mortis omen.385.m.
Pythagoras. Vide, *Numa*. Pythagoreorum doctrinam sectatur Virgilius. 235.p.Vide, *Mors*.
Pythij ludi Triptolemi temporibus instituti.172.p.Pythiæ feminæ cur diuinarent.242.f.

Q

QVercus Cereri sacra.112.f.115.f. Quintus Calaber Iliadem conatur absoluere.200.p.
Quirites interdum principes viros, proceresuè significant.108.f.109.p.

R

RAucus sonus non semper insuauis. 191.p.
Ῥαβδοῦχοι, & ῥαβδῳδοί, qui & rhapsodi.79.m.
Reatina tellus tremit.84.p. Insulæ in eo agro fluctuant.ibid.
Religio est Dei cultus.48.f.interdum,& pietas vocatur. 49.p. Vide, *Superstitio*.
Rex interdum rectorem, ac præceptorem significat.172.m.
Rhapsodi qui dicti. 79.p.m. quo colore induti prodirent recitaturi. 79. m. f. quando cœperint. 79.m.f. Poëtarum partiti sunt libros.ibid.f.Vide, *Epica, Hipparchus, Pisistratus, ῥαβδοῦχοι*.
Rhenus cur dictus vindex coniugij. 172. p.Vide, *Germani*.
Rhianus Cretensis, qui scripsit Thessalica, peccauit contra vnitatem fabulæ. 206 f.
Rhodus cur clara dicta ab Horatio, & Lucano.101.m.f.
Rhythmus quid Aristoteli 400.p.404.p.
Ridiculum est turpitudo sine dolore. 340.f.341.p. aliud petulans, & vndique petitum; aliud honestum,& liberale. 338. f. 339. p. huius causa interdum suppetit ex personis ridiculis. 341.m.hæ personæ quænam apud antiquos in scena, quauè forma fuerint. 342. & seqq. quæ apud recentiores Italos.346.p.m.ridiculæ etiam personæ ratione, sensuque carentes. 346.f. 347. vitiorum quoque personæ finguntur.347.f. interdum causa ridiculi ex rebus ipsis, quæ risum mouent. 341.m. 348. & seqq. Ridiculi ex turpitudine, nuc ex erratis genera quinque. 348. 349. dicta ridicula, iociuè quibus ex locis petendi. 349.350.351. carere omni obscœnitate debēt.352. f.Vide, *Comœdia*.
Risus vnde concitetur. 327. f. 328. m.f. 329. p. quidam voluntarius, quidam quasi necessarius. 341.p. interdum ex lætitia sine vlla turpitudine. 341. p. 348.p.Vide, *Officia, Senes, Serui*.
Romulus, & Remus infantes in Tyberim ex regionis proiecti consuetudine.172.f.

S

SAlmoneus an inuentor torm ēti æneí. 110.f.
Saltatio. Vide, *Demetrius*. theatralis saltationis genera tria: Emmelia pro Tragœdia, Cordax pro Comœdia, Sicinnis pro Satyra.370.f.
Saturnales dies tres, quinque, septem. 127.f. 128.p.
Satyra vetus suam habuit scenam, suos histriones.381.m.vtitur metro,cantu, & saltu. 404.p. Satyri in Tragœdiam cur inducti. 369. p. explosi tandem. 378.p.Vide, *Chorus, Pastoritia, Poësis, Saltatio, Scena*.
Σαυρωτὴρ quid græcis.6 m.
Scena eiusque membra in theatro.268. f. 269. eius etymon, & origo. 269. f. inumbrationem significat.270.p. propria fuit Satyræ ab initio.381.m. Triplex Scenæ species Comica, Tragica, Satyrica. 270. p. m. 396. f. quid differant. ibid. Scenæ ad ostentationem aureæ, argenteæ, marmoreæ, ductiles, versatiles.270.f.in hemicycli formam extruebatur. 271. f. eius carcer, regia, portæ. ibid. in Scena olim re ipsa verè occidebantur aliqui.307.m.
Vide,

Vide, *Spectacula, Machinæ, Personæ. Satyra*.
Scena pars Actus in fabula quid. 373. f. an quatuor, pluresuè personæ in ea loqui possint. 373. f. 374. p. alia scenarum eiusmodi præcepta. 374. m. f. Vide, *Actus*.
Scenica poësis vtitur oratione; præterea cantu, & saltu tantum in Choris. 396. f. 408. m. Scenicæ omnes versus variè miscent in Choris. 405. f. in his nusquam poëta loquitur. 406. p. Vide, *Poësis*.
Scriptores olim suum nomen initio operis apponebant. 22. m. conclusiones, siue Epilogos subiungebant. ibid.
Scylla Nisi in auem, Phorci in scopulum versa. 99. f.
Senes ridiculi quinam in Comœdia, quoue habitu. 342. p. m. Vide, *Aetas*.
Sententia quid generatim. 455. m. 456. p. m. oratoria, & poëtica. 455. p. simplex, & composita. 455. m. 456. m. cur aliquibus sententijs adiungatur ratio. 456. f. sententia poëtica quid. 457. f. quid in poëmate, ac Tragœdia. 261. m. Rhetorum argumentationi respódet. ibid. à moribus quid differat. 261. f. 262. p. eius partes, siue officia quinque. 262. f. qualis Tragœdiæ esse debeat. ibid. Vide, *Elegia, Poëma*.
Serpens Marti sacer. 112. m. 115. m.
Sertius Polensis parasitus: eiusque Epitaphium. 344. 345.
Serui ad risum excitandum quo habitu in Comœdia. 345. m. Seruus aduersitor quid. 345. f.
Sesostris Rex Aegypti Iasonis vsus naui. 106. f.
Seuerus Septimius Imperator dictus Pius. 51. m. mirificè lætatus, cùm accepit se in bello esse moriturum. 34. f.
Sibyllæ cur vaticinatæ. 243. m.
Sicilia vi ne maris, an Neptuni tridente à continenti diuulsa? 88. 89. quando in eam migrarint Græcorum coloniæ. 45. p.
Sicinnis quid. 370. f. Vide, *Saltatio*.
Silenus Deus reconditæ sapientiæ. 380. f. Vide, *Pastoritia*.
Silius Italicus peccaueritnè in suo poëmate contra fabulæ vnitatem. 207. p.
Similitudo. Vide, *Icastice, Idolum*.
Simonides Epicusnè poëta, an Elegiacus. 390. m. 410. m. f. quo tempore vixerit. 410. f.
Simulus, res Romanorum omnes vno complexus poëmate, contra vnitatem fabulæ peccauit. 206. f.
Sisyphus quid sua pœna significet. 236. p.
Σῖτος quid significet. 343. p.
Socrates ex melancholia multa præsensit. 242. m. carpitur ab Aristophane vt contemptor Deorum. 347. m. Vide, *Philosophi*.
Solon leges Elegiaco scripsit carmine. 389. m.
Solutio fabulæ. Vide λύσις.
Somnia cœlestia cur cornibus, terrestria ebori comparantur. 145. m. eorum portæ duæ doctorum disputationibus attritæ. 144. f. cur cornea vera, eburnea falsa. 145. f. 146. p. f. an aliud quid significent. 146. m. cur eburnea magis, quàm cornea eductus Aeneas. 147. 148.
Spectacula tragica, siue atrocia amouenda à scena, & cur. 306. 307. 308. an aliquando ea concesserit Aristoteles. 308. m. f. 309. p. quæ spectacula Romani exhibuerint Imperatores. 307. m. 371. m. Vide etiam, *Apparatus, Tragœdia*.
Stannum pro ære, ferroue. 15. f. 107. m.
Stasimus in choro quid. 288. p. m. quam sedem habeat in Tragœdia. ibid.
Statius poëta Neapolitanus, non Tolosanus. 70. p. contra vnitatem fabulæ peccauit in Achilleide. 205. f. 206. p. & in Thebaide. 206. m.
Stoici voluntariam mortem probant ad vitandas miserias. 132. m.
Strophe propria est Dithyrambicæ, Lyricæque poëseos. 281. p. 402. f. ad choros Tragœdiæ translata. ibid. quid Strophe, Antistrophe, Epodos. 281. p. Vide, *Chorus, Dithyrambus*.
Στροφεῖον machina quid. 272. m.
Styx quid Platonicis. 235. f.

Superstitio antiquis existimata religio. 53.f.54.p.
Sylua ad aquas Cutilias mobilis. 84.m. f. aliæ item in Nymphæo, dictæ Saltuares. ibid. & in Tarquiniensi lacu. ibid.
Syluius num Aeneæ seni natus, an vita iam functo.142.f.143.p.f. Alijs creditus Ascanij filius.144.p.
Syracusæ nullo die non cernunt Solem. 101.f.
Syrma vestis tragica quid.273.m.

T

Tantalus auari cruciatum sua pœna significat.226.m.235.f.
Tarquinius Superbus eos, qui sibi mortem consciuerant, addixit cruci. 134.p.
Taurus quibusnam Dijs non immolaretur.82.m.eum immolare Ioui, piaculum.83.p.Lunæ mactabatur.115.p.
Terentius Latinis Comicis præstat omnibus.336.f. eius Andria duas actiones habet. 353. f. 363. m. 364. Vide, *Plautus, Argumenta.*
Terræ nonnullæ tremunt. 84. p. Terrigenarum lancea quid Aristoteli.297. f.298.
Testudines Troglodytis habitæ pro Dijs.114.p.
Teucer in Phrygiam deduxit coloniam. 71.m.
Theatrum à quibus scriptoribus explicetur.266.f.eius schema ex Vitruuio. 267. 268. constat cuneis, orchestra, pulpito, proscenio, podio, scena, hospitalibus, valuis regijs, & hospitalium porticu. ibid. Vide hæc suis locis.
Thebanum bellum omnium, quorum extat apud Græcos memoria, antiquissimum.40.p.
Theocles nonnullis inuentor Elegiæ. 383.f.
Theodorus.Vide, *Metamorphosis.*
Theseus redieritnè ab inferis, an ibi perpetuo manserit. 127. 128. inuentor fuit saltationum in Choris.281.f. 402.f.
Thespis an inuentor Tragœdiæ. 256.m. faciem minio primus illeuit. 273.p.
Threni carmen lugubre, à quo inuentum.387.p.
Thule Insula an supernatauerit aliquando. 98.f. 101.p. cur dicta nigra. 101.m.
Thymele.Vide, *Pulpitum.*
Tibicines in Comœdia substituti pro Choro. 356.m.368.f. Tibiarum modi præcipui Doricus, Aeolicus, Lydius, Phrygius, Ionicus. 356.f. 357.p. tibia vetus, & noua.357.f.358.tibiæ pares, & impares. 358. p. dexteræ, & sinistræ. 358.m.f. Phrygiæ, & Sarrhanæ. 359.p.m.
Titulus. Vide, *Comœdia, Poëma.*
Tityus sua pœna libidinis cruciatum nobis significat. 226.m.235.f. vultur, conscientiæ lacerationem.235.f.
Togata. Vide, *Comœdia.*
Tormenta ænea, vulgo a sonitu, bomboque bombardæ dictæ, fuerintnè antiquis temporibus. 110.f. 111. p. Vide, *Salmoneus, Artemisius, Eutropius.*
Trabea quid.333.f. Trabeata. Vide, *Comœdia, Melissus.*
Tragicocomœdia an dramatis genus sit à Tragœdia, Comœdiaque diuersum.318.f.377.m.f. 378.p. nomen hoc à Plauto per iocum confictum.319.f. tertium hoc dramatis genus, ex fine, personisque longè dissimilibus coagmentatum, non videtur idoneum. 320. p. qua ratione tamen defendi possit. 378. m. Pastoritiæ Italorum Tragicocomœdiæ.336.f.378.
Tragœdia dicta ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc est ab hirco, & cur. 249. f. 250. p. Bacchi laudes initio continebat. ibid. quinam eius inuentores. 250.m.f.antiquissimum est poëseos genus. ibid. quinam poëtæ Tragici. 250. f. explicatur eius definitio.251.p.m. est imitatio personarum illustrium. 251. m. finis eius animi metum, & commiserationem abstergere. 251.m.f.252.m. f. 319.m. purgat etiam audaciam, & crudelitatem.340.m.inuenta ad principes viros in officio continendos. 337.f. 338.p. immerito eam Proclus,

&

& Plato à Repub. ablegarunt. 252. m. eius vtilitates. 253. m. Partes eius tum quantitatis. 254. p. 412. f. Vide, *Poëma*. tum qualitatis. 254. p. 412. p. Vide ibidem. intra vnius tantum Solis ambitum concludi debet. 255. m. 326. f. cur rem à principio non ordiatur. 255. f. terminus eius tum naturalis, quem rei natura postulat, tum artificiosus, quem imponit cleplydra. 256. p. m. tragica sententia qualis esse debeat. 262. f. 263. p. eius dicendi genus grandiloquum. 263. m. f. demittit sese tamen inter dum. ibid. an soluta oratione conscribi possit. 264. p. m. an alio carmine, quàm iambico. 264. f. 265. p. an hexametro, siue heroico. 265. p. f. 325. 326. an elegiaco. 265. f. an vario carmine. 265. f. 266. p. Tragicæ vestes variæ. 273. m. f. qualis initio, qualis postea Tragœdia fuerit. 276. f. 277. p. Tragœdia composita, siue implexa, quæ peripetiam, vel agnitionem, vel vtrunque habet: simplex, quæ his caret. 292. m. 295. p. f. 363. p. à Tragœdia spectacula atrocia amouenda. 306. 307. 308. Insigniter scelesti homines ad principes in Tragœdia partes agendas minimè apti. 309. f. 310. m. & cur. ibid. & 317. m. f. 318. p. ne excellenti quidem probitate, & sanctitate præditi. 315. 316. & cur. 316. aptissimi qui nec virtute, nec vitio insignes sunt. 318. etiam is, qui cædem perpetrauit, interdum commiseratione dignus est habitus, & persona apta Tragœdiæ. 310. f. 311. p. an censenda sit Tragœdia, quæ felici exitu terminatur. 311. m. 318. f. 319. p. f. 376. m. Tragœdia simplex, & composita non est idem Aristoteli, quod fabula simplex & composita. 311. f. simplex pulcherrima, & quæ. 312. m. f. non est idem Aristoteli optima, & pulcherrima. 313. m. f. 314. cur in paucis familijs versari dicatur ab Aristotele. 310. f. 322. p. cur vera nomina vsurpet. 162. m. 322. p. aliqua tamen confingi possunt. 322. m. interdum & nomina omnia, & rem ipsam confingit. 323. m. f. huiusmodi tamen Tragœdia imperfectissima. 323. p. vim suam etiam si sola legatur, hoc est sine apparatu, & scena, retinet. 324. p. cur videatur Epica inferior. 323. f. 324. illi tamen præstat. 324. f. 325. 326. maiorem habet vnitatem, quàm Epica. 326. f. vtitur metro, cantu, & saltu. 404. p. differt ab Epica, quod nullam humilem personam imitatur. 404. m. Vide etiam *Apparatus, Aulæa, Chorus, Commus, Comœdia, Cothurnus, Epica, Episodium, Error, Exodus, Fabula, Parodus, Persona, Poësis, Poëma, Prologus, Protasis, Saltatio, Scena, Sententia, Stasimus, Strophe, Syrma, Thespis*.

Transformationes. Vide, *Metamorphosis*.

Tribus Romanis vnde dictæ. 280. f.

Triphiodorus Aegyptius Iliadem conatus absoluere. 199. f. idem bellum Marathonium scribens contra fabulæ vnitatem peccauit. 206. m.

Triremis fabricata post bellum Troianum. 106. f. eam molitus Amocles Corinthius. ibid. pro quauis naui sumitur. 108. m.

Troia an dicenda barbara ciuitas. 71. 72. fuit Græcorum colonia. 71. m. f.

Τρυξ quid græcis significet. 249. f.

Tucca & Varus quid abstulerint ex Aeneide. 73. m. 74. p.

Tunicata, & Tabernaria. Vide, *Comœdia*.

Tyberis fluuius dictus cæruleus. 177. f. & cur. 179. m. f. 180. p. an potius albus, vnde & dictus Albula. 177. f. à Tybri Albanorum Rege nomen accepit. ibid. flauus poëtis dictus, idest pulcher. 178.

Typhœus sepultus in Arimis in Syria. 175. m. f. 176. p. an in Insula Pithecusa? 177. p.

Tyrannus dictus Rex quiuis, etiam iustus. 107. f. 108. p. tyrannis à Platone minimè laudata 108. p.

Tyrtæus animos militum Elegiaco accendit carmine. 390. p.

Vaca-

V

VAcationes, hoc est abstractiones à corpore septem. 241. f. 242. 243. eæ sunt Platonicis diuinandi causæ. ibid.
Vaccæ Momemphitis pro Dijs habitæ. 114.p.
Valentinianus Imperator dictus Pius. 51.m.
Valuæ Regiæ, & hospitalium quid in Scena.269.p.m.
Varrones duo. 393. f. Atacinus scripsit Argonautica. 206. m. vter scripserit Elegos.393.f.394.p.
Vaticinium poëtarum an obscurum esse debeat.29.m.32.p.proprium est Sacerdotum.187.f. & morientium. 188. 189. num interdum quoque viuentium.189.m.Vide, *Diuinatio, Morientes, Sibylla.*
Velia oppidũ in Lucania à Seruio Tullio Rege conditum.122.p. dicta olim Elea,ab ἕλος, hoc est palude. 123.m. Dicta, & Elea ab eiusdem nominis fluuio. 125. m. Velinus portus palustrem significat.123.m.
Venti in eam regionem non aspirant, vbi vtres edito in loco deligati suspenduntur.223.f.224.p.
Venus duplex. 75.f.239.m. interdum pro recta etiam ratione sumitur.ibid. Veneris templum Corinthi mille meretricibus refertum. 69. p. Vide, *Columba.*
Viola,cùm sit pallens, cur dicta purpurea.179.p.
Vir vnde dictus.74.f.
Virescere prima producta, vires recuperare.178.f.179.p.
Virgilius triplicem vitam triplici opere adumbrauit. 22.f. 23.p. ijsdemque libris triplex dicendi genus complexus.459.m. an Homero præferendus. 28.29.244.m. non Homeri solum,sed etiam Apollonij, aliorumque imitator.42.m. An Aeneida in libros diuiserit. 80.p.Icasticen, phantasticenque permiscuit. 120.m. defecit,si Macrobio credimus, vbi Homeri ductu caruit.149.f. ab Oratoribus dignus explanari.210.m. imò & à philosophis. 211.f.212.p.autor,parensque eloquẽtiæ.210.elegantissimus Orator. ibid. vel ipsi Ciceroni à nonnullis anteponitur. 210.f. omne genus eloquentiæ complexus. 211. p. Vniuersitatis exprimit varietatem.ibid.etiam in Allegorijs imitator Homeri. 218. p. quas operi aspergit suo.218.m.f. libri eius reconditam continent philosophiam. 218.m. f. est Poëtarum Plato.220. m. moralia magis,quàm naturalia suo in poëmate adumbrauit. 227. & seqq. Theologus, & Pontificij iuris interpres. 227.f.excutit omne penu philosophiæ. ibid. liberalium artium doctor.ibid.moralis præsertim philosophiæ. 229. m. 230. p. 231.f. philosophiam Platonicam,Pythagoricamque expressit.232.235.m. Vide etiam *Aeneis, Alexander, Dantes, Episodium. Gordianus, Homerus.*
Virtus in prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam quadripartitò diuiditur.238.p.239.f.240. aliter à Plotino,in purgantes,purgati animi, politicas,& ideas.ibid. vel in otiosas philosophorum,& actuosas magistratuum,& mistas.ibid.
Vlysses viri prudẽtis symbolum.230.m.
Vmbræ.Vide, *Anima.*
Vrbes à fluminibus nomen sumpsere multæ.125.m.
Vrsa cœlestis num sola non occidat. 11.m.25.p.
Vulcanus faber vniuersitatis molitionem à Dijs cum voluptate exceptam significat allegoricè. 215. f. 216. cur Scamandro, Xanthouè fingatur contrarius.222.f.

X

XAnthus fluuius. Vide, *Vulcanus.* ξανθὸν,idest,flauum epitheton pulchritudinis apud græcos.178.p.
Xenophanes Colophonius qua ratione Homerum defenderet.5.m.

Z

ZῆταZ litera à ζῆν dicta.167.f.
Zoroaster diuinasse creditur.242. f.Vide, *Philosophi.*
Ζωρότερον quid Homero.9.f.10.p.

LI SYL-

# SYLLABVS AVTORVM, *qui toto in opere vel citantur, vel illustrantur, vel refelluntur.*


ABVLENSIS Tostatus.210.f.
Adrianus Turnebus citatur. 102.m.143.m.168.m.refellitur. 123.m.defẽsor Virgilij.2.p.
Aelianus var. histor. 79.m.
Aeschylus Poëta in Tragœdia, septẽ ad Thebas. 40. m. Perse . 279. p. 290. f. Prometheo, & Agamemnone. 372. f. libro non adnotato.142.m.
Agathias historicus.111.p.
Agathosthenes philosophus.99.m.
Albericus Gentilis.39.m.
Alciatus Andreas Iurisconsultus.124.f. 125.128.f.143.f.168.p.f.
Alexander Aphrodisiensis philosophus. 13.p.m.
Alexander Paccius Interpres Aristotelis.5.f.12.f.
Alexander Piccolomineus citatur.3.m.f.294.p.309.p.316.f.355.m. 395 p refellitur.125.p.329.p.
Alexis Poëta Comicus in Lino.44.f.
Angelus Politianus. Vide, *Politianus.*
Antipater Sidonius in Anthologia.68.f.
Antiphates Poëta Comicus.98.m.
Apollonius Rhodius. 43.f. 66. p.m.104. m.f.105.109.m.139.m.140.m.152.m.
Appianus Alexandrinus historicus.47.p.
Apuleius Madaurẽsis de Mundo.272.m.
Aristophanes Poëta Comicus in Auibus. 100.p.374.p. Ranis. 374. reprehenditur in Rhanis.346.f. in Nebulis. 347. p.in Auibus.347.f.
ARISTOTELES Stagirites Philosophus.

*Loci ex eius Poëticæ.*

Ex Capite primo multa strictim explicantur.396.f.397.398. de auletica, & citharistica num distinctæ sint formæ poëtices.397.p. cur tanquam species poni videantur. 383.f. Poësis est imitatio.395.m.328.p.qualis, quarumuè rerum.ibid.& seqq. qua nota differat ab alijs imitationibus, quæ poëticæ non sunt.396.m. & seqq. Poëticæ genera qua ratione secernantur inter se.396.f.401 f.& seqq. Oratio metrica instrumentum est, nõ vis intima poëseos. 355. m. varijs siue mistis metris non vtitur Epopœia. 405.f.410.f. Socratici Sermones, Sophronis, & Xenarchi Dialogi inter poëmata numerandi, & cur. 264.m. disciplinæ, earumque præceptiones non sunt materia poëseos. 410.f. 411. f. legum poësis, hoc est νομικὴ, seu νόμων (quæ male legitur, Mimorum, poësis, apud Latinum Interpretem) est Dithyrambicæ pars. 389. f. 396. f. 400. p. Epopœia præstantiores, medios, infimos imitatur. 405. p. Tragœdiæ inuentores.250.m.
Ex secundo. Imitatio ex delectatione nata est; nobisque natura insita.159.f. Iambus senarius debetur omnino Tragœdiæ.264.f.325.326. Comœdiæ definitio 327.f.328. risus, Comœdiæ propositus, vnde nascatur. 340.f.341. Tragœdiæ imitatio intra vnum diem compelli debet . 255. m. an recitatio diem vnum explere debeat.ibid.
Ex tertio . Tragœdiæ definitio explicatur per partes 251 p.
Ex quarto . Mores emendare, est hominis actiones ad felicitatem dirigere. 231.p.id quod etiam facit Poëta.ibid. Fabula est synthesis , seu constitutio rerum. 452.p. Mos, & morata oratio quid. 453.f. 454.p.m. Sententia quid sit. 457.f. quid eius proprium.261.m. & seqq. Dictio poëticæ quæ & quotuplex.263.m.in moribus effingendis imitandus pictor.257.f.
Ex quinto. Fabula, quasi corpus, principio

pio constat, medio, & fine. 59.f. 61.p. quid principium. 59.f. quid finis. 441.f. Fabulæ disponendæ ordo. 62.p.m. 63.p. Explicatur totum illud caput de magnitudine, & dispositione fabulæ. ibid. & 254.f. 255. 256. 452. conditiones fabulæ. 256.p. duplex Tragœdiæ finis, ac terminus à clepsydra, & à rebus. 256.m.f. 441.f.

Ex sexto. Vnitas fabulæ quæ, quantaue esse debeat. 201.f. 202.p. 203.f. 205. 207. totum explicatur caput. ibid. & 256.f. 257.p.

Ex septimo. Explicatur totum. 320.f. 321. 332. Historici, poëtæque discrimen. 230.m. 320.f. 321.p.m. 322.p.m. Comœdia fingit res, & nomina. 362.m. an hoc etiam facere liceat in Tragœdia. 320. 321. 322. Agathonis Tragœdia *Flos*. 322. Credibile, & verosimile quid sit. 162.m. 195.p.

Ex octauo. Fabulæ Episodicæ deterrimæ. 94.f. Episodica fabula quæ. ibid. Episodia necessaria, & verosimilia esse debent, & quæ sint eiusmodi, 95. 96. de Episodijs rursum. 257. Histriones interdum fabulā plus æquo producunt. 371.f.

Ex Nono. Fabularum aliæ simplices, aliæ implexæ. 292.p. quæ simplices, quæuè implexæ. 292. 293. 363.p. Agnitionis definitio. 293.f. diuisio. ibid. altera diuisio. 297.p. perturbatio quæ pars fabulæ. 308.m.f. 309.f. fabula pathetica quæ. ibid.

Ex Decimo. Partes quantitatis in Tragœdia. 275.f. Prologus. ibid. & 276.p. Episodium. 276.m. 279.p. Epodus. 277.f. Parodus, Stasimus, Commus. 287.f. 288.

Ex Vndecimo. Fabula simplex, & duplex. 364.p. 365.m. neque insignitè probi, neque insignitè scelesti debent induci. 315. 316. 317. atrocia spectacula è scena submouenda. 306. 307. etiam ij, qui grauissima scelera perpatrarunt, interdum commiseratione digni. 310.m. Tragicocomœdiæ fabula videtur indicari, sed non probari. 420.p. 377.f. 378.m. quatuor errandi genera in Tragœdia. 304. 305. 309. 310. 311. 312.

Ex Duodecimo. Mores rectè expressi quatuor habere conditiones debent. 258.f. sint probi. ibid. conuenientes personæ. 259.p. similes. 259.f. æquabiles. 260.p. solutio fabulæ naturalis, ac plana probatur Aristoteli. 296.m. non tamen artificiosa, & per machinam. ibid. peccant Poëtæ cum personæ tribuunt mores ei non congruentes. 35.f. mores rectè expressi picturæ similem fabulam faciunt. 257.f. Totum caput breuiter explicatur. 258.

Ex Decimo tertio. In quo agitur de agnitionum, solutionumq; vario genere, multa ac pene totum explicatur. pag. 297. vsq. ad 304.

Ex Quintodecimo. Nomine poëmatis intelligitur interdum ipsa princeps actio sine Episodijs 63.m. 277.p.m. Episodia esse debet in dramate breuia; in Epopœia longiora. ibid. & 421.m.

Ex Sextodecimo. Connexio, & solutio fabulæ varia. 291.m. 292.p.

Ex Decimo nono. Sententia quid sit; quid eius proprium. 261.p. 457.f. quomodo differat à moribus. ibid. sententiæ officia quinque. 262.f.

Ex Vicesimosecundo. Epica vnum corpus efficere debet, & vnum opus, principio, medio, & fine constans, haud minus quàm Tragœdia. 61.p.m. 62.p. vnitas Homericæ Iliados. 209.p. versus heroicus grauissimus. 265.p. tumidissimus, & maximè stabilis. ibi. Epici Poëtæ loqui per se parum debent; inducere loquentes frequenter. 28.p. in eo omnes vincit Homerus. ibid. quod est mirabile, delectationem parit. 160.p. ideo Poëta sequitur admirabile. ibid. & 217.p.m. errata quædam Poëtarum, quæ dicuntur ἄλογα. 80.f. huiusmodi videri potest expositio Vlyssis in patriam à Phæacensibus. 81.p. defenditur ab Aristotele. ibid.

Vicesimum tertium, vbi traduntur defensiones Poëtarum, explicatur totum pag. 3. vsq. ad 20. Præterea. 107. p.m. 110.m. 113.f. 120.p. 127.f. 138.f. 160.m. 163.m. 176.p & alibi.

Vicesimum quartum, vbi comparatur Tragœdia cum Epopœia, explicatur totum.323.f. 324.325.
Poëticæ liber Aristotelis, non videtur absolutus.216.m.329.p.quinam illum explicarint.395.p.m.
*Loci ex alijs libris Aristotelis.*
Ex 1. Rhetor. 204. m. ex 2. Rhetor.7.f. 258.f.315.m. 455.m. 456.f. ex 3.Rhetor.68.p.
Ex 1.Ethic.204.m. 230.f. ex 3.Ethic.32. m.36.p.133.f.
Ex 7.Polit.173.p.ex 8.Polit.251.f.252.f. 340.f.357.m.
Ex Problematis. 74.f. & 204. m. 389. f. 400.p.vbi de nomice, seu legali poëticæ specie; quod habetur sect. 19. probl.28.
Ex libro de Mundo.166.m.272.m.
Ex Meteoris.88.f. lib.de Memoria. 301. f.de histor.anim. 174.p. lib.2. de gener. animal. c.4. post med. 258.p. de admir. audit. 206.f. ex libro de locis Homeri,qui non extat.212.p. ex alijs eius libris 190.f.242.m.395.m.
ARTEMON Milesius.183.f.
Athenæus Dipnosoph. 36.m. 44.f. 45.f. 69.p.191.f.205.m.253.p.260.f.389.f.
D.Athanasius Alexandrinus.308.f.
Atteius Capito.82.m.
Auerroës Cordubensis.203.p.256.p.defenditur.203.f.discedit ab Aristotelis mente.315.m.
D.Augustinus Hipponensis. 42.m. 48.f. 49.m. 153. p. 210. m. 218. m.232 .p. 243.f.
Aurelius Prudentius.121.m.
Ausonius Gallus Poëta. 21.m.42.f.64.f. 143.f.333.f.
BARBARVS. Vide, *Daniel.*
Bernardus Saracenus.374.f.
Bessarion Cardinalis.108.p.
Boëthius Seuerinus philosophus.386.f.
Brodæus Ioannes.39.m.
Budæus Gulielmus.266.f.366.f.
CALLINVS Poëta Elegiacus. 390.m.
Callimachus Poëta in Elegia de lauacro.448.f.449.eius erratum.4.m.eius anachronismus.46.p.
Calpurnius Siculus poëta Bucolicus. 381.p.
Canterus. Vide, *Gulielmus.*
Cassiodorus Aurelius.266.f.269.f.
Casteluitrus Ludouicus citatur. 81. p. 149.f.395.p. 405.p. refellitur. 354. f. 355. p. rursum. 355. m. reprehendit Aristotelem.317.p.refellitur. ibid.reprehendit Homerum, & Virgilium. 28.p.80. f.86.f.94. 95. 122.p.162. 163. 186.f. refellitur his ipsis locis. 29.30. 81.87.95.96.97.163.164.187.
Catullus poëta citatur.83.f.109.m.178. m.407.f.461.m.462.f.464.p. eius anachronismus.43.f.
Cerda Ludouicus.194.f.
Cesellius Vindex Virgilium redarguit. 141.f.eundem defendit.142.f.
Chrysippus philosophus.225.p.
M. CICERO Orator. Epist. ad Att. 21.m.ad Famil.243.m. ad Q. fratrem. 372.m. de Inuent.48.p. de Orat.114. p.349.f.351.p. Orat.ad Brut.352.m.f. pro Sex. Rosc.340.m. in Verr. 101.f. 350.m. pro Planco. 49. p. pro domo sua. 49.p. pro Mil. 310.m. Philippic. 183.f. Tuscul. 33.f.72.m.f.72.f. 225.f. 406.f.de Finib.21.m.de Nat.Deor.26. p.de Diuin.198.m. in Academ.179.p. de Senect. 169.f. de Amic. 343.m. de Offic.352.f.
Claudianus poëta. 51.f. 88.p.m. 171. m. 173. m. permutat Laidis patriam. 68.f.
Clemens Alexandrinus. 98. m. 206. f. 335.m.
Cœlius Rhodiginus.185.m.266.f.
Columella de re rust.gallos gallinaceos iubatos appellat. 66.f.67.p. violam purpuream.179.p.
Concilium Bracarense.236.f.
Cornelius Gallus Elegorum scriptor. 459.m.f.460.
Cronius.217.m.
Q.Curtius historicus.155.m.
Cyrillus Alexandrinus.221.f.
DANIEL Barbarus in Vitruu. 268.p.
Dantes Aligherius Statij permutat patriam.69.f.
Dares Phrygius.49.f.
Demetrius Phalereus philosophus.153. m.

m. 407. m.
Demosthenes Orator. 183. f. 343. m. 389.m.
Didymus. 145.m. 385.f. 400. p. 402. m. 409.m.
Dio historicus.132.p.
Dio Chrysostomus.60.p.m.185.p.
Diodorus Siculus historicus.114.p.
Diogenes Laërtius historicus. 205. m. 389.m.410.f.
Diomedes Grammaticus. 265.p.273.m. 274.f. 329.m. 330.p. 373.f. refellitur. 285.p.
Dionysius Halicarnasseus historicus reprehendit Thucydidem.182.m.
Dionysius Lambinus. Vide, *Lambinus.*
Dioscorides de re medica.37.m.
Donatus Grammaticus. 23. m. 210. m. 227.f. 232.m.274.m.340.m. 345.f.363. p.f.373.m.374.p.
EMPEDOCLES philosophus. 14. p. 221. m. vtres suspendit ad inhibendos ventos.223.f.
Ennius Poëta, Medea.21.m.
Ephæstion.205.f.
Epicharmus poëta Vlysse naufrago reprehensus ab Arist.36.m.260.f.
Epigrammata græca.167.f.171.m.
Erythræus Nicolaus.178.f.
Etymologicon græcum.140.f.280.m.
Euripides Poëta Troadibus. 98.p.99.m. 275.m.Helena.174.f. Hippolyto.275. m.286.p. Rheso.279.p. 290.f. Andromacha. 265.f. 286.f. 289. f. Iphigenia latè.299.m.300. Medea. 304.f. Hecuba.372.f. Cyclope.377.f. qua ratione se defendit, quòd dixit esse peierandum. 7. f. euertit seriem temporum. 44.f.45.p. reprehenditur ab Aristotele.260.f. 261.p. reprehenditur in Hecuba.354.m.
Eusebius Cæsariensis. 47.p. 69. f. 70. m. 216.p.
Eustathius in Homerum. 213.m.215.m. 237.f.348.m.in Iliadem.176.p.188.m. 200.p. in Odysseam. 110.f.144.f. 145. m. 223.m. in Dionysium Afrum. 88.p. 205.f.
FAVSTVS Victorinus. 281. f. 402.m.
Festus Grammaticus.266.m.380.m.
L.Florus historicus.156.f.
Fracastorius Hieronymus.461.m.
Franciscus Bonamicus.395.m.
Fronto Grammaticus.180.p.
Fulgẽtius Placiadis Mythologus.219.m.
Furius poëta. 178.f.
GALENVS medicus. 98.m. 171. p.184.m. 225.p.m. 257.m. defendit Homerum.152.f.
Gallus. Vide, *Cornelius,*
A.Gellius citatur. 122. p. 167.p. 178.f. 183.f.184.p. 272.m. reprehendit Virgilium ex Phauorino. 92. p. m. & ex Higyno.123.p.127.p.ex Apollinari, & Cesellio.141.f.142.
Germanus in Virgil.193.p.
Giraldus Lilius. 205.f.207.p. 266.f.307. m.390.m.410.m.459.f.
D.Gregorius Nazianzenus.190.f.
Gulielmus Canterus.143.p.
Gulielmus Modicius defendit Virgiliũ. 2.p.71.m.118.p.150.m.
HARPOCRATION. 390.m.
Heliodorus Aethiopic. 400. m. 409.m.
Herodotus historicus. 89.m.114.p.115. p.164.f.
Hesigonus historicus.99.m.
Hesiodus poëta.225.p.f.
Hesychius.177.f.
D. Hieronymus. 210. f. 218. m. 243.m. 353.p.
Hieronymus Robertellus citatur.36.m. 266.m.293.m.297.f. 309.p.384.m.395. p. Lambinum reprehendit. 16. m. reprehenditur. 3.f.12.f.13.p.315.f.
Higynus. Vide, *Iulius.*
HOMERVS Poëta.
*Loci ex eius Iliade.*
Iliados argumentum, & scopus.201.m. 206.m.208.f.209.p.
Ex libro Primo. Mulosnè, an custodes, canesuè Iues primum interemerit. 8. m.f.9.p. quid sibi velit Deorum risus ex claudicatione Vulcani. 215.m. f. 216.p.
Ex Secũdo. Defenditur Homerus à Platone reprehensus, quod dixerit somnum allegatum ab Ioue ad decipiendum Agamemnonem.11.f.12.13. quid sit Deos dormire.10.m. Thersites ho-

mo turpiſſimus, & caprarij, ſubulcique inducuntur ab Homero in Epopœia.404.f. cur Nireus tam verbosè pulcher in Catalogo deſcribatur, cuius poſtea nulla mentio. 152.f.153.p. εἰν ἀρίμοις non eſt vox cōpoſita.175.f.176.p. quem ſequatur ordinem in militibus enumerandis. 181.f.

Ex Tertio. Defenditur Homerus, quòd Menelaum inducat in Iouem maledicta iactantem.7.m.f.Ex eodem tertio, ac ſexto. Criſtas galearum antiqui fecerunt ex caudis, ac iubis equinis. 67.p.m.

Ex Nono. Quid Homerus intelligat, cū Achilles Patroclum iubet hoſpitibus præbere ζωρότερον: ſignificetnè vox illa, *feſtinanter*; an *vinum meracius*. 9.f. 10.p.

Ex Decimo. An credibile ſit in Græcorum exercitu omnes dormiſſe, præter Agamemnonem. 10.f. 11.p. cur idem dicatur intempeſta nocte, cùm eſſet in ſtratis, reſpicere campos Troianos. 10.f. cur Diomedes haſtas humi defixas haberet, non intentas in hoſtem. 6. m.f. Dolon turpis an rectè dicatur pedibus pernix.9.p.

Ex Vndecimo. Semidei epulaturi ſedēt. 109.m.

Ex Quintodecimo. Hector, penè ſolus in fugam Græcos omnes auertens, an rectè fingatur.3.f.

Ex Decimoſexto. Patroclus moriens cur imminentem interitum denunciare poſſit Hectori vaticinans.188.f.

Ex Decimoſeptimo. Achillis equi plorātes ex obitu Patrocli.192.f.

Ex Decimo octauo. Achillis ocreæ cur dicantur ſtanneæ.15.f.107.p.

Ex Viceſimo. Dij cur inter ſe contrarij, ac pugnantes.221.f.

Ex Viceſimo ſecundo. Hectoris, Achilliſque monomachia an probabilis. 197. p. Hector moriens Achilli vaticinatur obitum.189.p.

Ex Viceſimotertio. Columba proponitur ictibus iaculatorum in funere Patrocli.112.p.

Ex Vltimo. Ilias abſoluitur Hectoris obitu, ac funere.199.p.

*Loci ex Odyſſea.*

Odyſſeæ ſcopus, argumentum, conſtitutio.63.m.227.p. 312.p. Vnica actione continetur.201.f.207.m.

Ex libro primo. *Dic mihi, Muſa, virum.* idoneum initium. 417. m. cur concilium Deorum inducatur.27.m.

Ex ſecundo. Cur Telemachum comitentur duo canes. 8.f. Icarius, pater Penelopes, an Lacedæmonius.16.f.

Ex Quarto. Telemachus de patre ſciſcitaturus ad Menelaum proficiſcitur. 16.f. 17.p. an Homerus ſignificet eorum, qui moriuntur in aquis, etiam animam interire.35.m.

Ex Quinto. An rectè ſolam Vrſam non occidere dixerit Homerus. 11. m. Vlyſſes obſeruans ſidera.ibid.p. Vlyſſes in naufragij periculo an rectè gemat.33.p.

Ex Septimo. Rectenè ſolus, & ſine comitatu ad Alcinoum Vlyſſes veniat. 28.f.31.m.

Ex Octauo. Vlyſſes ab Alcinoo ex fletu cognitus.302.p.

Ex Nono. Heroës ſedent, non diſcumbunt, in menſis.109.m.

Ex Decimo. Venti cur vtre concluſi. 223.p.m.

Ex Vndecimo. Cur Vlyſſes ſtricto gladio ſacrificium peragat magicum. 137. p. cur Vlyſſes apud inferos iubeatur vxori narrare, quæ ibi viderit.147.m.

Ex Duodecimo. Inter Scyllam, Charybdimque periclitans Vlyſſes non gemit, ſed hortatur ſocios.36.p. eius ſocij tempeſtate demerſi, quia boues, Soli ſacros, occiderant.112.m.

Ex Decimotertio. Phæacenſes an rectè inducantur Vlyſſem ſolum, & conſopitum in Ithacam reducentes. 80. f. 81.p.f.217.p.m. Nympharum antrum quid ſignificet.147.f.217.m.

Ex Decimonono. Vlyſſes cognitus ex cicatrice.298.m. geminæ Somni portæ.144.f.

Homeri erratum ex Ariſtotele. 3.m. ex Platone, & Proclo. 5.p.

HORATIVS poëta, Ex primo Carminum Ode prima. 408. f. ſecunda.

178.

178.p. 419.f. tertia. 429.f. 430. sexta. 408.f. septima. 101.m. 434.f. octaua. 440.f.441.p. duodecima. 408.f. decisexta.429.m. trigesima secunda. 409. p.441.m.447.m. trigesima tertia.386. p.trigesima sexta.172.m.
Ex secundo. Ode prima.445.p. decima tertia.431.p.
Ex Tertio. Ode tertia. 406. p.435.436. 444.f.quarta.431.f.432.433.p. quinta. 433.m.f. 434. vicesima quarta.411.f. vicesima septima.145.p.
Ex quarto. Ode prima.179.m. secunda. 406.p. quarta. 174.f.419.f.420.p.428. 429. 441. p. sexta. 68. m. septima. 127.m.
Ex Epodon Ode nona. 72. m. duodecima.98.m.
Ex Satyris.64.m.103.p.
Ex Epistolis.16.m.72.m.229.p.
Loci ex eius Poëtica.
*Humano capiti ceruicem*.254.f.
*Credite Pisones*.255.p.
*Ordinis hæc virtus erit*.59.m.
*Versibus impariter iunctis*.389.m.
*Quis tamen exiguos Elegos*,383.f.
*Musa dedit fidibus Diuos*.402.m.403.m.
*Et Tragicus plerunque dolet*.264.p.
*Intererit multum Dauusnè*.335.m.
*Aut famam sequere*.259.f.
*Si quid inexpertum scenæ committis*. 260.m.
*Rectius Iliacum carmen*.323.m.
*Nec gemino bellum Troianum*. 59. p. 200.m.
*Semper ad euentum*.59,m.200.m.
*Aetatis cuiusque notandi*.259.p.
*Segnius irritant animos*.146.m.
*Nec pueros coram populo*.271.p.306.p.
*Quodcunque ostendis mihi sic*. 306. f. 307.p.
*Neue minor quinto*.275.f.372.m.
*Nec Deus intersit*.275.m.
*---nec quarta loqui persona laboret*.274. f.373.f.
*Actoris partes chorus*.284.285.286.287.
*Tibia non, vt nunc, orichalco*. 357. f. 359.p.
*Aspirare,& adesse choris*.283.f.
*Carmine qui Tragico*.250.p.
*Mox etiam agrestes Satyros*.278.f.
*Vt festis matrona*.263.f.
*Ignotum Tragicæ genus*.250.f.
*Vel qui prætextas*.333.m.f.
*Vt pictura poësis erit*.258.m.407.p.
*Tyrtæusque mares animos*.390.p.
IACOBVS Mazonius citatur. 45. f.129.f.395. m. refellitur.205.f.372. m.396.p.
Ianus Parrhasius.142.m.171.f.
Iason de Nores.308.p.
Incertus poëta.208.m.
Ioannes Bapt.Pius. 117.m.139.m.171.m.
Iosephus Scaliger.20.f. refellitur.22.m.
Iouianus Pontanus citatur. 34. m. 89.f. 92.f. 387.m.f.refellitur.124.m.
D.Isidorus.49.f.194.m.266.f.
Iulianus Apostata.145.p.171.f.
Iulius Cæsar Scaliger citatur. 22.m.34. m.65.m.92.f.93.123.f.227.f. 266.f.271. f.280.m.f. 283.f. 291. f. 330.f. 331. m. 341.f.342.p.357.p. 358.f.360.p. 378.f. 384.m.385.f.459.m.461.m. refellitur. 23.m.124.p.219.p.
Iulius Capitolinus.50.f.218.m.
Iulius Higynus reprehendit Virgilium. 123.p.127. p.refellitur his locis.
Iulius Pollux. 266.f.267.f.268.m.278.m. 283.f.288.f.371.m.420.f.
Iustinus historicus. 41.f. 42.p. 155. m. 156.f.
Iuuenalis poeta.114.m.115.p.273.f.
LACTANTIVS Firmianus citatur. 115.p. 133.p. reprehendit Virgilium.53.m.237.p. refellitur.53. f.54.p.237.p.
Lactantius, seu Lutatius Statij interpres.159.m.
Lambinus Dionysius citatur. 273.p. reprehenditur à Robertello.16.m.
Lepidus vetus Comicus in Philodoxo fabula, ab Aldo Manutio edita. 355.f.
Lilius. Vide, *Giraldus*.
T.Liuius Patauinus. 44.m. 144.p. 155.f. 330.f.
Longinus.405.m.
Lucanus poëta.55.m.59.p.156.f.164.f.
Lucianus Samosatẽsis. 114.p.145.p.191. f.406.m.
T.Lucretius Carus poëta.118.f.379.m.
Ludouicus Casteluitrus. Vide, *Castelnitrus*.

Lyco-

Lycophronis interpres.99.m.
MACROBIVS Aurelius citatur.85.m. 114.p.m. 128.p.129.f. 232.p. 368.f. defendit, ac laudat Virgilium. 82.m.210.f. 218.m.f. eundem reprehendit. 42.m.149.f. 150.p.152.p. 181.f.219.p.refellitur ijsdem locis.
Madius Vincentius citatur. 17.m. 303. m.395.p.reprehenditur.12.f.355.m.
M.Antonius Flaminius.461.m.
M.Antonius Muretus.147.p.
M.Aurelius Imperator.51.p.
Martialis poëta,libro primo.132.m.307. m.f.quarto.167.m.sexto.130.f.octauo. 21. p. decimotertio. 116. p. decimoquarto.21.p.libro non adnotato.127. f.128.p.133.m.f.371.m.
Martinus Del rio citatur. 280.p.refellitur.281.m.
M.Marullus poëta.43.p.
Mazonius.Vide,*Iacobus*.
Menander Myndius.191.f.192.p.
Mimnermus poëta Elegiacus.390.m.
Minturnus in Poëtica.395.m.
Modicius.Vide,*Gulielmus*.
NAEVIVS poëta.351.p.
Niseus Grammaticus.23.m.
Nonius Marcellus.169.m.
Nonnus Panopolitanus.172.p.205.f.
Numenius Platonicus.217.f.
Nymphodorus medicus.99.m.
OCTAVIANVS Augustus.198.f.
Olympiodorus philosophus. 129. f.130.131.226.f.
Onosiander Strategetico.156.p.
Oppianus poëta.38.f.
Oribasius medicus.98.f.
Orosius Paulus historicus.41.f.
Orpheus vates.43.f.
P.Ouidius Naso.libris Metamorphoseō. 29. m.44.m.55.m.67.f.85.p.89.f.99.m. 103.p.112.m.115.m. 167.f.407.f. 442. m.Epistolis.389.p.447.f.451.p. de Arte.46.p. 98.p.f. 393.p.m Elegijs, siue Amorum. 206. m. 386.m. 392. f. 393. f. 418. p. m. 448. p. m. 458. m. 463. f. 465.f.466.Fastorum.115.p. 116.p 415. f. de Tristibus. 21. p. 35.p. m. 303.p. 393.f.de Ponto.44.m.205.m. 299.f. libro non adscripto.67.m.112.m. 190.f. 205.f.457.f.461.p.
PACCIVS. Vide, *Alexander*.
Patritius Franciscus citatur. 395.f. 400.m.refellitur.396.p.410.m.
Paulus Aegineta medicus.98.f.
Paulus Iurisconsultus.168 f.
Pausanias historicus.44.f.110.p.206.f.
A.Persius Satyricus.21.p.153.m.462.f.
Petrarcha Franciscus.69.m.
Petrus Valla.361.f.374.f.
Petrus Victorius citatur.3.f.18.m.36.m. 82.p.101.f.102.p. 132.f. 170.f. 266.m. 298. p.f. 302.p. 308.f. 309. m. 358.m. 395.p. 400.p. 410.f. reprehendit Virgilium. 38.p. refellitur. ibid. & 12. f. 13.p.38.m.309.p.325.p.m.355.m.
Phauorinus reprehendit Virgilium.92. refellitur.93.
Philander in Vitruuium.268.p.f.
Philemon.164.f.
Philo Hebræus.103.m.
Philostratus. 39.p.132.p. 209.m. 307.m. 406.f.
Phurnutus Mythologus.224.m.
Piccolomineus.Vide,*Alexander*.
Pierius Valerianus.2.m.117.f.385.m.
Pindarus Lyricus.100.m.406.f. eius erratum.4.m.38.m.
Plato philosophus. 108.p. 120.m.129.f. 130.131.132.144.f.153.m. 185.p. 188. m.189.p.190.f. 220.f. 226.m.f. 250.m. 252.m. 340.p. 353.p. 370.f. 380.f.395. m.408.p.Homerum,ac poëtas reprehendit. 5.p. 215. f. eius anachronismus.45.f.refellitur.338.f.
Plautus Comicus Amphitruone. 66. m. 169.f.296.m.319.f.350.p.366.p. Asinaria. 72.p.351.p.374.f.376.f.377.p. Aulularia.366.m.368.p.377.p. Captiuis. 374.f. Casina.367.m. Cistellaria.366. p.Bacchidibus. 330.f.351.m.f. 352. p. Milite glorioso. 290.m.351.f.352.m. 376.f.Mercatore.373.f. Rudente. 348. f.349.p.354.p. 368.p. Trinumo. 347.f. non adnotato libro.274.f. 298.f. eius erratum in Amphitr.122.p.
Plinius Secundus in naturali hist. 37.p. f.39.p. 40.f. 46. m. 66.m. 67.m.f.71.f. 84.p.m.98.p.101.f.102.m.114.p. 120. f. 175.f. 194. m. 243.m. 332. f. 358. f. 379.m.
Plinius iunior.69.f.132.p.407.m.

Plo-

Plotinus Platonicus.131.p.
Plutarchus Cheroneus. 5.m. 44.p.f.67. m.68.f.137.p.184.m.219.m.226.p.242. m.298.p.406.f.
Politianus Angelus.266.f.387.f.448.f.
Polybius historicus.156.p.
Pomponius Mela.89.m.
Pontanus. Vide, *Iouianus.*
Porphyrius philosophus. 129. f. 145. f. 189.m.241.m.242.m.
Possidonius historicus. 170. f. 175. f. 357.m.
Proclus Platonicus.214.m.224.f.Homerũ reprehendit.5.p.eundem defendit. 215.m.226.f.refellitur.252.m.f.
Sex. Propertius, libro secundo. 445. f. 446.p. 449.f. 457.m. 458.f. permutat Laidis patriam.68.f.libro tertio. 383. f.390.f.391.p.m.f. 392.p. 425.m.f.425. m.f.426. 427. 445. f. eius anachronismus. 43.f.44.p. libro quarto. 392. m. 394.m.f.415.p.m. 417.m.f. 419. p. m. 442.f.443.m.f. 444. 449.f. 458.p. non adscripto libro.115.f.385.p.
Prudentius. Vide, *Aurelius.*
QVINTILIANVS Rhetor.21. f.50.m.155.m.210.f.276.p.455.m. 459.m.462.f.
Quintus Calaber.138.m.f.
RAPHAEL Volaterranus.167.f.
Rhodiginus. Vide. *Cœlius.*
Robertellus. Vide, *Hieronymus.*
Rodulphus Agricola.60.f.
SANNAZARIVS.380.f.
Sappho poëtria.387.f.
Scaliger. Vide, *Iulius Cæsar.*
Scholiastes, siue Interpres Apollonij. 44.f.128.p.140.p.177.p.205.f. Aristophanis.69.p.403.p. Pindari. 44.f.100. m.199.f.402.f.Sophoclis.139.p.m.402. f.Theocriti.99.m.
Scripturæ sacræ libri.65.p.160.p.216.p. 387.p.
Sebastianus Conradus. 22. f. refellitur. 23.m.
Seneca philosophus, ac Rhetor. 44.p.75. m. 84.m. 85.p.m. 132.f. 155. m. 164.f. 170.f.210.f.232.f.368.f.
Seneca Tragicus in Hercule furẽte.67.f. Thyeste.108.f.262.p.284.f.285.p.287. p.Hippolyto.261.f.Oedipode.265.m. 277.f.373.p.m. Troadibus. 274.f. 295. m.Medea.103.p.265.f.reprehenditur. 308.p. Agamemnone. 274.f. Octauia. 277.f. 285.p. 295.m. Hercule Oeteo. 275.m.277.f.278.p.286.m.296.m.
Seruius Honoratus Grammaticus citatur. 45.m. 54.m. 64.f. 71.f. 83.m.91.f. 112.f.115.p.159.m.161.f. 178.f. 184.p. 218.m. 227.f. 359.m. refellitur. 66.m. 90.m.100.m.113.p.m.127.m.179.f.
Sidonius Apollinaris. 70.m.96.p.143.m. 393.f.
Silius Italicus poëta. 59.p. 107. f. 132.f. 175.f.207.p.
Simonides Ceus Elegus.390.m.
Simplicius philosophus. 5. m. 189. f. 384.m.
Socion philosophus.99.m.
Solinus polyhistor.101.f.
Sophocles Tragicus in Electra.287.m.f. 312.p.373.p.eius anachronismus.122. p. Oedipode Tyranno. 255. f. 286. f. 290.f.292.f.293.p.294.p. 305.p. 373.p. quomodo excusetur, quod dicat Oedipodem ignorasse Laij cædem à se factam. 17. f. Philoctete. 285.f. 372.f. Aiace.289.f. 295.m. Antigona. 310.p. non adnotato libro.281.p.384.f. quales personas sese dicebat effingere. 4.m.139.p.
Statius Papinius poëta Syluis. 98.f.100. m.101.p.vbi emendatur locus.101.m. 172.m. Thebaide. 33.p.130.m. 159.m. 170.m.206.m.Achilleide.205.f.206.p.
Stephanus Geographus 68.f.125.m.176. p.205.m.206.f.
Stephonius Bernardinus. 282.p. 290. f. 360.m.
Stobæus Ioannes in Sent.390.m.
Strabo Geographus. 46.p. 89.m. 114.p. 115.p.172.m.f.175.f.Homerum defendit.89.p.
Suetonius Tranquillus. 195. p. 333. f. 371.m.
Suidas 96.f.103.m.108.m. 120.m. 132.p. 140.f.176.f.273.m.335.f. 348.m. 362.f. 371.p.384 m.405.m.420.f.
Sulpitius Apollinaris.141.f.
Synesius.35.m.69.p.
TACITVS Cornelius.333.f.
Terentianus Maurus Grammaticus.

cus. 265. p. 325. f.
Terentius Afer Comicus in Andria.274. m.f.360.m.363.m.f.364.m.f.367.p.374. m.375.f.376.p.m.441.p.Eunucho.259. m. 361.p. 362.f. 367.p. Heautontimorumeno.360.f. Adelphis.345.f.359.p. 360.f.366.f.456.m. Hecyra.361.p.366. f.367.p.Phormione.361.p. 362.f. loco non adſcripto.356.f.
Tertullianus Septimius. 42. p. 143. m. 307.f.335.m.
Theocritus poëta.380.f.381.p.
Theodorus Gaza.174.p.
Theognis poëta gnomographus.390.m. 393.p.
Theophraſtus philoſophus. 40.f. 84.m. 98.p.99.m.
Thucydides hiſtoricus citatur. 85. m. 106.f.qua in re à Dionyſio reprehendatur.182.p.m.
Tibullus Elegiacus lib.primo.391.f.416. m.f.417.p.f.437.m.f.438.439. 440. p.f. 446.f.447.p.450.f.454.f.463.m.464.m. 465.f. libro ſecundo.417.f.421.f. 422. 423.424.440.m.447.p.461.p. 463.f. libro tertio.389.p.391.p.m.392.p. 399. p.m.447.f.450.p.m. 457.m. 458.f.463. f.465.m.libro quarto.451.m. libro nõ notato.112.m.250.f.461.p.464.p.
Timæus hiſtoricus.223.f.
Timocles.253.p.m.
Tiraquellus Andreas.75.p.
Torquatus Taſſus poëta.214.m.395.m.
Turnebus.Vide, *Adrianus.*
Turpilius Comicus.169.f.
VALERIVS Flaccus poëta.59.p. 65.p.66.p.f.88.m.117.f.152.m.172. f.175.m.
Valerius Maximus.48.p.m.
Varro Terentius Romanus. 38.p.115.p. 143.p.185.f.379.p.Idem,vel alter Atacinus Narbonenſis.393.p.f.
Vegetius de re milit.20.f.
Velleius Paterculus.41.f.
Victorinus.Vide, *Fauſtus.*
Vincentius Madius.Vide, *Madius.*
P.VIRGILIVS Maro poëta.
Loci ex eius Bucolicis.
Ecl.2.*Mollia luteola.*464.p.
Ecl.3.*Alternis dicetis.* 380.p.
*Ab Ioue principium.*380.m.
Ecl.5.*Daphni tuum Pœnos.*194.m.
*Daphnin ad aſtra feremus.*464.p.
Ecl.6.*Cum canerem Reges.*445.m.
*Namque canebat vti.*380.f.436.f.
*Quid loquar aut Scyllam Niſi.*100.p.
Ecl.7.*Alternis igitur contendere.*380.m.
Ecl.9.*Damonis Muſam.*464.p.
Ecl.10.*Hæc ſat erit, Diuæ.*443.m.
Ex Georgicis.
Libro primo. *Quinque tenent cœlum Zonæ.*186.p.
*Hic vertex ſemper nobis ſublimis.*185.f.
*Præcipites cælo labi.*91.m.
*---pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.* 178.f.
*Ille etiam extincto.*430.p.
Secundo.*Huc,pater ò Lenæe.*64.f.
*Sed neque Medorum ſyluæ.*436.f.
*Palmes agit laxis.*118.f.
*O fortunatos nimium.*436.f.
*Sed nos immenſum ſpatijs.*442.p.
Tertio.*Vel ſcena vt verſis.*270.f.
*Optima quæque dies.*160.f.
*Talis Amyclæi domitus.*100.p.
Quarto. *In mare purpureum.*178.f.
*Hæc ſuper aruorum.*442.m.
*Illo Virgilium me.*448.m.
Ex Aeneide.
Libro primo. *Ille ego qui quondam.* 20. 21.22.
*Arma.virumque cano.*416.m.
*---Troiæ qui primus ab oris.*23.24 25.
*Italiam,fato profugus.*200.f.208.p.
*-- Lauinaque venit Littora.* 122.f.123.p.
*Muſa mihi cauſas.*413.f.
*---ſpretæque iniuria formæ.*219.p.
*Cum Iuno æternum ſeruans.*25.26.
*---tu das epulis accũbere Diuum.*109.p.
*Extemplo Aeneæ ſoluuntur.*32.m.
*---tres littore ceruos Proſpicit errantes.* 36.37.
*---ſic vertice cœli conſtitit.*185.f.
*Antenor potuit medijs.*24.f.
*Oſcula libauit natæ.*10.m.
*Cum domus Aſſaraci Phthiam.*68.m.
*Ante diem clauſo componet.*170.m.
*Sum pius Aeneas.*47.48.49.
*Aſpice biſſenos.*174.m.
*---videt Iliacas ex ordine pugnas.*39.40.
*Hæc dum Dardanio Aeneæ.*41.42.43.
*---concurſu accedere magno Anthea Serge-*

gestumque videt. rectenè inducatur Aeneas tot stipatus comitibus à Didone exceptus.28.f.31.m.
---quis Troiæ nesciat Vrbem?71.p.
- -lumenque iuuentæ Purpureum. 178.f.
---toris iussi discumbere pictis.109.p.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ.109.f.
Immo age & à prima. 58.f.
Libro secundo. Inde toro pater Aeneas. 64.65.109.p. Quos neque Tidydes, nec Larissæus Achilles.68.69.
Ecce autem gemini.65.f.
---primusque Machaon.24.m.
O patria,ò Diuum domus.71.p.
Barbarico postes auro.70.71.72.
Non ita,namque etsi nullum.73.74.
Aspice,namque omnem.146.p.
Iampridem inuisus Diuis.457.p.
Libro tertio. ---classemque sub ipsa Antandro.80.81.
Sacra Dionææ matri.82.
---terræque,vrbesque recedunt.91.m.
Sacra mari colitur.83.84.
---nunc famæ,minores Italiã dixisse. 86.
Dissiluisse ferunt.86.
Hesperium Siculo latus abscidit.86.87.
---humilemque videmus Italiam.90.91.
---attollit se Diua Lacinia contra.91.
Turbine fumantem piceo.92.93.
Apparet Camarina procul.125.p.
Libro quarto. Vritur infelix Dido.134.m.
---atque agmina cerui Pulueruleuta fuga.37.p.
Atlantis,cinctum assiduè.94.95.
Spargens humida mella.97.98.
Vnum exuta pedem.102.104.
Non seruata fides cineri.136.p.
Quid loquar,aut vbi sum?134.m.
Sed cadat ante diem.183.184.185.
---moriemur inultæ?55.m.
Nam quia nec fato.183.184.
Libro quinto. Impellunt. terno consurgunt ordine remi.106.107.108.
---& volucrem traiecto in fune columbam.111.112.113.
---furit immissis Vulcanus habenis.118.f.
Libro sexto. --- classique immittit habenas.117.118.119.
Chalcidicaque leuis.122 f.123.p.
Causa mali tanti coniux.150.m.
Maternas agnoscit aues.111 f.
Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum.110.p.m.137.m.
Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras. 29.m.31.f.
Centauri in foribus stabulant.119.120.
---strictamque aciem venientibus offert. 137.m.
Et ni docta comes.135.m.137.m.
---portusq; require Velinos.121.122.123.
---qui sibi lethum Insontes peperere manu.134.f.
Hic quos durus amor.135.m.
Inter quas Phœnissa recens.129.134.135.
Ingenti trepidare metu.136.137.
Deiphobum vidit lacerum. 138.139.140.
Namque vt supremam.73.f.
Egregia interea coniux.141.m.
Demens qui nimbos.110.f.
---sedet,æternumque sedebit infelix Theseus.127.128.
---& lumine vestit Purpureo.178.f.
Igneus est ollis vigor.136 f.
Hinc metuunt,cupiuntque.136 f.138.p.
quin & supremo cum lumine.137.f.
---tua posthuma proles: quem tibi longæuo.141.142.143.
Sunt geminæ somni portæ.144.145.146.
Libro septimo. Nunc age qui Reges,Erato.413 f.
Ipse Quirinali lituo.108.f.
---dextram tetigisse Tyranni.107.f.
Ergo iter ad Regem.150.f.
---quæ prima malorum causa fuit. 151.f.
Ceruus erat forma præstanti.149.150.
Mos erat Hesperio in Latio.45.p.
Pandite nunc Heliconа,Deæ.414.p.
Primus init bellum.152 153.
---& longa canoros Dant per colla modos.192.p.
Libro octauo. Haud incerta cano.157.f.
Cæruleus Tybris.177.f.
Nympha Laurentes,Nymphæ.464.m.
- -quocunq;solo pulcherrimus exis.178.p.
Sic memorat,geminasque.154.157.158.
Miratur nemus insuetum.158.
Primus ab æthereo.24.p.
Nec te vlla facies,non terruit.45.m.
---amisit vetus Albula nomen.177.f.
Nec non & gemini custodes.8.f.
Procubuisse lupam.408.p.

Libro nono. *Namq; ita discedens.*155.p.
*Quis Deus, ò Musæ.*414.m.
--*prisca fides facto, sed fama perennis.* 163.p.
*Pinea sylua mihi.*81.m.
*O genitrix, quo fata vocas?*162.f.
---*olim quæcunque euaserit vndis*. 163. p.165.f.
---*& tempora Parcæ debita complerant*. 163.m.166.
---*hinc virgineæ mirabile monstrum.*161. 162.163.
*Nunc adeo, melior quoniam pars*. 167. 168.169.
*Quos pater Aeneas, si quando*. 158. p. 159.160.
*Dum domus Aeneæ Capitoli.*64.m.
*Vos ò Calliope precor.*414.f.
*Sustulit alta petens.*173.174.
---*natos ad flumina primum Deferimus.* 170.171.172.
---*biforem dat tibia cantum.*359.f.
*Inarime Iouis imperijs.*175.176.177.
---*ille suo cum gurgite flauo Accepit*. 177.178.179.
Libro decimo. *Pandite nunc Helicona.* 414.p.
*Massicus ærata princeps.*181.182.
*Stat sua cuique dies.*183.184.185.
*Proxima quæque metit.*56.p.
*Quatuor hinc iuuenes.*53.p.f.
*Inde Mago procul infensam.*237.f.
*Argenti, atque auri memoras.*245.m.
*Lucage, nulla tuos.*54.55.186.187.
*Ille autem expirans, nō me.*187.188.189.
---*cristaque hirsutus equina.*67.p.
Libro vndecimo. *Vinxerat, & post terga manus.*53.m.
*It lacrymans, guttisq; humectat.*192.193.
*Pacemnè exanimis.*245.m.f.
---*& olentem scindere cedrum* 37.p.
*Vadite, & hæc Regi.*56.p.
*Flent mœsti, mussantque.*191.p.
*Dant sonitum rauci.*190.191.192.
*Nam quicunque tuum.*55.m.
Libro duodecimo. *Sæuit, & infracta.* 244.f.
*Stabat acerba fremens.*245.p.
*Parcite iam, Rutuli, & vos.*197.m.
---*quique alta tenebant Mœnia.*197.f.
*Arrectæque amborum acies.*197.m.
*Vndique enim densa Teucri.*196.197.
*Nomine quemque vocans.*197.f.
*Indigetem Aeneā scis ipsa.*202.m.246.f.
*Ille oculis postquam sæui.*237.f.
VITRVVIVS. 266.f.267.f.268.269. 270.p.271.f.281.m.
Vrbanus Grammaticus refellitur. 113. p.116.m.
XENAGORAS.176.m.
Xenophanes Colophonius. 5. m. 390.m.
Xenophon.114.p.f.115.p.281.m.
ZENO Stoicus.185.p.
Zezes, interpres Hesiodi. 214 p.
Zoroastres.188.m.

FINIS.

## Errata sic corrige.

Pag.4.li.25.hadenda:dic, *habenda*.6.15.Il.xx. *Il.x.*15.3.Il.xj.*Il.xviij*.21.l.22.[at vtinam.delēdum:*at*.25.16.Cum Iuno tacitum:*æternum*.70.25.Phrygium:*Phthium*.76.33.Prologomenis:*Prolegomenis*. 96.1. probabilius:*probabilibus*.109.9. In tertio:*In primo*.& l.18.Odiss.xix.*Odyss.ix*.& l.13.de Dijs:*de Heroibus*. 112.1. Il.xiij. *Il.xxiij*.114.32.hamanis:*humanis*.137.4.lib.ij.*lib.xj*.139.2. Defens.vij *Defens.ij*. 144.27.Odyss.ix.*Odyss.xix*.169.28.mortalibus ægris:*æui*. 192.3.palmi pedesq.*palmipedesq*.203.18.scalptores:*sculptores*.218.4.ac sapiētē:*ac tam sapientem*.223.1. custodiuit:*constituit*.231.38.instruere:*instituere*. 258.3. de gener.adde: *animal*. 259.8.haud bubiè:*dubiè*.& l.30.si formæ:*si famæ*.285.14.aptu:*aptè*.294.35.mutio: *mutatio*.305.l.antep.in cap.xx.*in cap.xxij*.313.37.Eripidem:*Euripidem*. 329.22. *ἀπὸ τὸν:τῶν*. 338.4.vallatsoq.: *vallatosq*. 367.24.Casinaria: Casina. 378.17.cap. xxij.*cap xxv*..389.16. imparibus iuncta est: *impariter iunctis*. 390.25.à Philone: *Chilone*. 417.18.raptæ:*capta*. 425.21. tertij decima:*tertij nona*. 458.16.& paulo post: *& paulo ante*.

In Indice priore. Verbo Κόλα, & *κόλον*:dic, *κόλαξ*, & *κόλος*. V.*Εγύκλημα*: dic, *Εγκύκλημα*. V.*Γνάθες*:dic, *Γνάθος*. V.Interi: dic, *Inferi*. V.Pietas. dicti sunt Dij: dicti sunt Pij. Et alia.

